IACOBI IANSSONII AMSTELEDAMENSIS ... IN PROPHETICUM...

Jacobus Jansenius,
Giovanni Battista Coccini

IACOBI IANSSONII
AMSTELEDAMENSIS
S. Scripturæ in Academia LOVANIENSI
Professoris REGII

IN

PROPHETICVM LIBRVM
IOB
ENARRATIO.

I. THESSAL. C. 5.

Spiritum nolite extinguere. Prophetias nolite spernere. Omnia autem probate: quod bonum est tenete.

ECCLESIASTICI 39.

Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conseruabit, & in versutias parabolarum simul introibit.



LOVANII,
Apud HENRICVM HASTENIVM
ET
PETRVM ZANGRIVM.
M. DC. XXIII.

APPROBATIO.

Commentarius iste in Librum S. Iob accuratè, piè ac eruditè conscriptus dignus est qui ad publicam vtilitatem emittatur in lucem.

Gviliel. Fabricivs
Apostolicus ac Regius Librorum Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

Iuxta tenorem Priuilegij ab Archiducibus Austriæ & Ducibus Brabantiæ *20. Martij, Anno 1604. in Concilio Brabantiæ sub signatura* Bvschere *mihi gratiose indulti,* Enarrationem *meam in Librum* Iob *imprimendam commisi* Henrico Hastenio *Typographo iurato,* & Petro Zangrio. *Datum* Lovanii *19. Aprilis, Anno 1623.*

Iacobvs Ianssonivs.

STVDIOSO LECTORI.

A Triginta & amplius annis, Propheticum Librum Iob ex professo, Auditorio Theologico in Scholis Academiæ Louaniensis, Amice lector, exposui. Exinde innouato cum tempore Auditorio exposui eundem iteratò. Varijs locis supersunt, qui me tunc audierunt. Alij ab ipsis ex ore meo excepta legerunt. Omnes apud me institerunt, vt explanationem recognitam emitterem in lucem. Detrectaui, vt de alijs Scholasticis occupationibus nihil dicam, quotidiana Scripturarum prælectione detentus. Nunc autem ob ætatem & frequentes meas infirmitates publica prælectione de facto perfunctus, & ab ijs, quos dixi, vehementiùs instigatus proposui Expositionem meam in Iob recognoscere & ædere. In cuius explanatione amplexus sum regulam D. Augustini docentis, *Scripturas ex Scripturis explanandas esse, eò quòd in ijsdem nihil obscurè dicatur, quod non alibi apertiùs, & sæpenumero sic, vt in alium sensum accipi non possit.* Ne autem sub verbis Scripturarum loqueretur os meum opera hominum, memor verborum Hieronymi dicentis, *Scripturæ Sanctæ difficultatem absque Dei gratia & doctrina Maiorum, imperitissimos quosque sibi vendicare*, conatus sum Expositionem nostram doctrinis Veterum infarcire. Dicit namque Bernardus: *Quo spiritu Scripturæ factæ sunt, eo spiritu legi desiderant, ipsæ etiam intelligendæ sunt. Numquam ingredieris in sensum Pauli, donec vsu bonæ intentionis in lectione eius, & studio assiduæ meditationis spiritum eius imbiberis.*

Numquam intelliges Dauid donec ipsa experientia ipsos Psalmorum affectus indueris. Cum ergo Spiritus sanctus posuerit in Ecclesia Pastores & Doctores vt non circumferamur omni vento doctrinæ, nemo dubitauerit, quin illi qui doctorum nomen hactenus meruerunt, à Spiritu sancto intelligentiam acceperint: Scripturamque eodem, quo conscripta est, spiritu exposuerint, vt proinde eorum Expositionem securissimè & vtilissimè amplectaris. Scio neotericos quosdam Iob æditis magnis voluminibus palam exposuisse, sed eorum eruditione vsus non sum, recordatus verborum Christi, *Nemo bibens vinum vetus statim vult nouum, dicit enim: Vetus melius est:* quia non sine causa dixit Isaias, *Caupones tui miscent aquam vino.* Quod Bernardus non ignorauit, scribens in hæc verba: *Intentioni seruit lectio. Si verè in lectione Deum quærit qui legit, omnia quæ legit cooperantur ei in bonum, & captiuat sensus legentis, & in seruitutem redigit omnem lectionis intellectum in obsequium Christi. Si in aliud declinat sensus legentis, omnia trahit post semetipsum, nihilque tam sanctum, tam pium inuenit in Scripturis quod seu per vanam gloriam, seu per distortum sensum, seu per prauum intellectum non applicet vel malitiæ vel vanitati.* Vale Lector, & nostram hanc operam aliorum studio penè extortam boni consule.

Virtute

Virtute Sapientiâque

VIRO MAGNO

D. IACOBO IANSONIO

S. Theologiæ verbo ſcriptoue & vitâ

DOCTORI verè EXIMIO

LOVANII Diuinarum Litterarum ACADEMICO

PROFESSORI PRIMARIO IVBILARIOQVE

IBIDEM Eccleſiæ Collegiatæ principalis DECANO

Simulque Academicorum Graduum COLLATORI

per quam REVERENDO

COLLEGII ADRIANI PAPÆ VI.

Iam à triginta quatuor annis, MODERATORI

OPTIMO BENEFACTORI SVMMO,

imo etiam FVNDATORI ALTERI

Huius operis aliorumque plurium

AVTHORI

Eruditiſsimo pijſsimo Solidiſsimoque

DOMINO, MAGISTRO, PATRONO SVO

ÆTERNVM COLENDO.

Inter innumeros eruditionis filios quorum glorioſsimâ coronâ vndequaque cingitur minimus ſequenti Verſiculo applaudit.

QVAM PVLCHRA CANO VERTICI SAPIENTIA!
Eccleſ.c.25. *Quantis ſenectus illa, digna honoribus!*
Quæ ſempiterno flore virtutum viget.
Minus inter aſtra, luminis primum iubar
Titan refulges; quam illa cunctis eminens
Aetas coruſcat: digna quam cuncti colant.
Ergo IVBILARÎ *hæc ſcripta* DOCTORIS *lege*
Studioſe Lector: quippe qui Luſtris decem,
Dogmata celebri ex pulpito docuit ſacra.
Tantúmne ſacri ſcripta Doctoris leges?
Quinimmo, factis compleas, etiam decet:
Nam qui nouo hoc te dogmatum volumine,
REGNO POLORVM MAXIMVS DOCTOR DOCET,
Mat.c.19. DOCVIT ET EGIT. *O Docentium Decus!*
Viue Aeuiternum hic: tu tamen dignus polo es.

ANDREAS WYPION, Licentiatus in S. Theologiâ & Philoſophiæ Profeſſor Primarius.

IACOBI IANSSONII
IN
PROPHETAM
IOB
ENARRATIO.

IACOBI IANSONII

SACRÆ SCRIPTVRÆ LOVANII PROFESSORIS ENARRATIO IN IOB.

PRÆFATIO.

LIBER IOB, ipſo auctore conſcriptus, *proſa incipit, hexametro labitur, pedeſtri ſermone finitur*, inquit Hieron. Intermedijs eſt Moralis & Propheticus, principio & fine Hiſtoricus. Quod, de maiorum concordi doctrina indubitatum habeatur contra vaniloquia hæreticorum, qui patientiam, ſuis, non Sanctorum viribus metientes, arbitrati ſunt narrationem primorum capitum ob afflictionum, quaſi intolerabilium immanitatem, parabolicam eſſe, prout apud Matthæum eſt narratio de Trapezytis ac decem Virginibus. Sed quid agant cum Ezechiele? apud quem cum dicitur: Si fuerint inter eos tres viri, Noë, Daniel, & Iob; manifeſtè declaratur, Iob eiuſdem cum duobus alijs naturæ, & præſtan-

Epiſt. 103.

Ezech. 14.

tiæ virum fuisse? Dicent fortè, paris quidem præstantiæ, non tamen tantæ, quæ hic describitur, patientiæ. Quid ergo agant cum historia Tobiæ, cuius certamen cum certamine S. Iob tanquam res itidem gesta componitur, & vterque de patientia prædicatur, atque adeò datur in patientiæ exemplum? An patientia personati prædicabilis, vel exemplaris? dicent; exemplorum non requiritur veritas. Fateor, sed ad explicandum: ad excitandum vero vsque adeo requiritur, vt virtus aliqua hoc ipso ardentius diligatur, quo secundum ipsam quis vixisse creditur, dicente Augustino: *Nescio quo modo in virtutis dilectionem excitamur per fidem, qua credimus vixisse sic aliquem: & spem, qua nos quoque ita posse viuere qui homines sumus, ex eo quod aliqui homines ita vixerint, minimè desperamus. Cum ergo etiam Iacobus proponat Iob in exemplum patientiæ, necessum est id quod ipsi obuenisse scribitur, reipsa obuenisse.* Nec ad exemplum otiosum; scribit namque Marcellinæ sorori suæ Ambros. *Cum Basilica Portiana à militibus Valentiniani, ad occupandum, cingeretur, ego hunc adorsus sum sermonem: Audistis filij librum legi Iob, qui solenni & munere est decursus & tempore. Sciuit & vsu hunc librum etiam diabolus intimandum, quo virtus omnis suæ tentationis aperitur & proditur. Et ideò se hodie motu maiore concussit. Sed gratias Deo nostro, qui nos ita firmauit fide atque patientia. Vnum Iob miraturus ascenderam, omnes Iob quos mirarer inueni. In singulis vobis Iob reuixit, in singulis sancti illius patientia & virtus refulsit.*

8. de Trin. c. 9.

Epist. 33.

CAPVT

CAPVT I.

A VIR ERAT IN TERRA HVS, quam Augustinus arbitra- *18. de Ci-*
tur partem Idumeæ, & Iob fuisse de stirpe Ezau: quod *uit. c. 44*
plures Græcos atque Latinos opinatos fuisse refert Hie- *Epist. 126.*
ronymus. Sed in quæstionibus in Genesin, ex sententia,
vt Epistola allegata profitetur, Hebræorum, affirmat
Iob descendisse ex Hus primo-genito Nachor fratris
Abrahæ: opinionemque eorum qui ipsum dixerunt
Idumæum, ortam affirmat ex Apocrypho quodam ad-
ditamento, dicente in fine voluminis, Iob quartum fuisse ab Ezau, quod ta-
men in Hebræo non habetur. Erat itaque vir iste in terra Hus, tanquam pa-
B trio suo solo, ab eo, qui eam primitus possedit nomen retinente; cum proprio
nomine diceretur Ausitis, qua de causa Augustinus cum alijs veteribus legit,
VIR ERAT IN TERRA AVSITIDE. Vt vt est, saltem certum est virum hunc
gentilem fuisse: Idque teste Augustino prouisum esse diuinitus, vt manife- *18. de Ciu.*
stum foret quosdam gentiles etiam non proselytos fuisse olim cultores Chri- *c. 47. lib. 2.*
sti Sanctos, & Prophetas, Sacerdotes, & sacrificantes, nam & Melchisedech *de pec. Ori-*
præputiati Sacerdotij pontificem appellat Tertull. *gin. c. 24.*

NOMINE IOB. Hoc inter cætera arguit Authorem hic historiam scribere, *Luc. 16.*
prout narrationem Epulonis & mendici historiam esse, veteres docent, ex
eo quod mendicus proprio ibidem donetur nomine, dicente Tertull. *Vt* *De Ani-*
quid illic Lazari nomen, si non in veritate res? Quod argumentum eo maioris est *ma c. 7.*
ponderis, quia nec in parabola Nathan ad Dauid, nec in vlla parabola ve-
teris, ac noui Testamenti nomen alicuius personati exprimitur; vt pænè in-
C credibile sit Christum apud Lucam, vel Spiritum S. apud huius Libri Autho-
rem, scripturarum consuedinem præterijsse.

ET ERAT VIR ILLE SIMPLEX, non ab inertia ingenij, vel mentis igna-
uiâ, à quâ quosdam simplices, verius segnes, dici affirmat Augustinus, sed *Tract. 6. in*
SIMPLEX ad instar fratruelis sui Iacob, qui in Genesi, SIMPLEX dicitur, quia *Ioan.*
ἄπλαστος atque adeo minime fictus inquit Hieron. aut compositus, *Omne* *in cap. 65.*
enim quod arte elicitum est aut fraude compositum, caret merito simplicitatis, inquit *Isa.*
Ambr. Quæ vero huic viro agenda erant aut dicenda, proferebantur non de *3. offic. c. 9.*
industria, sed conscientia. A quo alieni erant de quibus Authore Hieron. Pe-
trus, in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur, parum lucraturi: *quia*
quod fictum, in principio vernat, in processu tanquam flosculus dissipatur & soluitur.
Quod autem verum & sincerum, alta radice fundatur, inquit Ambr. Quin & pro- *2. offic cap.*
dest, *Ad omnia enim abundat animi directa simplicitas, satisque se ipsa commendat,* *22.*
D inquit idem. Quam commendat Dominus cum dicit, *estote simplices sicut co-* *2. offic. cap.*
lumbæ: Et Authore Ambros. *Pulcherrimum locum tenendæ simplicitatis Dominus* *24.*
intexuit cum dixit, Nihil opertum quod non reueletur: Quæ enim maior simplicitatis *in cap. 12*
illecebra, quam vt vnusquisque cognoscat fraudi latebram esse non posse? merito igitur *Lucæ.*
inter laudes huius viri etiam simplicitas recensetur, *Anima enim benedicta om-* *de obitu*
nis, simplex, inquit Idem. *fratris.*

ET RECTVS, *per Spiritum rectum innouatum in ipsius visceribus*, vt, quod di- *Psal. 50.*
cit Augustinus, *Amor viri rectus, omnes ipsius passiones fecerit rectas.* Per quod *14. de ciu.*
hic insinuat quod non simplicitas omnis, sed recti cordis simplicitas lauda-
bilis sit. Cum enim simplicitas exterioris & interioris hominis conformitas
sit, qui praui cordis sui impetu feruntur, sua non carent simplicitate, sed
illaudabili, quia effreni: cohibendus enim magis esset impetus ille quam pro-

 ferendus:

A Obtulit ergo Iob HOLOCAVSTVM, sacrificium iustitiæ, quia, cum de peccatô filiorum incertus, apud semetipsum diceret. NE FORTE PECCAVERINT FILII MEI, non conueniebat ipsum palam offerre sacrificium pro peccato, sed quasi indirectè, vt sacrificium iustitiæ, peccata occulta & ignorata tolleret, prout etiam nunc sacrificium nôui Testamenti, peccata ignorata etiam mortalia pijs tollere creditur. OFFEREBAT autem HOLOCAVSTVM PRO SINGVLIS, quod obseruans Cypr. *Vt*, inquit, *in hac vita sæculari alendis pignoribus quo maior est numerus, hoc maior & sumptus est: ita & in vita spiritali quo amplior fuerit pignorum copia, esse & operum debet maior impensa. Sic & Iob sacrificia numerosa pro filijs offerebat: quantusque erat in domo pignorum numerus, tantus dabatur Deo & numerus hostiarum. Probat scriptura dicens, Iob habuit filios septem & filias tres, & emundabat illos offerens pro eis hostias Deo secundum numerum illorum. Si ergo verè filios tuos diligis, operari magis debes vt eos Deo iusta operatione* B *commendes.* Hæc Cypr. Loco alleg.

Dicebat ergo Iob, NE FORTE, non enim (ô disciplinatam optimi patris familiam!) notorium aliquem excessum in filiorum etiam epulis deprehenderat, vt minime comprehenderentur verbis Iudæ, *Hi sunt in epulis suis maculæ.* Occultorum tamen anxius, etiam pro ignorantia filiorum sacrificabat, *Quid credas facturus pro conscientia?* inquit Hieron. verebatur autem Iob, ne forte peccassent filij, & exprimendo quod peccatum præ cæteris accidisse metuebat, addit, ET BENEDIXERINT DEO IN CORDIBVS SVIS. *Antiphrasis est*, inquit Augustinus. *Crimen enim blasphemiæ tam est horribile, vt pia ora ipsum proprio nomine exprimere reformident*, inquit D. Thom. Quam piorum consuetudinem etiam Sathan, vt infra audiemus, est secutus, sed in Dei præsentia, nam egressus à facie Domini, saltem à tempore quo per doctrinam Christi didicit se mittendum in ignem æternum, si credimus Irenæo hæc ex C Iustino scribenti, *& loquitur, & docet blasphemiam.* Si autem quæsieris quatenus filij Iob potuerint Deo vel in cordibus suis maledixisse, non inuenio quid magis obuium, quam quod de diuitibus quibusdam infra cap. 12. dicit Iob, LAMPAS CONTEMPTA APVD COGITATIONES DIVITVM. Per quod significatur diuites præ splendore præsenti in cordibus suis subinde contemnere aut parui pendere splendorem futuræ vitæ in tempus statutum paratum. Hoc autem est Deo maledicere, quia bona eius æterna fastidire & posthabere præsentibus, atque de illis, & per consequens, Authore eorum, malè dicere atque censere. Cui malo cum inter epulas facile obnoxij reddantur delitiosi & splendidi, verebatur Iob istud a filijs suis non fuisse per omnia alienum. in cap. 40. Ezech. comment. c. 10. in hunc locum. Lib. 5. c. 26

SIC FACIEBAT IOB CVNCTIS DIEBVS, euoluti orbis, qui aut annuè aut forte sæpiùs per annum reuoluebatur. Cum enim aduerbium SIC, demonD stret præmissa, præmissa vero sint, sanctificatio filiorum, vigilia, & sacrificium Iob, constet vero ipsum filios non sanctificasse, nisi euoluto orbe dierum conuiuij, reliquum est vt CVNCTOS, quos textus dicit, DIES, de diebus euoluti orbis intelligamus; quo tamen non obstante, facile intelligi poterit Iob quotidie, quod Hebræi dicunt, manicasse, & sacrificasse prout agnoscunt Cypr. & Hieron. sed absque sanctificatione filiorum.

QVADAM AVTEM DIE, anno videlicet 70. ætatis Iob authore Athanasio CVM VENISSENT FILII DEI, qui absque dubio boni angeli sunt, dicti FILII DEI, quia absque Spiritu inhabitante boni non sunt, Spiritus autem inhabitans spiritus filij est, ergo & Angeli filij, *Quoniam enim estis filij, misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra*: propter quod homines iustos ab Angelis fratres appellari, ex cap. 12. Apocalyp. infrà allegabitur. Verum quidem est, in Synops. ad Gal. 4.

Hom. 22. in Gen. quod Chrysost. affirmet Angelos nusquam Scripturarum dici filios Dei, sed id mirum non est, quia id apertè non inuenitur extra librum Iob. Quem librum Chrysost. legit, iuxta editionem 70. illi autem cùm hic tum infrà cap. 28. pro FILII, legunt, ANGELI DEI, prout etiam legunt Epiph. & August. editionem 70. secuti. Attenta itaque translatione 70. & ex alia parte, quod homines in scripturis apertè dicantur FILII DEI, non fuit facile Chrysost. angelos nuncupare filios Dei. Nam quod Nabuchodonosor, dicit *video quartum similem* FILIO DEI, vt non dicam quod verba hominis Ethnici sint, à plerisque intelligitur de genuino filio Dei, in augusta quadam Deiformitate regi apparente, sic vt illa verba non multum vrgeri possint in filiationem angelorum. Veruntamen cum, secundum veritatem Hebraicam, editio vulgata, quos 70. ANGELOS, appellet, FILIOS DEI, fatendum est *Angelos* in scripturis authenticis FILIOS DEI, palam nuncupari. A

Epiph. in hær. 65. August. in hunc locu. Daniel 3.

Cum ergo QVADAM DIE, vnde apparet administrationem angelorum in terris, atque adeo ipsorum ibidem præsentiam, tempore ab hominibus notari & mensurari posse. Imo dicit Augustinus, *mouentur angeli, Dei imperio etiam temporaliter, illo non temporaliter moto, nec ita vt ab eius contemplatione resiliant aut defluant, sed simul & illum sine loco ac tempore contemplantur, & eius in inferioribus iussa perficiunt mouentes se per tempus: corpus autem per tempus & locum.* Et infrà, *Deus non per tempus nec per locum motus, mouet per tempus creaturam spiritualem, mouet etiam per tempus & locum creaturam corporalem,* hæc Augustinus. Cum dico quadam die venissent filij Dei, vt ASSISTERENT CORAM DOMINO, quale quid videre est in Raphaële, Tobiæ 12. dicente. *Cum essem vobiscum per voluntatem Dei eram, nunc autem tempus est vt reuertar ad eum qui me misit. Neque enim* CIRCVMSCRIPTAE NATVRAE *angeli, simul esse possunt in cælo & in terra*, testibus Basil. & Dydimo: Quamuis extra cælum existentes visione nihilominus beatifica fruantur Deo, vt ex Augustino auditum est, & consonat verbo Christi, *angeli eorum semper vident faciem patris mei qui in cælis est.* Quod indicabat etiam Raphaël, cum diceret, *videbar vobiscum comedere, sed ego cibo inuisibili vtor qui ab hominibus videri non potest.* B C

8. de Gen. c. 24. cap. 26. Basil. de Spiritu S. cap. 22 Dydim. de Spiritu S. lib. 1. Matth. 18.

Porro cum hic dicatur, VT ASSISTERENT CORAM DOMINO, Raphaël vero Tobiæ dicat septem esse *qui astant ante Dominum*, & se vnum ex illis, datur intelligi istos filios Dei duos tresuè aut plures fuisse ex illis septem, & mandato expleto, ad ordinariam stationem dominique reuerentiam ac obseruantiam redijsse.

De parad. cap. 2. in Psal. 37. in hunc locum. 3. ad Simplic. quæst. 3.

ADFVIT INTER EOS ET SATHAN. ad quæ verba alludens Ambr. *Nemo dicere detrectet quod diabolus fuerit in paradiso, cùm legerimus,* inquit, *diabolum* IN CAELO ASSTANTEM, *cum angelis. Et alibi legimus quod cum in concilio angelorum Dominus seruulum suum Iob prædicaret, Sathan respondet, quod non gratis Iob Dominum veneraretur, qui nutu Dei omnibus abundaret*, vt non sit necesse cum Augustino quærere, vtrum Sathan inter angelos adfuisse dicatur, quia allocutionem Dei quam audiemus, non potuit nisi per ipsos audire; nam iuxta Ambr. fuit Sathan inter Angelos in cælo, per realem suam & substantialem præsentiam. SATHAN, inquit, qui à boni obluctatione sic dictus *omnium immundorum spirituum*, authore Augustino, *princeps fuit*. Quomodo autem potuit reali præsentia fuisse IN CAELO, cum mox à lapsu, è cælo sit præcipitatus? dicente Domino, *videbam Sathanam velut fulgur è cælo cadentem?* vtique, sed inde non sic præcipitatus est, vt non fuerit ipsi subinde quasi furtiuus aliquis in cælum ingressus, quem significat quod de venientibus ad Dominum dicitur, ADFVIT INTER EOS, per id enim datur intelligi quod in cælum vna cum angelis irrepserit, quo modo inter ciues ciuitatem suam repetentes D

A sicut oues generatione. Propter quod supra dixi Iob Camelos habuisse ad negotiandum; eo probabilius quod constet per scripturas, negotiatores merces suas per Camelos transuehere solere, nam Genes. 27. *Negotiatores per Camelos portabant aromata, Resinam & Stacten in Egyptum.* Qui itaque transtulerunt, FVIT RES PECVARIA EIVS, videntur rem propius attigisse, nam si tota possessio Iob fuit res tantum pecuaria & familia, excluseris ab illa aurum & argentum, quod non conuenit, quia oportet ipsum prius possedisse quod sibi tandem duplo fuit auctum. Quocirca & Hieronymus dicit, *Iob perdidisse marsupium, quod pecuniæ est loculamentum.* Et Ambrosius, *Nisi Iob omnem amisisset pecuniam non tantam inuenisset gratiam.* Quod ergo Tertullianus dicit Iob in pecore diuitem fuisse, quasi non in auro & argento, respicit tantum ad illa quæ scriptura expresse commemorat fuisse Iob ablata, nam quod de pecunia dicitur, ex textu, tantum, vt fecimus deducitur. Omnia interim hic accuratè recensentur, *Non quod habentibus magna sint*, sed Authore Hieronymo, *contemnentibus mirabilia.* Vnde & mirabilior euadet Iob, vbi auditum fuerit quam æquo & indifferenti animo hæc sibi passus sit abripi, *Multo enim facilius est non habita repudiare quam possessa amittere, illa enim quasi oblati cibi fastidiuntur, hæc vero quasi viscera præscinduntur*, inquit Augustinus.

siue pecuniam vt Vatablus. *Epist. 34.* *Serm. 14. vers. 2. in Psalm. 118* *in Epitha-ph. Paulæ.*

ERATQVE VIR ILLE, rebus gestis & operibus MAGNVS INTER OMNES ORIENTALES. Magnus ergo, quia magnificus, qui sensus conformis est Augustino legenti. ET OPERA MAGNA ERANT EI SVPER TERRAM. Opera inquam, quæ infra recenset Eliphas dicens, *Ecce docuisti multos & manus lassas roborasti, vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua trementia confortasti*; quæ suo loco explicabimus, Quam operum magnificentiam consectata authoritas, gratia & celebritas, fecit Authorem inter Orientales, iuxta aliorum C expositionem, authoritate & gratia magnum.

Epist. 155. *in annotat. super Iob.* *infra c. 4.*

ET IBANT FILII EIVS ET FACIEBANT CONVIVIA PER DOMOS: Quas Isaias dicit VOLVPTATVM, in suburbano, prædijs, syluis, agris, ripis ad animorum relaxationem & gaudia extructas: Basilius enim domum primogeniti Iob, cuius ruina oppressi sunt filij, appellat domum OBLECTATIONIS, fauet quod dicitur IBANT, id enim indicat, ipsos ex ordinaria statione eò perrexisse. Statio autem ordinaria ipsis erat domus paterna, dicente Cypriano: *Erat in domo Iob pignorum numerus*, ergo per IBANT, datur intelligi quod ex domo paterna in domos voluptatum sese receperint, quas singuli sibi habebant peculiares, nam infra dicitur, filijs tuis bibentibus IN DOMO FRATRIS SVI PRIMOGENITI, Quo absque dubio significatur domum hanc primogenito fuisse propriam, prout aliæ eiusdem ordinis domus propriæ fuerunt alijs filijs.

Hom. 23. *de oper. & eleel. num. 7.*

D Faciebant autem conuiuium singuli IN DIE SVO; diceres aniuersario initi à singulis coniugij, si isti filij Iob fuissent coniugati, quod tamen non est verisimile, quia vxorum nullibi fit mentio, nec dicitur Iob vidisse filios filiorum, nisi postquam Dominus conuersus est ad pænitentiam Iob. Itaque IN DIE SVO, sui natalis vel suæ sortis, qui nimirum sibi, ad instruendum epulum sorte, si non natalis ordine, obuenerat.

ET MITTENTES VOCABANT TRES SORORES SVAS, nec vllos externos viros aut fæminas, quia hæc conuiuia, teste Augustino, signum erant charitatis fraternæ, cuius gaudijs non misceatur extraneus. vt non dicam alias fæminas aduocatas non esse ad cautelam, cui non aduersatur contubernium fratrum & sororum, nam sanguinis propinquitas, insita quadam ingenuis verecundia, solet etiam inter epulas carnis lasciuiam à consanguineis prohibere.

in Annot.

Hom. 22. in Gen. quod Chrysost. affirmet Angelos nusquam Scripturarum dici filios Dei, sed id mirum non est, quia id apertè non inuenitur extra librum Iob. Quem librum Chrysost. legit, iuxta editionem 70. illi autem cùm hic tum infrà cap. 28. pro FILII, legunt, ANGELI DEI, prout etiam legunt Epiph. & August. editionem 70. secuti. Attenta itaque translatione 70. & ex alia parte, quod homines in scripturis apertè dicantur FILII DEI, non fuit facile Chrysost. angelos nuncupare filios Dei. Nam quod Nabuchodonosor, dicit *video quartum similem* FILIO DEI, vt non dicam quod verba hominis Ethnici sint, à plerisque intelligitur de genuino filio Dei, in augusta quadam Deiformitate regi apparente, sic vt illa verba non multum vrgeri possint in filiationem angelorum. Veruntamen cum, secundum veritatem Hebraicam, editio vulgata, quos 70. ANGELOS, appellet, FILIOS DEI, fatendum est *Angelos* in scripturis authenticis FILIOS DEI, palam nuncupari. A

Epiph. in her. 65. August. in hunc locū. Daniel 3.

Cum ergo QVADAM DIE, vnde apparet administrationem angelorum in terris, atque adeo ipsorum ibidem præsentiam, tempore ab hominibus notari & mensurari posse. Imo dicit Augustinus, *mouentur angeli, Dei imperio etiam temporaliter, illo non temporaliter moto, nec ita vt ab eius contemplatione resiliant aut defluant, sed simul & illum sine loco ac tempore contemplantur, & eius in inferioribus iussa perficiunt mouentes se per tempus: corpus autem per tempus & locum.* Et infrà, *Deus non per tempus nec per locum motus, mouet per tempus creaturam spiritualem, mouet etiam per tempus & locum creaturam corporalem,* hæc Augustinus. Cum dico quadam die venissent filij Dei, vt ASSISTERENT CORAM DOMINO, quale quid videre est in Raphaële, Tobiæ 12. dicente. *Cum essem vobiscum per voluntatem Dei eram, nunc autem tempus est vt reuertar ad eum qui me misit. Neque enim* CIRCVMSCRIPTAE NATVRAE *angeli, simul esse possunt in cælo & in terra*, testibus Basil. & Dydimo: Quamuis extra cælum existentes visione nihilominus beatifica fruantur Deo, vt ex Augustino auditum est, & consonat verbo Christi, *angeli eorum semper vident faciem patris mei qui in cælis est.* Quod indicabat etiam Raphaël, cum diceret, *videbar vobiscum comedere, sed ego cibo inuisibili vtor qui ab hominibus videri non potest.* B C

8. de Gen. c. 24. cap. 26. Basil. de Spiritu S. cap. 22. Dydim. de Spiritu S. lib. 1. Matth. 18.

Porro cum hic dicatur, VT ASSISTERENT CORAM DOMINO, Raphaël vero Tobiæ dicat septem esse *qui astant ante Dominum*, & se vnum ex illis, datur intelligi istos filios Dei duos tresuè aut plures fuisse ex illis septem, & mandato expleto, ad ordinariam stationem dominique reuerentiam ac obseruantiam redijsse.

De parad. cap. 2. in Psal. 37. in hunc locum.

ADFVIT INTER EOS ET SATHAN. ad quæ verba alludens Ambr. *Nemo dicere detrectet quod diabolus fuerit in paradiso, cum legerimus*, inquit, *diabolum* IN CAELO ASSTANTEM, *cum angelis. Et alibi legimus quod cum in concilio angelorum Dominus seruulum suum Iob prædicaret, Sathan respondet, quod non gratis Iob Dominum veneraretur, qui nutu Dei omnibus abundaret*, vt non sit necesse cum Augustino quærere, vtrum Sathan inter angelos adfuisse dicatur, quia allocutionem Dei quam audiemus, non potuit nisi per ipsos audire; nam iuxta Ambr. fuit Sathan inter Angelos in cælo, per realem suam & substantialem præsentiam. SATHAN, inquit, qui à boni obluctatione sic dictus *omnium immundorum spirituum*, authore Augustino, *princeps fuit*. Quomodo autem potuit reali præsentia fuisse IN CAELO, cum mox à lapsu, è cælo sit præcipitatus? dicente Domino, *videbam Sathanam velut fulgur è cælo cadentem?* vtique, sed inde non sic præcipitatus est, vt non fuerit ipsi subinde quasi furtiuus aliquis in cælum ingressus, quem significat quod de venientibus ad Dominum dicitur, ADFVIT INTER EOS, per id enim datur intelligi quod in cælum vna cum angelis irrepserit, quo modo inter ciues ciuitatem suam repetentes D

2. ad Simplicianum quæst. 3.

tentes

A sicut oues generatione. Propter quod supra dixi Iob Camelos habuisse ad negotiandum; eo probabilius quod constet per scripturas, negotiatores merces suas per Camelos transuehere solere, nam Genes. 27. *Negotiatores per Camelos portabant aromata, Resinam & Stacten in Egyptum.* Qui itaque transtulerunt, FVIT RES PECVARIA EIVS, videntur rem propius attigisse, nam si tota possessio Iob fuit res tantum pecuaria & familia, excluseris ab illa aurum & argentum, quod non conuenit, quia oportet ipsum prius possedisse quod sibi tandem duplo fuit auctum. Quocirca & Hieronymus dicit, *Iob perdidisse marsupium, quod pecuniæ est loculamentum.* Et Ambrosius, *Nisi Iob omnem amisisset pecuniam non tantam inuenisset gratiam.* Quod ergo Tertullianus dicit Iob in pecore diuitem fuisse, quasi non in auro & argento, respicit tantum ad illa quæ scriptura expresse commemorat fuisse Iob ablata, nam quod de pecunia dicitur, ex textu, tantum, vt fecimus deducitur. Omnia interim hic accurate recensentur, *Non quod habentibus magna sint*, sed Authore Hieronymo, *contemnentibus mirabilia.* Vnde & mirabilior euadet Iob, vbi auditum fuerit quam æquo & indifferenti animo hæc sibi passus sit abripi, *Multo enim facilius est non habita repudiare quam possessa amittere, illa enim quasi oblati cibi fastidiuntur, hæc vero quasi viscera præscinduntur*, inquit Augustinus. [*siue pecuniam vt Vatablus.* *Epist. 34.* *Serm. 14. vers. 2. in Psalm. 118* *in Epitha. ph. Paulæ.*]

B

ERATQVE VIR ILLE, rebus gestis & operibus MAGNVS INTER OMNES ORIENTALES. Magnus ergo, quia magnificus, qui sensus conformis est Augustino legenti. ET OPERA MAGNA ERANT EI SVPER TERRAM. Opera inquam, quæ infra recenset Eliphas dicens, *Ecce docuisti multos & manus lassas roborasti, vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua trementia confortasti*; quæ suo loco explicabimus, Quam operum magnificentiam consectata authoritas, gratia & celebritas, fecit Authorem inter Orientales, iuxta aliorum expositionem, authoritate & gratia magnum. [*Epist. 155.* *in annotat. super Iob.* *infra c. 4.*]

C

ET IBANT FILII EIVS ET FACIEBANT CONVIVIA PER DOMOS: Quas Isaias dicit VOLVPTATVM, in suburbano, prædijs, syluis, agris, ripis ad animorum relaxationem & gaudia extructas: Basilius enim domum primogeniti Iob, cuius ruina oppressi sunt filij, appellat domum OBLECTATIONIS, fauet quod dicitur IBANT, id enim indicat, ipsos ex ordinaria statione eò perrexisse. Statio autem ordinaria ipsis erat domus paterna, dicente Cypriano: *Erat in domo Iob pignorum numerus*, ergo per IBANT, datur intelligi quod ex domo paterna in domos voluptatum sese receperint, quas singuli sibi habebant peculiares, nam infra dicitur, filijs tuis bibentibus IN DOMO FRATRIS SVI PRIMOGENITI, Quo absque dubio significatur domum hanc primogenito fuisse propriam, prout aliæ eiusdem ordinis domus propriæ fuerunt alijs filijs. [*Hom. 23.* *de oper. & eleem. num. 7.*]

D Faciebant autem conuiuium singuli IN DIE SVO; diceres aniuersario initi à singulis coniugij, si isti filij Iob fuissent coniugati, quod tamen non est verisimile, quia vxorum nullibi fit mentio, nec dicitur Iob vidisse filios filiorum, nisi postquam Dominus conuersus est ad pænitentiam Iob. Itaque IN DIE SVO, sui natalis vel suæ sortis, qui nimirum sibi, ad instruendum epulum sorte, si non natalis ordine, obuenerat.

4. ET MITTENTES VOCABANT TRES SORORES SVAS, nec vllos externos viros aut fæminas, quia hæc conuiuia, teste Augustino, signum erant charitatis fraternæ, cuius gaudijs non misceatur extraneus. vt non dicam alias fæminas aduocatas non esse ad cautelam, cui non aduersatur contubernium fratrum & sororum, nam sanguinis propinquitas, insita quadam ingenuis verecundia, solet etiam inter epulas carnis lasciuiam à consanguineis prohibere. [*in Annot.*]

A tentes, eamdem ciuibus permixti, nonnunquam ingrediuntur & hostes. Et quidem adfuit inter angelos in cælo, sic tamen vt oculi eius tenerentur, ne quid cælestis beatitudinis aut pulchritudinis videret, prout hostium nuncijs in ciuitatem admissis obligantur oculi ne videant ciuitatis statum. Voluit autem Sathan Deo conniuente, cælo, & primariæ stationi cælesti adrepere, vt quod est Apocalypſ. 12. ante tribunal Domini accusaret fratres angelorum, quod ipsi permissum esse videtur, vsque ad ascensionem Christi, quia rapto filio mulieris ad Deum & ad thronum eius, cum magna angelorum gratulatione *proiectus est draco in terram*, vt non fuerit ipsi locus amplius in cælo, ne vltra fatigaret aures angelorum calumniosis accusationibus Christianorum.

CVI, vt loquendi faceret potestatem, nam iniussus ne hiscere quidem auderet Sathan coram Domino, & simul, vt suppeditaret loquendi quam volebat materiam, B DIXIT DOMINVS, non *immediatè in æterno verbo suo, in quo,* authore Augustino, *loquutur angelis bonis, neque enim consequens est vt videant* [9. de ciuit. c. 21. & 22.] *Deum qui voces ab eo factas aliquando audiunt: Quia qui audierunt dicentem, & clarificaui & iterum clarificabo, loquentem non viderunt*, inquit Augustinus, sed [Epist. 112. c. 13.] dixit hæc Deus per subiectam creaturam, quam angelum bonum fuisse Augustinus credidit & Athan. Per quam interim Dei allocutionem nihil [August. in hunc locũ. Athan. quæst. 8. 2 ad Simp. quæst 3.] dignitatis accessit Sathanæ aut honoris, dicit namque Augustinus. *Interest quid Deus loquatur; quia & imperator cum multis innocentibus non loquitur quibus prouidentissimè consulit ad salutem, & cum multis nocentibus loquitur quos iubet interfici.* Dixit ergo, VNDE VENIS? Qui respondit, CIRCVIVI TERRAM, terræ circumferentiam, Et, quoad ipsius mediterranea, PERAMBVLAVI EAM, sic, vt non sit via callis, semita, quam non peragrauerim: Quod diabolum & dæmones ob nimiam velocitatem posse, author est Hierony- [cont. vigil. c. 2.] C mus, nec ipsis inferior Raphaël, dicit *se omnia itinera ducentia in regionem Medorum frequenter ambulasse*. Bene autem habet quod Hieronymus dicit, *Velocitatem*, nam æterna sapientia similiter dicit, *Gyrum cæli circuiui* [Eccl. c. 2.] *sola & in fluctibus maris ambulaui*, sed id, non velocitate de loco in locum vel de vbi ad vbi in momento transeunte, verum, stabilitate vbique ex integro præsente quam & insinuat cum subiungit, *in omni terra steti*, quod pro vno & eodem momento angelis bonis vel malis non potest esse commune.

Sciens autem Dominus Sathanam ista obambulasse, non otiosè, sed ad inspiciendum & obseruandum, dicente Basil. *Ex historia Iob accepimus Satha-* [de Abdic. rerum.] *nam, pugnæ caueam, vniuersam quæ sub amplissimo cæli ambitu continetur tellurem, assiduâ obambulatione perlustrare, circuireque quasi rabiosum canem quærentem quem deuoret*, Hæc inquam sciens Dominus, vt vel inde constet ipsum non D interrogare vt discat, sed scire priusquam, atque adeò quod non interrogat, dixit. NVNQVID CONSIDERASTI SERVVM MEVM, quod magni Encomij & commendationis loco ac suauis beneplaciti testimonio Dominus de Dauid exinde dixit ad Nathan vade. *Dic seruo meo Dauid.* Seruum ergo meum Iob, QVOD NON SIT SIMILIS EI IN TERRA, *tanquam omnibus qui tunc iusti esse poterant, præcellens*, inquit Augustinus. [2. ad Marc. c. 12.]

Et explicans Dominus iustitiæ ipsius præcipua capita, addit, HOMO SIMPLEX, ET RECTVS, ET TIMENS DEVM, ET RECEDENS A MALO, iuxta sensum quo hæc supra explicata sunt, quæ Elogia per hoc Domini testimonium, de Iob verissima esse comprobantur.

CVI RESPONDENS SATHAN AIT, NVNQVID IOB FRVSTRA, alij ex Hebræo GRATIS, TIMET DEVM, vno timoris nomine comprehendens

omnia

omnia quæ per complura capita recensuit Deus. Sed dicendo *frustra* aut A
Psal. 118. *gratis* declarat se sentire quod Iob seruiat Deo *propter retributionem*. Quam verò ipse iudicet illam esse, exponit consequenter dicens, NONNE TV VALLASTI EVM ET DOMVM, habitaculum siue familiam ET VNIVERSAM SVBSTANTIAM EIVS, vt non potuerit ipsi in se suisq; rebus euenire vel inferri quippiam detrimenti, te, per tuam protectionem existente ipsi pro muro in circuitu die ac nocte? OPERIBVS MANVVM EIVS BENEDIXISTI, largiendo omnibus quæ attentauit fælicem & vberem successum.

ET SVBSTANTIA EIVS CREVIT IN TERRA, quia supra modum, ad instar Isaac ditatus est homo, ibatque proficiens atque succrescens. *Tanta ergo*
in Ps. 29. *bona ei dedisti, propterea colit te*, inquit Augustinus, *Minime autem mirum si gratus sit Deo, cui tanta suppetit affluentia prosperorum: sed tunc probandum si illa amit-*
in Psal. 1. *tat vniuersa, & pij cultoris præstet officium,* inquit Ambr. Vbi vide mihi calumniam atque calumniatorem: non valens enim vllis operibus viri obloqui aut B derogare, sinistro ac temerario iudicio accusat ipsius intentionem, quasi propter fælicitatem & immunitatem temporalem seruierit Domino. Quâ vnica allegatione euertere atque diminuere nititur omnem viri iustitiam quam Dominus commemorat. Si enim Iob propter ea quæ allegauit Sathan timuerit Deum, ergo rectè quidem obtulit, sed non rectè diuisit, quia non coluit Deum propter Deum, sed vt de Cain refert Augustinus propter semetipsum, & ob id, non potuit dici fuisse iustus, quia, quod ad iustitiæ ra-
19. de ciuitat. c. 27. tionem necessariò requirit Augustinus, *non fuerit operatus iustitiam, propter veri boni finem.*

Quin & præter calumniam Sathan in faciem contradicit Domino, qui dicendo, nunquid considerasti SERVVM MEVM IOB, declarauit Iob per obsequia iam dicta non sua quæsisse, sed Domini. Si vero Sathan dicere velit; Iob propter temporalia tantum secundariò seruijsse Domino, detractione C sua non quidem euertit, sed multum imminuit iustitiam viri, dicit namque
in Psal. 1. Ambr. *Nunquid grande est si tunc diligas Dominum cum tibi abundant omnia, cum frueris optatis, liberis gaudes?* Cui consentiens Augustinus. *Minus*, inquit, *te amat qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat*. Pergit Sathan.

2. ad Simpli quæst. 1 & in Psal. 29. SED EXTENDE PAVLVLVM MANVM TVAM. Augustinus arbitratus Sathanam habentem voluntatem damnificandi Iob, his verbis petere illius faciendi copiam, per *manum*, intelligit potestatem nocendi qua ipsemet Sathan præditus est, quæ dicatur *Domini*, quia diuino obstricta est arbitratui vt operetur vel cesset, vt sensus sit, sine me manum meam in Iob paululum extendere. Ex quo aduerte ne contra vnum hominem diabolum quidquam potuisse, si non potestatem accepisset à Domino. *Nullus enim quod sua ditionis est, ab alio deprecatur*, inquit D. Antonius. Non tamen aberraris, si per *manum*, intellexeris Domini potestatem quam exerceat per semetipsum vel D quemcumque suorum. Quia verisimile est, quod, tametsi potestas Sathanæ ratione ab Augustino considerata, posset appellari *Manus Domini*, diabolica tamen superbia dedignetur ipsam illo nomine, qui magis amat dicere, *ma-*
Deut. 32. *nus nostra excelsa & non Dominus fecit hæc omnia*, præsertim quia malorum à se, permittente Domino, illatorum, se vbiq; Authorem venditat ac arbitrum, ambiens adorari & coli, (vt de Iaponia testatur Maphæus) ne noceat.

ET TANGE, læde, CVNCTA QVAE POSSIDET, NISI; pendens sententia
in hunc locum. est, inquit Augustinus, sed idem valet ac si diceret indubiè, certissimè, IN FACIEM, palam, procaciter, contumeliosè, (ô vatem veridicum!) per Antiphrasin BENEDIXERIT TIBI: *Non enim ausus fuit dicere, maledixerit, sed id*
in Ps. 36. *intelligendum reliquit*, inquit Ambr. Vsque adeo enim Iob temporalia sua diligit,

A ligit, vt ad eorundem iacturam, os suum soluat in blasphemiam. Et tunc apparebit, propter quid Iob timuerit Deum; & si vnquam illi propriè loquendo benedixerit, fuerit tantum ex illis, de quibus scriptum est, Confitebitur tibi cùm benefeceris ei.

DIXIT ERGO, *vt magnificam Sathanæ iactantiam summa seruorum suorum tolerantia retundat, sicut apparuit in Iob,* inquit Basil. Atque etiam, *quia licet Iob Deo erat probatus, victor tamen non erat. Probata erat deuotio, virtutis, tamen præmium non habebat, & ideo tentandus offertur, vt gloriosior videretur*, inquit Ambr. In cuius verbis obserua quod præmium virtutis asscribat exercitio, non autem soli internæ deuotioni: quæ quidem si exercitio vacat, assequitur beatitudinem, sed per modum finis vel complementi, non autem præmij, mercedem enim paterfamilias depactus est cum operarijs. *const. mon. c. vlt.* *in cap. 4. Luc.*

His ergo de causis, dixit DOMINVS AD SATHAN, ECCE IN MANV, potestate, TVA EST, vt illam circa Iob exerceas ad placitum & pro viribus. Dominus enim cui ante experientiam non erat occultatum os siue robur quod fecerat Iob in occulto, iam perspectum habebat ipsum cum Sathana soluto & nullatenus cohibito decertare ipsumque vincere & superare posse. Quocirca de ipso Basil. *Omnem diaboli violentiam velut torrentis impetum Iob accepit.* Voluit vero Dominus, tametsi alia media sibi non deessent, ad probandum Iob, vti opera Sathanæ: In primis quia dicit Augustinus. *Quantum nostræ intentioni Scriptura diuina moderatur, malis pœnas irrogari, & per bonos Angelos, sicut Sodomitis, & per malos Angelos, sicut Aegyptijs, legimus. Iustos verò corporalibus pœnis per bonos angelos tentari & probari, non mihi occurrit. Quia talium exercitationum conuenientiores exercitatores esse, qui per animi crudelitatem in eas sponte propendent*, idem alibi docet. Hic tamen tentationem Iob videtur Dominus peculiariter permisisse Sathanæ, vt ad ipsius arbitrium exagitatus, sine exceptione aut tergiuersatione appareret Sathanæ inexpugnabilis: facile enim alioquin fuisset detractori dicere inter angelos bonos & Iob fuisse collusionem, & ipsos præ animi dulcedine mitius tractasse Iob, tanquam sui ordinis hominem & fortis, eosque ob id circa Iob non extrema tentasse, Iob proinde magis apparere & prædicari quam esse totius aciei victorem: Se vero si licuisset, ipsum aliter exagitaturum fuisse, & in blasphemiam indubie deducturum: Atque adeo videretur sibi vicisse diabolus, nisi accepta ad libitum potestate esset ipse superatus. *Quid igitur fuit illa tentatio, nisi confessio plena nihilominus victoria, vt qui ante contradicentem habebat diabolum, postea non haberet?* inquit Ambr. *Homil. 1.* *in Ps. 77.* *83. quæst. 53.* *Serm. 14. v. 2. in Ps. 118.*

B

C

Omnibus ergo Sathanæ tergiuersationibus exceptionibusque futuris, Deus per verba, ECCE IN MANV TVA EST, obuiauit. Addit verò TANTVM IN EVM NON EXTENDAS MANVM TVAM. Quia voluit Dominus æquitatẽ animi prophetici prius per damna possessionum quam afflictionem proprij corporis declarare, vt patientia ipsius per omnia singulatim innotesceret: Et simul doceret, se potestati Sathanæ limites præscribere, quos, tametsi velit, egredi non valeat, dicente Tertull. *Habes exemplum Iob, cui diabolus nullam potuit incutere tentationem, nisi à Domino accepisset potestatem, nec in substantiam quidem eius, nisi Dominus, Ecce, dixisset, Omnia quæ sunt ei in manu tua do, in ipsum autem ne extenderis manum. Denique nec extendit, nisi posteaquam & hoc postulanti, Dominus dixisset, Ecce trado tibi illum tantum animum eius custodi. Sic & in Apostolos facultatem tentationis postulauit, non habens eam nisi ex permissu.* Hæc Tertullianus. *de fuga in pers. c. 2.*

D

EGRESSVSQVE EST SATHAN A FACIE, manifestiore hac præsentia Domini. Hoc ipso enim quod erat inter astantes coram Domino manifestante in cælis

in cælis gloriam suam, ibique audiebat alloquentis Domini vocem, erat ipsi A
præsentior, sed ratione cuiusdam manifestationis, non essentiæ, per quam Deus omnibus vbique & semper æqualiter præsens est. Quâ de causâ etiam hic dicitur Sathan egressus, non à Domino, (Quo enim ibo à spiritu tuo? si descendero in infernum ades,) sed A FACIE, siue DOMINI, quadam manifestatione, ratione cuius Cain & Ionas dicuntur eiecti esse vel fugisse à Domini facie.

CVM AVTEM QVADAM DIE FILII ET FILIAE EIVS COMEDERENT, ET BIBERENT VINVM, quod in iucunditatem creatum est ab initio, IN DOMO FRATRIS SVI PRIMOGENITI, esse proinde videretur animus Iob in filijs suis hilaris, festiuus & tristitiæ ferendæ minus opportunus aut dispositus: NVNTIVS VENIT AD IOB, QVI DICERET: BOVES ARABANT, ET ASINAE, præ pascuorum oportunitate, PASCEBANTVR IVXTA EOS, vt proinde hac in parte de negligentia non culpaueris pueros tuos: ET, ne fortè B
in ipsis argueris quod non parauerint resistere, aut se contra Sabæos munire, ex improuiso quasi de cælo lapsi, IRRVERVNT SABAEI, TVLERVNTQVE OMNIA, iam dicta pecora, ET PVEROS, palantes & per varia officia dissipatos, ne collectis tandem viribus abeuntes insecuti, prædam excuterent & recuperarent, PERCVSSERVNT GLADIO, ET EVASI EGO SOLVS. Hebræi ad exaggerationem, hic & inferius perpetuò legunt, EVASI EGO TANTVM, EGO SOLVS, VT NVNTIAREM TIBI, sic vt hac malorum tam exacta denunciatione, non parum grauatus sit Iob, quia Nuntij ne percellant, aduersa minutius quam euenerunt Dominis solent narrare.

CVMQVE ADHVC ILLE LOQVERETVR, VENIT ALTER ET DIXIT, IGNIS DEI, à Deo immissus, vt in *Sodomitas pluit Dominus à Domino ignem.* Ad quod Nuntius iste videtur respexisse, quia probabile est Iob illud familiæ suæ ad cautelam enarrasse, ignoranti interim potestatem Sathanæ in elementa, C
aut saltem Dei hac in parte permissionem. Quod verò Sathanas habeat potestatem mouere elementa motu locali, quemadmodum anima hominis, quæ etiam est creatura spiritualis, motu locali mouet membra sui corporis, author est D. Thom. Et quod ignem; satis patet ex Apocalypsi, in quâ scribitur Pseudopropheta ad mirabilium summam deducturus ignem de cælo: *ad susceptionem verò formarum non obediunt elementa aut creatura corporalis, Angelis, siue bonis, siue malis,* inquit D. Thomas, *ad nutum*, quasi ad omnia, nam ad quædam paruisse patet ex productione ranarum in Ægypto, non ad omnia testantur Cyniphes.

Gen. c. 19.

In hunc locum.

Ignis ergo Dei CECIDIT E CAELO, ET TACTAS OVES PVEROSQVE CONSVMPSIT, quod D. Thom. intelligit, ac si solo tactu ignis ista consumpsisset, & arbitratur illud virtutem naturalem ignis superasse. Sed vt non dicam posse esse sensum, TACTAS, id est vnico ictu perstrictas oues puerosque D
consumpsit, prout solet fulmen vnico ictu percellere & interimere, Alij inter quos Pagninus ex Hebræo legunt, ET IGNIS SVCCENSVS EST IN PECORA ET IN PVEROS, sic vt ex vtraque translatione appareat hic sensus: Ignis cecidit de cælo, qui primo illapsu vna aliquâ parte tangens oues puerosque, succensus est, & serpsit vlterius, & eos, non tantum saluis corporibus interemit, sed etiam corpore tenus absumpsit, quod naturali actione ignis fieri posse & solere manifestum est.

SED ET ILLO ADHVC LOQVENTE VENIT ALIVS ET DIXIT, CHALDAEI FECERVNT TRES TVRMAS, instigante Sathana, inquit Augustinus, qui hæc & alia operatur in filijs diffidentiæ: Quod in Sabæis etiam locum habuisse animaduerte: nam & illi instigante Sathana in boues & asinas Iob irruerunt:

In hunc locum.

A irruerunt: Vice versa autem, quæ de Sabæis pueros Iob occidentibus dicta sunt, etiam ad pueros Camelorum asseruatores extende. Fecerunt igitur tres turmas, ET INVASERVNT CAMELOS, ET TVLERVNT EOS, NEC NON ET PVEROS PERCVSSERVNT GLADIO, ET EGO FVGI SOLVS VT NVNTIAREM TIBI. ADHVC LOQVEBATVR ILLE, ET ECCE ALIVS INTRAVIT ET DIXIT, FILIIS TVIS ET FILIABVS VESCENTIBVS ET BIBENTIBVS VINVM IN DOMO FRATRIS SVI PRIMOGENITI, Quod cladi exaggerandæ non parum adducit; dicit namque Basil. *Vnâ & eadem plagâ obtriti sunt liberi decem in delectabili, & perquam amœna domo, quo potissimum tempore se mutuiter oblectabant, hoc in istos geniale illud domicilium decussit diabolus. Mensam liberorum sanguine madentem ac permistam Iob contemplatus est.* Hæc Basil. REPENTE, sed vt de igne dictum est, opera Sathanæ, VENTVS VEHEMENS IRRVIT A REGIONE DESERTI, ET, ipso Sathana ventum impellente & dirigente, CON-

B CVSSIT QVATVOR ANGVLOS DOMVS, QVAE CORRVENS, OPPRESSIT LIBEROS TVOS, ET MORTVI SVNT, ET EFFVGI EGO SOLVS, VT NVNTIAREM TIBI.

Hom. 4.

Non occidit autem Sathanas vxorem Iob, tametsi, Domino dicente, ECCE VNIVERSA quæ habet in manu tua sunt, tantum in illum non extendas manum, etiam in ipsam habuerit potestatem; quia creditur ipsam voluisse reseruare ad tentationem Iob, de quâ audiemus, prout docent August. Ambr. Hieron. Imo videtur Sathanas vna cum vxore reseruasse seruos & ancillas domesticos Iob, atque adeò domum, quam cum vxore solitus erat inhabitare. Audiemus enim capite 19. *Inquilini domus meæ*, &c. *Et seruum meum deprecabar*, &c. Et capite vltimo, *Venerunt qui nouerant eum prius, & comederunt cum eo panem in domo eius.* Quæ domus cum non potueri ex ruina subitò assurrexisse, nec à Iob ad id vsque tempus vlceroso, & omnibus rebus exuto esse à fundamentis instaurata, videtur cladi reliquæ sola

August. in Psal 103. Ambros. 1. de Interp. c. 2. Hieron Epist. 34.

C superfuisse. Quod ergo Augustinus dicit, Iob AMISSA DOMO sedisse in stercore, intellige, domum ipsi fuisse amissam, non ruinâ, sed repulsa, quia ob vlcera, saniem & fætorem à domesticis domo propriâ inhumaniter pulsus est.

In Ps. 103. con. 4.

Porrò procurauit Sathan omnia hæc simul euenire & nuntiari, vt malorum simul irruentium pondere, patientia Iob obrueretur, nec haberet tempus respirandi, & colligendi patientiæ vires. Sed quid? *Ipse ad singulas plagas ferebatur immobilis, complens in se illud de sapiente præconium; Si fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ*, inquit Hieron. & Basil. *Demolitus quidem est Sathan rerum Iob prosperitatem, ipsum verò crebris & irremissis calamitatum rumoribus obruere statuit: Adhuc enim priore, quid calamitatis accidisset nuntiante, alius Nuntius maiorum malorum tristitiam adferens adueniebat; atque ita calamitas calamitati coniuncta erat, vt similes fuerint crebris fluctuum insultibus. Iustus verò*

D *quasi quoddam saxum, tempestatis impetum fortiter excipiens, & fluctuum vim in spumam commutans, stabat immotus.* Hæc Basil.

Hieron. Epist. 34. Basil. Homil. 23.

TVNC, auditâ morte filiorum in habitum lugentium, SCIDIT VESTIMENTA SVA, nam & Adolescens qui nuntiabat mortem Saul & Ionathæ, velut lugens venit veste conscissâ, atque David & viri qui cum ipso erant luctum arripientes, sciderunt vestimenta sua: iuxta quod etiam Dauid ob mortem Abner mandauit suis scindere vestimenta. Ex aduerso autem Pontifex veteris testamenti vetabatur in vllum funus vestimenta sua scindere: vnde probabiliter conijcies rupturam vestimentorum Pontifici illius temporis non per omnia vetitam fuisse, sed tantum CAVSA MORTIS, quodque Caiphas, ad blasphemiam, quam putabat, Christi, vestimenta sua scindens, mandatum summis Sacerdotibus datum non fuerit præuaricatus:

2. Reg. 1.

vt quibus interdictum fuerit vestimenta scindere in deplorationem mortis, A non in detestationem blasphemiæ.

Et, ad complendam lugentium formam, TONSO CAPITE, quod nisi lugubre circa illa tempora fuisset, Pontifex veteris Testamenti non fuisset prohibitus in vllum funus caput radere.

CORRVIT IN TERRAM, nunquid deliquio? alij vertunt, prostrauit se in terram, ET ADORAVIT, alij, INCVRVAVIT SE. Ista igitur fuerunt de genere actionum humanarum, nec religionis, sed luctus; nam primò quidem se prostrauit in terram pronus, deinde super genua & articulos manuum, ad instar Danielis erigens semetipsum, incuruauit. Quod noster interpres vertit, 4.Reg 5. ADORAVIT. Nec inusitatè, nam & Naaman Syrus dicens Elizæo, *Si in templo Remmon adorauero*, non postulat licentiam idololatrandi, sed obsequendi, vt nimirum absq; scrupulo conscientiæ possit ad obsequium regis, idolum corporis incuruatione adorantis, vnà cum ipso se coram idolo incuruare. B

Hunc autem luctum induit atque assumpsit Iob, *vt paternum in filios declararet affectum*, inquit Hieron. *Et se liberorum amantem*, inquit Basil. Idque opportunè, ne alioqui ostensa circa damna rerum tranquillitas, asscriberetur stupori magis quam virtuti: vel illorum malorum magnitudo, crederetur Iob conciliasse indolentiam, prout medici vbi dolor excelluerit *inducunt stuporem*, inquit Basil. Et quidem præfati Patres hunc luctum Iob asscribunt tantum internecioni filiorum, mirum verò si non etiam oppressioni tot suorum puerorum siue seruorum, quos nisi bonus paterfamilias admodum dilexisset, ad cumulum malorum rei pecuariæ illatorum, non dixissent nuntij, PVEROS PERCVSSERVNT GLADIO. Nec tamen in quenquam interemptorum inuenitur dixisse Iob, *Quis mihi det vt moriar pro te*, nam ob ea quæ de filiorum disciplinâ & religione paulò antè audita sunt, arbitratus est *ipsos dormitionem cum pietate accepisse*; eo magis quod cum transactis conuiuijs C ad præscriptum Patris se solerent expiare, idipsum, ex improuiso occumbentes habuerint in præparatione animi, cuius actum, non contemptus religionis, sed necessitatis excluserit articulus: vt sperandum fuerit quod pœnitentiæ fructum quem voluntas eorum optauit, PRAEVENTI MORTE, prout quibusdam locis canit Ecclesia, non perdiderint. Ad consolationem vel æquanimitatem accedebat, *quod futuri fortè improbi rapti essent filij ne mutaret malitia cor eorum*, inquit Ambr.

In habitu ergo & ritu lugentium, patientiā religiosa mentis ostendens, inquit Cypr. *Et contra damna rerum, tanquam cui nihil præter naturam accidisset*, inquit Ambr. *sese consolans*, Dicit Iob, NVDVS EGRESSVS SVM DE VTERO MATRIS MEAE, ET NVDVS REVERTAR ILLVC: in terram tanquam ventrem matris omniū sicut scriptum est, *Omnis homo de solo & de terra vnde creatus est Adam*. Omnes enim ex origine terrigenæ. Quid verò? nunquid ob id nudus viuere poteris? D nequaquam, sed, cum ab Apostolo dicente, *Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possumus*, idipsum paribus verbis dictum sit, ipse verò inde inferat, *habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti simus*, credas Apostolum suis verbis sensum in quem hæc dixit Iob aperuisse, quasi dixerit, *Cum nudus egressus sim de ventre matris meæ, & nudus reuertar illuc*, habens adhuc in superstite mihi domo ac re familiari victum, & quibus tegar; vel, illa mihi tanto filiorum & puerorum onere subleuato, viuens & valens possim comparare, æquum est vt ijsdem sim contentus.

Ne verò filiorum ac puerorum internecionem videretur tacitus præterijsse, subiungit, DOMINVS, vt author vitæ, DEDIT, mihi filios, vt me dicere oporteat illud Ioseph: *Pueri sunt quos donauit mihi Dominus*. DOMINVS, vt arbiter

Marginalia: Epist. 34. — Basil. Homil. 23. — Epist. 5. — 2. Reg. 26. — 2. Machab. 12. — Serm. 9. versic. 5. — De mort. num. 3. — 1. Offic. cap. 38. — Eccl. 33. — 1. ad Timoth. 6. — Gen. 33.

A arbiter mortis, ABSTVLIT: *Nemo enim in hunc mundum venit, neq; ab hoc mundo exit, nisi eo ortu atque discessu, quem rerum arbiter secundum altissimam scientiam suam sapientiamque decernit*, inquit Prosper. SICVT, non dicit mihi vtile fuerit, sed, DOMINO PLACVIT ITA FACTVM EST, *quia, ad exhibitionem obsequij prior est* (prius in considerationem venire debet) *Majestas diuinæ potestatis, prior auctoritas imperantis, quam vtilitas seruientis*, inquit Tertull. Sic, vt tametsi Dominus non ad meritum, sed ostensionem herilis suæ potestatis, pro solâ sua voluntate, voluisset pueros Iob, *Morti*, quod dicit Prosper, *quauis horâ quouisue modo obnoxios*, interimere, Iob illi diuinæ voluntati gessisset morem. Nec tamen inutiliter, quia diuinæ voluntati sine respectu propriæ vel temporalis vtilitatis parêre, & se commodum præbere, miro modo in summam obsequentis desinit vtilitatem. *2. de vocat. Gent.* *de pœnit. cap. 4.* *loco Alleg.*

Et quidem plerique intelligunt Iob hæc dixisse ratione ablatarum rerum.
B Sed Ambr. dicens, *In amissionibus filiorum vel patrimonij, dicebat, Dominus dedit, Dominus abstulit*, vidit hæc verba vtroque referri posse. Basil. vero Ambrosij dubium ad filios determinans verba Iob enarrat in hunc modum. *Dicebat Iob, Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, tantum non clamans ad hunc modum: Vocatus sum illorum pater, tantisper dum ille qui me condidit, voluit. Iterum mihi stirpis auferre coronam statuit. Non illi repugno quo minus sua auferat, quod Domino videtur, hoc obtineat. Ipse generis huius plastes est, Ego sum organum. Quid necesse est cum seruus sim, frustra quod factum est ægrè ferre, & decretum, quod irritum facere nequeo, incusare? Huiusmodi verbis iustus diabolum quasi iaculis quibusdam confecit*. Hæc Basilius. Cuius enarrationem reliquis præfero, ne alioqui videatur Iob in internecionem suorum nihil dixisse. *Ambros. in Psal. 118. Serm. 10. vers. 5.* *Hom. 23.*

His suæ æquanimitatis ac fidei verbis adiungens insuper gratiarum actionem (prout Tobias tempore suæ aduersitatis gratias egit Deo) dixit, SIT
C NOMEN DOMINI BENEDICTVM, q. d. benedicatur Dominus ad omnem sui nomenclationem, prout fecit Apostolus, qui, facta Dei in suis Epistolis mentione, mox subiungit. Qui est benedictus in sæcula. Porrò, in hæc Prophetæ verba pulchrè ludens, Ambr. ostendit Sathanam in suis verbis captum esse, ipsaque illius verba in sensum contrarium euenisse, & dicit, *Misit Dominus manum suam in seruum suum, & manum peccatoris* (Sathanæ) *quam in eum accepta miserat potestate, brachiumque contriuit. Ita diabolus suo sermone deceptus est. Mitte*, inquit, *manum tuam, & videamus si in faciem te non benedicat. Misit Deus manum suam & confirmatus est Iob. Cæpit benedicere qui maledicere credebatur. Sanat enim iustos cum tangit manus diuina, non vulnerat*. Hæc Ambr. Itaque Sathanas ipse suo sermone deceptus est, quia per manum Domini quæ in propria significatione etiam est auxiliaris, prouenit Prophetæ auxilium, quô corroboratus, in proprio ac directo sensu benedixit Domino. Vt ad Regis *In psal. 36.*
D Balac verba alludens complosis manibus dicere posset Sathan, *Ad maledicendum damnificatus es, & tu è contrario benedicis?* *Num. 23.*

IN OMNIBVS HIS, quæ acciderunt Iob, legit, cum 70 consentiente Cypr. & Hieron. Aug. NON PECCAVIT IOB LABIIS SVIS, NEQVE STVLTVM QVID CONTRA DEVM LOCVTVS EST. Quæ contigerunt ei, inquit, postea enim cum ei loqueretur, increpauit eum Dominus. *Nemo autem iustè increpatur, nisi in quo est aliquid increpatione dignum*, inquit Augustinus. Videtur ergo Iob infra dicens, INSIPIENTER LOCVTVS SVM, IDCIRCO IPSE ME REPREHENDO ET AGO POENITENTIAM IN FAVILLA ET CINERE, labijs aliquando peccasse: & ob id ne in nostra quidem lectione simpliciter dicitur, non peccauit Iob labijs suis, sed additur, In omnibus his, quod alia lectio paraphrasticè exponens, adiecit, quæ contigerunt ei. *Cyprian. de Mort. n. 3.* *Aug. 2. ad Marc c. 10* *Hieron. Epist. 34.* *Infra 42.*

A

CAPVT II.

FACTVM EST AVTEM CVM QVADAM DIE VENISSENT FILII DEI, ET STARENT CORAM DOMINO, VENISSET QVOQVE SATHAN INTER EOS, ET STARET IN CONSPECTV EIVS, VT DICERET DOMINVS AD SATHAN, VNDE VENIS? QVI RESPONDENS, AIT: CIRCVIVI TERRAM, ET PERAMBVLAVI EAM. Quæ eundem sensum habent, cum paribus superioris capitis verbis. Et, *Exultans in victoria serui sui, & ipsius patientiam*
Epist.34. *suum ducens triumphum*, inquit Hieron. *Atque adeò illudens Sathana, quod dissipasset omnia quæ habuerat Iob, ipsum tamen mouere de virtutis statione nequaquam po-*
in Ps.36. *tuisset*, inquit Ambr. DIXIT DOMINVS AD SATHAN, NVNQVID CONSIDERASTI SERVVM MEVM IOB, QVOD NON SIT EI SIMILIS IN TERRA, VIR SIMPLEX ET RECTVS, AC TIMENS DEVM, ET RECEDENS A MALO, B
& tot rerum suarum damna vno & eodem tempore perpessus, ADHVC RETINENS INNOCENTIAM? Per exaggerationem dicit ADHVC, *difficile est enim pressam malis innocentiam retinere, & hoc ipso fide non periclitari, quod se videat in-*
loco Alleg. *iuste sustinere quod patitur*, inquit Hieron. Difficilè, inquam, ex errore vel in-
De anima cap. 1. firmo iudicio hominum, quo cum reliquis, quod refert Tertull. laborabat vxor Socratis, cum ipsi ad mortem iniquè damnato muliebriter inclamaret, Iniustè damnatus est Socrates: Nam ipse digno Christianis ore respondit, Malles iustè? Sapienter obseruans aduersa minus premere, quando non est peccatum in conscientia. Tunc enim corde tacito mens bene conscia conseruat patientiam; meditata, non castigationem quam exercet Deus (quod æquo animo non parum infert tolerantiæ) sed victoriam & coro-
1. cap. nam de quâ Iacobus, *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se*, dicente Am- C
1. de interpr. cap.4. brosio, *Vnum solatij genus est in dolore & amaritudine constitutis culpa vacare, vt ea quæ perpetiuntur aduersa, non ex delicti pretio sustineri videantur.* Hæc Ambrosius, *Tu autem ad æmulationem, commouisti me*, vt ad retundendam, quod paulo ante dixit Basil. *Iactantiam tuam iudicandique temeritatem*, AFFLIGEREM EVM, & vt euentus docuit, FRVSTRA, nihil enim euenit eorum quæ certo euentura præsumpseras, sed contraria omnia, nam & Iob iacturam rerum suarum sustinuit patienter, & loco maledictionis quam exspectaras benedixit Domino.

CVI RESPONDENS SATHAN AIT, PELLEM PRO PELLE, q. d. non rem magnam præstitit Iob, parum enim est homini aliena pelle carere, modo
Epist.34. seruet suam. Dicit namque Hieronymus, *Sathan audacter Dei renuit prædicationem, & dixit nequaquam Iob debere laudari, qui nihil de se, sed totum extra se dederit, qui pro corio suo coria obtulit filiorum; & deposuerit Marsupium, vt fruatur* D
corporis sanitate.

Quin & CVNCTA QVAE HABET DABIT HOMO PRO ANIMA SVA, animæ suæ sensitiuæ pace ac quiete quæ ex corporis oriatur incolumitate: prout patet in muliere Euangelica quæ omnes facultates suas expenderat in medicos. Dabit etiam homo omnia quæ habet pro anima sua, id est, vitæ suæ tem-
Epist.45. poralis conseruatione, vt patet ex ijs de quibus Augustinus, *Cum Roma domicilium clarissimi Imperij Barbarico vastaretur incursu, quam multi huius vitæ temporalis amatores, vt eam vel infeliciter producerent nudamq́; redimerent, dederunt omnia quæ illi non solum oblectandæ & ornandæ, verumetiam sustentandæ tuendaque seruabant. Nec eorum reprehendo consilium. Qui enim nesciat perituram fuisse ipsam, si non ea perissent quæ recondita fuerant propter ipsam? Quamuis & quidã perdiderint prius illa*

& mox

A *& mox ipsam, quidam verò licet parati cuncta perdere propter ipsam, prius perdiderunt ipsam.* Dum ergo hæc ita se, nec improbabiliter habeant, diceret Sathan, Non debuit vsque adeo extolli Iob, qui damna rerum perpessus pellem & animam suam seruauit incolumem. ALIOQVI, præter hæc, MITTE MANVM TVAM ET TANGE, leui incommodo perstringe OS ET CARNEM EIVS, & ausim tibi affirmare quod per impatientiam, IN FACIEM, palam improbè & audacter [per Antiphrasin] BENEDIXERIT TIBI. Domininus autem non ignorans quod exinde Ambros. scripsit, *Fortior in suo corpore tentatur, infirmior in alieno. Et fortaße quia infirmiorem me Dominus Deus nouit, adhuc in corpus meum non dedit potestatem, etsi ipse cupiam, etsi offeram. Adhuc me fortaße huic certamini imparem iudicat, & diuersis exercet laboribus. Nec Iob ab isto cœpit certamine, sed in hoc consummauit: & quem cum tentatione in seruo suo fecerat prouentum, nouerat.* Epist. 33.

Hæc ergo non ignorans Dominus, *& prospiciens athletam suum virumque for-*
B *tissimum etiam in isto extremo perfectoque certamine non posse superari*, inquit loco allegato Hieronym. Temeritate ac inuida suspicione Sathanæ ad æmulationem iterum prouocatus, ECCE, inquit, IN MANV TVA EST, vt non solum os & carnes ipsius leuiter tangas, sed si vis, *totis*, inquit Tertulli. *viribus ipsum cædas.* De Pœnit. cap. 14. VERVMTAMEN ANIMAM ILLIVS SERVA, ne aut sensus exteriores ipsi euertas vel obstupescere facias, id enim ipsum redderet doloris, & per consequens tolerantiæ expertem, dicente Cypriano, *Nisi adesset sensus dolorum, nihil haberet admirabile Martyrium, scilicet, superare dolorem corona dignum est.* De duplici Mart. nu. 6. Sed nec mentem ipsius statu moueas, id enim ipsum redderet expertem meriti dicente Hieronymo. *Caro sancti viri datur in diaboli potestatem vt animæ sanitas reseruetur. Ne si illud percussisset in quo sensus est mentisque iudicium, ipsius blasphemia (si fortè euenißet) non esset culpa peccantis, sed eius qui statum mentis euerterat.* Epist. altera. Hæc Hieronym. Similiter ex altera parte si Sathan percussisset
C illud in quo sensus est mentisque iudicium, tolerantia ipsius & gratiarum actio non fuisset meriti, quia ex reliquijs quibusdam insitæ pietatis, non ex libera voluntate prouenisset.

Quandoquidem verò Sathan animæ nomine supra designauit animæ sensitiuæ pacem atque etiam ipsius hominis vitam, ne Dominus dicendo, ECCE IN MANV TVA EST, apprehenderetur fecisse Sathanæ potestatem, per varias corporis afflictiones interimendi Iob, adiungit, VERVMTAMEN ANIMAM vitam ILLIVS temporalem SERVA. Contra quod, ne qui dixit, PELLEM PRO PELLE, hic iterum diceret, Os & carnem dabit, & cuncta acerba tolerabit homo pro anima, vita temporali, sua, dicente August. *Amatur qualiscumque ista vita, & ipsam qualemcumque ærumnosam, miseram homines finire timent & pauescunt:* Serm. 104. de temp. Ne, inquam, hæc obijceret Sathan, occurrit Iob, & capite 6. dicit, QVIS MIHI DET VT VENIAT PETITIO MEA, ET QVI COEPIT CONTERAT,
D SOLVAT MANVM SVAM, ET SVCCIDAT ME: declarans sibi in votis esse extrema ad mortem vsque, imò mortem ipsam secundum Dei voluntatem subire: proinde vt iuxta doctrinam Cypriani, *Confessorum qui etsi torti non sunt in carcere, tamen glorioso exitu mortis excedunt, neque virtus aut honor minor est, quo minus ipsi quoque inter beatos Martyres aggregentur, quia, quod in illis est, tolerauerunt quidquid tolerare parati & prompti fuerunt: & qui se tormentis & morti sub oculis Dei obtulit, paßus est quidquid pati voluit: non enim ipse tormentis, sed tormenta ipsi defuerunt.* Epist. 37. Vt, inquam, hæc de Confessoribus Cyprianus, ita de Iob dicas ipsum passum esse quicquid pati voluit, & optauit, vt à plenitudine passionis & ipsius patientiæ, ne vlla quidem pro parte, fuerit Sathanæ exceptio. Ex quo consequitur Dominum dixisse, ANIMAM ILLIVS SERVA, non ad parcendum, sed alijs adhuc temporibus & virtutum operibus reseruandum Iob.

Nihilominus Gregorius per verba ANIMAM ILLIVS SERVA, arbitratur Sa- A
thanæ mandatum fuisse, ne manum suam in Iob extenderet, supra quam ipse
posset sustinere, ne alioqui laberetur in peccatum, animæ rationalis interi-
1. ad Cor. tum, quasi Dominus hic præstet illud Apostoli, *Non patietur vos tentari supra*
10. *quam potestis.* Interim, in quemcumque sensum hæc verba acceperis memo-
1. de Pœni- rare illud Ambrosij, *Quanta vis Christi, vt custodia hominis imperetur etiam ipsi*
tent. c. 13. *diabolo, qui semper vult nocere?* Qua de re infra in cap. 39. circa Rhinocerotem
audiemus Ambrosium plura dicentem.

EGRESSVS IGITVR SATHAN A FACIE DOMINI, PERCVSSIT IOB VLCE-
RE PESSIMO, *acerbissimo dum constringitur, fœtidissimo dum* (vt Tertulliani ver-
bo vtar) DISTRINGITVR, siue dirumpitur. Nam ipse Iob ad manum non
habens vel linteolum, TESTA RADEBAT SANIEM, ruptis vlceribus defluen-
tem. Quo vlcere Sathan percussit Iob, A PLANTA PEDIS VSQVE AD VER-
1. cap. TICEM EIVS, vt in toto corpore, *non esset*, quod dixit Isaias, *sanitas.* Ra- B
debat autem saniem Iob, SEDENS IN STERQVILINIO, Quo abominabi-
cap. 19. lem (*abominati sunt me quondam*, inquit, *consiliarij mei.*) velut quoddam cada-
uer, domestici expulerant, ipso dicente. INQVILINI DOMVS MEAE ET AN-
CILLAE MEAE SICVT ALIENVM HABVERVNT ME, ET QVASI PEREGRI-
NVS FVI IN OCVLIS EORVM. Nec solum VLCERE PESSIMO, sed Sathan
insuper percussit Iob totius carnis putredine, ipso infra dicente, Induta est,
Caro mea putredine, vt proinde dicant veteres, è corpore vermes ebullijsse, di-
De Bon. cente Cypr. *Tabescentes ac fluentes artus edax quoque vermium pœna consumit.* Et
Pat. nu. 7. in Ps. 103. Augustino. *Contabescebat putredine, scatebat vermibus.* Et Basil. *Sathan corpore*
conc. 4. *Iob infandis plagis cæso, effecit vt quasi ex quodam fonte, vermes ex ipso scaturirent:*
Hom. 23. *Qui nocte ac die carnes ipsius rodebant*, ipso infrà dicente. QVI COMEDVNT
cap. 30. ME, *non dormiunt.* Erumpentes autem bestiolas, (*vt aliquid passioni suæ adderet,*
quo acerbare ipse sibi supplicia non timeret, quale quid exinde fecit D. Petrus postulans C
De Inter- *crucifigi inuersus*, inquit Ambros.) *in eosdem specus & pastus foraminosæ carnis lu-*
pell. c. 1. De Patient. *dendo reuocabat*, inquit Tertull. Quod incredibile diceres, nisi astruatur exem-
c. 14. plo. In primis Simeonis Stylitæ, de quo scribitur in hæc verba; Quidam Iu-
uenis astitit ei, Antonius nomine, qui vidit & scripsit hæc. Iuxta præceptum
illius colligebat vermes, qui cadebant ad terram, porrigebatque illi (stanti
in columna) sursum. At ille ponebat eos sibi in ipso vulnere, ad similitudi-
nem iusti Iob dicens: Manducate quod vobis Dominus dedit. Refert etiam
lib. 3. c. 1. expeditio Sinensis R. P. Ricij, Sinas narrare, fuisse apud ipsos quendam Lu-
sum nomine, opinione sanctitatis florentem, quam ipsi conciliauerat asper-
rima vitæ ratio. Nam æterna catena super nudam carnem cinctum, narrant,
orizam cribrare, & de more conterere solitum, quantum Cœnobijs mille
sufficeret ad victum quotidianum. Ex ea catena caro computruerat, vsque
adeo, vt vermes ex ea scaturirent, è quibus si aliquis fortassis in terram deci- D
deret, ab eo reponebatur dicente, An tibi deest quod edas, quid tibi venit in
mentem? Propter quod à morte phanum & Cœnobium in sui memoriam
ac cultum obtinuit. Nunquid autem ipsum huic nostro Prophetæ patientia
ac virtute comparaueris? Absit. Infidelibus enim patientia claris existimo
De Bon. competere illud Cypriani. *Tam illic patientia falsa quam & falsa sapientia est.*
Pat. nu. 1. *Vnde enim vel sapiens esse, vel patiens possit, qui nec sapientiam, nec patientiam Dei*
nouit? Quare si sapientia illic vera non est, esse non potest & vera patientia, sed inso-
lens affectatæ libertatis audacia, & exerti ac seminudi pectoris inuerecunda iactantia.
2. Can. 17. Hæc Cyprianus. *Fortitudinem enim Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem*
De Spir. & *Christianorum Dei charitas facit*, inquit Concil. Arauf. Si tamen Lusus iste abs-
lit. c. 27. que iactantia id fecerit solo amore virtutis moralis, dicam de ipso illud Au-
gustini.

A gustini. *Qui naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, quid eis proderunt excusantes cogitationes in die quâ iudicabit Deus occulta hominum, nisi forte vt mitius puniantur?*

His itaque modis Sathan afflixit CARNEM IOB. An verò qui dixit tange OS EIVS, potestate accepta, nihil ossibus ipsius inflixit? Id quidem non constat ex hoc capite, sed manifestum euadit ex sequentibus, vbi, prout & alibi Iob, priorum capitum compendia vberius enarrans, dicit inter cætera. *Nocte* cap. 30.
OS MEVM *perforatur doloribus. Et, ossa mea aruerunt præ caumate, calore siue ardore*; iuxta illud plorantis Ieremiæ, *de excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit,* Thren. 1.
castigauit me. Quæ plaga si peccatoribus foret infrequens, non dicerent, *Conturbata sunt omnia ossa mea, &, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Psal 6. Psal 37. Et potest euenire, vt quemadmodum de eo qui prosperrima fruitur valetudine, infrà dicitur, *Medullis ossa illius irrigantur*, ita de eo quem castigat cap. 21.
Deus infrà dicit Eliu, *Omnia ossa, medullis intus tabescentibus, marcessere facit.* cap. 33.
B Quale quid probabile est Iob perpessum, eò quod dicit PERFORATVR, Quo indicatur dolorem ossa penetrasse, quomodo autem, si non cruciatur medullitus? Sed malorum nondum finis. Affligitur enim Prophetæ corpus, nunc autem impetitur ipsius animus vt inueniatur vsque ad sanguinem dicam vel saniem? restitisse peccato.

Tot ergo malis, inquit Tertull. *delassata, & prolixi temporis impatiens, manibus* De Patient. cap. 14.
super his quæ videbat complosis, inquit Basil. DIXIT ILLI VXOR SVA, ad id, vt Hom. 23.
diximus à diabolo reseruata, & vt creditur instigata, sperante, vt per mulierem ad peccandum Adam seduxit in Paradiso, multò facilius se posse per mulierem ad peccandum impellere Iob in sterquilinio. Dixit inquam, ADHVC, tot malis pressus, PERMANES IN SIMPLICITATE TVA? nec tanta circa te facta mutatione, alia arripis consilia? *Manifestè enim iam vana facta est spes tua,* qui vt infrà dicit Eliphas, *Putabas te tenebras non visurum, & impetu aquarum* cap. 22.
C *inundantium non oppressum iri.* Cum ergo hæc spes tua te fefellerit, frustra in eodem perseueras, imò tuam simplicitatem in stoliditatem conuertis. Audi proinde verba mea, &, per Antiphrasim, BENEDIC DEO, indignationeque ipsius sic in te prouocatâ, ab ipso percussus MORERE, & tantis malis compendio finem impone. *Melius enim arbitrabatur & vtilius si Iob impijs verbis irati conditoris gladium contra se exacueret, atque ita seipsum tolleret de terra*, inquit ibidem Basil. Et Augustinus, *Vxor Iob illum mori per eius blasphemiam Deo irascente* 2. contra Gaudent.
cupiebat, tamen vt ipsese occideret, ei dicere non audebat. cap. 22.

QVI, *istis verbis magis quam aliquo priorum malorum offensus, & oculis animi commotionem attestantibus, ad vxorem tanquam hostem conuersus*, inquit ibidem Basilius, AIT AD ILLAM; QVASI VNA DE STVLTIS MVLIERIBVS LOCVTA ES, SI BONA SVSCEPIMVS DE MANV DOMINI, MALA AVTEM QVARE NON SVSTINEAMVS? Ex ore enim altissimi non egredientur bona & mala? Eccl. c. 27.
D *Cogemusne ergo iudicem vt per omnia æqua nobis & paria perpetuo sufficiat?* inquit Basil. *& non potius in die malorum esse debemus memores bonorum*, atque memoria ac recordatione bonorum mala æquanimiter ferre, hac præsertim contemplatione quia in bonis præueniendo, meretur Deus vt & mala de manu ipsius exercentis vel castigantis suscipiamus? Cum ergo hæc ratio dictet, locuta es quasi vna de stultis & ratione non vtentibus mulieribus: Atque ita, *vxor quidem inuenta est Eua, Iob verò ne quidem in sterquilinio inuentus est Adam,* inquit Augustinus. Et alibi, *Adam victus in Paradiso, Iob victor in stercore. Ibi victus* in Psalm. 103 conc.
est à diabolo per mulierem, hic vicit diabolum & mulierem. Hæc Augustinus. Sed 4. & in Psalm. 34.
quamuis *rerum damno vrgeretur diues, dispendio filiorum Pater, homo doloribus, corpus vlceribus*, inquit Ambr. *Maritus iurgijs, immobilis tamen in Dei timore perman-* In c. 4. Luc.
sit, gratias agens omni, tam aduersitatis quam prosperitatis, vt declarat Augustinus, In Psal 33

 tempore,

De patient. cap. 14. *tempore*, In quem proinde Tertull. *O fœlicissimum virum, qui omnem patientiæ speciem aduersus omnem diaboli vim expunxit. Quem non abacti greges, non illæ in pecore diuitiæ, non filij vno ruinæ impetu adempti, non ipsius denique corporis in vulnere cruciatus, à patientia (fide Domino dedita) exclusit.* Quale in illo viro feretrum Deus de diabolo exstruxit? vt nimirum in diabolo, iure victoriæ sibi substrato, quasi in curru quodam triumphali per oculos & ora omnium, ad triumphum æternum, toto orbe terrarum victor indesinenter circumferatur, Sathanæ conditione in deterius mutatâ: si enim olim fuerit ex ordine Cherubim, & proinde ad gloriam suam currus Dei, nunc ad ignominiam suam sit currus hominis insultabundi. A

Cap. 2. IGITVR AVDIENTES TRES; Reges teste Tobiâ, quod perpetuo agnoscit Ambr. AMICI IOB, *specie*, inquit Ambr. *obtrectatione autem iniqui, probitatis atque iustitiæ Iob inuidi, exprobantes grauia opprobria*, Cum tamen infrà dicat Iob; *Miseremini mei saltem Vos amici mei*, videtur ipsos vt verè amicos agnouisse. Tales namq; erant per mutuum amorem fundatum super communione sapientiæ, scientiæ, politiæ. Cui fauet quod Dominus in calce libri huius, ipsos non arguit simulationis aut inuidiæ, sed tantum quod non essent *locuti coram ipso rectum:* falsam enim sustinuerant sententiam, & in ipsa disputatione contra Iob sese insolentius erexerunt, atq; acerbius in ipsum inuecti sunt; propter quod Dominus ad intercessionem Iob eis ignouit, id non tam facilè facturus si inuidi fuissent, *inuidorum enim aspernator est Dominus*, inquit notâ sententiâ, Ambros. Nec tamen istud Ambrosio aduersatur, non enim dicit simpliciter quod Reges fuerint amici Iob in specie, addit verò, *Ad huius vitæ specimen extrahendum.* Communi autem sermone quod efformatur siue effiguratur, dicitur *extrahi*, illis ergo verbis insinuat Ambr. Amicos Iob inuidos fuisse aut fictos, tanquam inuidorum & fictorum huius sæculi figuram & formulam præ se ferentes: *In quo, si filium amittat iustus, si patrimonium, si diuersis afficiatur incommodis rerum, vel corporis infirmitatibus, dicunt superbi, vbi iustitia est eius, vbi misericordia? Ecce, quia sic mulctatus est. Ecce, quia innocentia eius nihil ipsi prodest.* Ad quem modum ex altera parte, etiam Iob in sua disputatione frequenter loquitur, *Ad extrahendum specimen*, siue vt vulgo loquimur, in persona infirmorum, vt quemadmodum Apostolus in se & Apollo transfigurauit æmulationem Corinthiorum, ita Iob in se suisque amicis infirma sæcularium. Iuxta quod Hieron. dicit, *Prophetam Abacuc impatientiam humanam in sua persona exprimere*, sicut frequenter videmus Apostolum varias hominum in se recipere sententias & contentionem Corinthiorum in se & Apollo transfigurare. Tres ergo amici Iob, AVDIENTES OMNE MALVM QVOD ACCIDISSET EI, vagabatur enim fama rei tam prodigiosæ, insolitæ & acerbæ pariter irruentis, per ora omnium, vt ex eâ tandem per ora eorundem volueretur prouidentia & potentia Dei, æquanimitas & patientia viri: D

Serm. 9 v. 5. in Psal. 118.

Cap. 19. B

Cap. 42.

C

In cap. 1. Abacuc.

VENERVNT SINGVLI DE LOCO SVO, cui præsidebant, ELIPHAZ THEMANITES, ET BALDAD SVTHITES, ET SOPHAR NAAMATHITES. De quibus, si quæras quomodo aut per quid singuli de loco suo in idipsum temporis & viæ conuenerint, adiungitur, CONDIXERANT ENIM VT PARITER VENIENTES VISITARENT EVM, ET CONSOLARENTVR. Non ignorabant enim amicorum, præsertim præpotentium studium, præsentiam & alloquium exhilarare, ipsamque amicitiam probatam reddere.

CVMQVE ELEVASSENT PROCVL OCVLOS SVOS, NON COGNOVERVNT EVM, Nihil enim formæ pristinæ in ipso obseruare potuerunt: *Facies enim eius*, vt infrà audiemus, *intumuerat à fletu, & palpebræ eius caligauerunt, pelli eius consumptis carnibus adhæserat os eius, & derelicta erant tantummodo labia circa dentes eius.*

Cap. 16. & 19.

A *tes eius. Cutis ipsius denigrata erat super eum, aruerantque ossa ipsius pra caumate*; sic, vt quod Isaias de Christo, ipsi dicerent de Christiano, *vidimus eum & non erat aspectus*. Cap. 53.

ET EXCLAMANTES PLORAVERVNT, SCISSISQVE VESTIBVS, in argumentum ploratus & fletus, SPARSERVNT PVLVEREM SVPER CAPITA SVA IN COELVM, quo indicarent aduersitatem hanc secundum hominem & humanitatem, in cœlum vsque esse deplorandam. ET SEDERVNT CVM EO IN TERRA, iuxta illud Ieremiæ complorationem populi sui describentis, Thren. c. 2.
Sederunt in terra, conticuerunt senes filia Sion, abiecerunt in terram capita sua virgines Iuda.

SEPTEM DIEBVS ET SEPTEM NOCTIBVS: per quod quidam intelligunt septem annos cum dimidio, vt in Iob; locum habeat illud Basilij, *Non vno* Epist. 60.
actu fortitudinis, neque modico labore, constantis animi specimen datur, sed qui corda
B *nostra probat, longa nos & prorogata probatione vult iustitia coronam adeptos demonstrare.* Et præsertim Iob, hunc enim cum Dominus constituere voluerit primarium speculum & exemplar patientiæ, oportuit ipsum, *quod patientis esse*, docuit Tertullianus, *omnem patientia speciem explere.* Pro diuersitate autem afflictionum, patientia diuersas sibi, saltem ex parte materiæ, sortitur species, vbi ergo alia afflictionum, ibi alia species patientiæ. Peculiariter autem affligit tormenti duratio, tolerantia igitur ipsius, malorum quædam specialis perpessio: Vt ergo Iob non solum ad sufferendum, sed longanimiter tolerandum exerceretur, & speciem etiam longanimis patientiæ expleret, oportuit ipsum tanto tempore aduersitatem suam sufferre, ET NEMO LOQVEBATVR EI VERBVM, VIDEBANT ENIM DOLOREM ESSE VEHEMENTEM, alij, INCRESCENTEM. Quocirca Ambr. *Cauere nos conuenit vt cum venerimus ad consolandum, non facilè, non perfunctorie loquamur. Septem diebus tacuit Iob, tacuerunt* In psalm. 37.
C *amici, nec locuti essent nisi Iob prorupisset in vocem. Quærendum est enim vnde incipias, ne in ipso sermone offendat consolatio tua, etiam taciturnitas ipsa medicina est. Velox in sermonibus magis vulnerat. Sapè lites de consolationibus vidimus excitatas. Venisti vt doleas, non vt litiges, ne in luctu alterius certamen garrula disputationis inducas: ne accedas cum non oporteat, ne accedas & durior sit sermo tuus.* Hæc Ambrosius.

CAPVT III.

POST HAEC. *Postquam sufficienti cum silentio agonem illum admirabilem pertulerat, inque imò pectore dolorem perseueranter presserat, tum tandem aperto ore locutus est*, inquit Basil. Silentio dixit, Tertull. enim describens patientis habitum. *Vultus*, inquit, *illi tranquillus & placidus, frons pura, nulla mœro-* Basil. Epist. 79. c. vlt. de patient.
D *ris aut ira rugositate contracta, oculis humilitate non infælicitate deiectis, color qui securis & innoxijs, os taciturnitatis honore signatum, spiritus eius mitissimi & tranquillissimi, &c.* APERVIT IOB OS SVVM, vt quæ in medijs doloribus meditatus erat exponeret. Dicit namque Ambr. *Iob cum infirmaretur, non agrotabat ani-* 2. de interpr. c. 2.
mo etsi doleret corpore, quia non erat in carne eius anima, cuius passionibus non adharebat (quale quid de Martyribus in Psalm. 22. ad verba *Calix inebrians* ex Bern. allegauimus) *sed in spiritu, cuius virtute se erexerat. Ideò ergo non carnis gemitus, nec corporis infirmitates, sed voces spiritus loquebatur.* Spiritus, inquam, prophetiæ, *In verbis enim Mysticis alteque secretis personam sustinebat Iob magna prophetia*, inquit Augustinus. Magnæ dicit, ob rerum quas prophetat altitu- In Ps. 103. conc. 4.
dinem & varietatem, dicente Hieron. *Qua non mysteria Iob suo sermone com-* Epist. 103.
plectitur? nam de peccato originali, de miserijs humana vita, de Christi passione Naniam texit,

texit, atque etiam describit resurrectionem. Ordine tamen, nam miseriarum causas reddens, Authore Augustino, *prius de peccato originali per quod mors in orbem terrarum est ingressa, quam de mortalitatis & mortis ærumnis verba facit.* Tametsi enim teste Augustino, *calamitas obuenerit Iob, non propter peccata, sed ad demonstrandam ipsius iustitiam*, Et, *Deus multas contritiones fecit Iob, non propter multa peccata eius, sed ad probationem patientiæ eius*, hæc tamen à peccato originali originem trahere, docet D. Thom. cum dicit, *Nam contingit interdum quod homo patiatur detrimentum in minori bono vt augeatur in maiori, & tunc tale detrimentum non est simpliciter malum hominis, sed secundum quid. Vnde non habet rationem pœnæ, sed medicinæ. Nam & medici austeras potiones propinant infirmis vt conferant sanitatem, quæ non reducuntur ad culpam, sicut ad causam, nisi pro tanto quia hoc ipsum quod oportet humanæ naturæ medicinas pœnales adhibere, est ex corruptione naturæ, quæ est pœna originalis peccati. In statu enim innocentiæ, non oportuit aliquem ad profectum virtutis inducere per pœnalia exercitia, vnde hoc ipsum quod est pœnale in talibus; reducitur ad originalẽ culpam sicut ad causam.* Hæc ibi. Rectè igitur Iob enarrandis proprijs afflictionibus, tametsi ob peccatum, vt auditum est, non obuenerint, præmittit sermonem de peccato originali, inde enim quod dixit D. Thom. causabantur, aut saltem genus humanum talibus inde existebat obnoxium. Vaticinatur exinde Iob de Christo Redemptore, dicente Ambros. *In tentatione, Iob mysteria loquitur. Qui enim sæculum vicerat, Christum videbat.* Et August. *Etiam hoc diuinitus credimus inspiratum Iob, vt præsciret Christum ad passionem esse venturum.* Deniq; describit resurrectionem tanquam per quam mors & stimulus eius peccatum absorbebitur in victoriâ, tam plenè vt per beatam resurrectionem non possit rediuiuus vllis calamitatibus vel afflictionibus in posterum subiacere.

1. ad Marcel. c. 10. — 2. ad Marcel. c. 12. De perfect. iustit. nat. 17. — 1. 2. quæst. 87. art. 7. — In cap. 4. Luc. — 1. ad Marcel. c. 11. — 1 ad Cor. cap. 15.

Aperiens ergo os suum non ad maledicendum Deo vel creaturis ipsius: *Cum enim Iob tot modis ad maledicendum lacessitus, tacuerit, nimis incongruum est vt suspicemur ipsum nullo instigante in vocem maledictionis erumpere*, inquit Gregor. Spiritu itaque prophetico *Maledixit*, seu potius, mala à iusto Iudice diei suæ obuentura esse prædixit. Et quidem modo optatiuo, tanquam iustum Dei iudicium approbans, & dicit. PEREAT DIES IN QVA NATVS SVM, ET NOX IN QVA DICTVM EST CONCEPTVS EST HOMO. Idque propter culpam originalem quam Iob nascendo contraxit, & propter sequentes pœnalitates, inquit Aquinas 2. 2. quæst. 75. art. 3. Pœnalitates inquit, Dicit namque August. *Adam stirpem quoque suam quam peccando in se tanquam in radice vitiauerat, pœna mortis & damnationis obstrinxit: vt quidquid prolis ex illo & simul damnatâ, per quam peccauerat, coniuge, per carnalem concupiscentiam nasceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur per errores doloresque diuersos ad illud extremum sine fine supplicium.* Quæ ergo ista dies, quæ nox? An transitoriæ istæ & successiuæ in quibus Iob conceptus sit, & in lucem editus? Sed ad illum sensum statuendum ostendi deberet Iob nocturno tempore conceptum, interdiu verò natum esse. Imò, non potest sic intelligi, quia prophetia hæc concernit genus humanum. Vt ergo vera esset, oporteret singulos in nocte concipi, in die nasci, aut saltem deberet prophetia illis tantum, qui taliter nati sunt, competere. Hæc ergo de volubili die ac nocte ipsarumque alternationibus non conuenienter exponuntur. Et eo minus quod dies natiuitatis Iob & conceptus ipsius iam dudum desinendo perierant. Illis ergo interitum prædicere, inane, optare otiosum: & vano illo voto dolorem suum lenire, stultum, *Iob autem nihil stultum contra Dominum locutus est.* Sensus itaque est, PEREAT, in perditionem abeat, quod in lucem editus, quod intra viscera materna quasi in quadam nocte sim conceptus. Et quidem pereat nox, *Ecce enim*

4. Mor. c. 9. — Enchirid. c. 25. 26. 26. — Cap. 1.

A *enim in iniquitatibus conceptus sum:* quin & dies, Nam in peccatis, vt legit Augusti. PEPERIT me mater mea, sic, vt absque vitali partu sola nox in perditionem præcipitet, vitalis vero partus secundum se non augeat perditionem, sed perditioni conceptæ per incrementa ætatis & vsum liberi arbitrij perniciosius appropinquet. 4 ad Bon. cap. 11.

Quæ vero ista perditio sit explicans, per sequentia subiungit. DIES ILLE VERTATVR IN TENEBRAS *exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium.* Nam sicut in cœlis præter lumen mentium quod est Deus, est etiam lux oculis exterioribus visibilis, de qua ad Deum Psalmus, *Amictus lumine sicut vestimento,* de quo Apostolus, *Dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine:* Ita in perditione, præter interiores, sunt etiam tenebræ exteriores huic Sanctorum lumini oppositæ, dicente Basilio. *Etenim si qui condemnantur, in tenebras exteriores mittuntur: qui dignè egerunt voluntate diuinâ, hos in lumine supercælesti* B *suam habere requiem constat.* NON REQVIRAT EVM. Iam in tenebras conuersum reparandi vel redintegrandi gratiâ, DEVS DESVPER. Et quandoquidem quos Deus è tenebris requirit, illuminat, hic dies à Deo requirente desertus; NON ILLVSTRETVR LVMINE. Per quod docetur tenebras istas pereuntibus fore perpetuas. Quin & inexterminabiliter suo quasi iure, OCCVPET EVM CALIGO, quæ non simplici absentia luminis, vt tenebræ, sed offusâ tetrâ quadam spissitudine ac densitate contenebrat, prout accidit Ægyptijs, de quibus dicitur. Fiant *tenebræ tam densæ vt palpari queant.* Huiusmodi caliginem, clibano infernali ex priuatione luminis per se tenebricoso, offundet *fumus*, ex accenso inibi igne *ascendens in secula seculorum*, & nullâ parte erumpens. Matth. 8. cap. & 22. Psal. 103. 1. ad Cor. 12. Homil. 2. Ps. Exod. 10. Apoc. 19.

ET VMBRA MORTIS, quam Irenæus appellat *mortuorum tenebras*, ET INVOLVATVR AMARITVDINE, vt incolæ ipsius quocumque se verterint, ama- C ritudinem sui animi nec euadere possint, nec imminuere. Hæc de perditione diei quē dixit Iob; transit ad enarrandas qualitates perditionis in quam prophetauit noctem suã esse venturam. Non quasi in inferno alijs pænis afficiantur qui in vtero, alijs qui ex vtero in solo peccato originali occubuerunt: sed quia ex varijs ac communibus pœnis, quædam secundum nostrum modum intelligendi magis correspondent *Diei*, quædam, *Nocti.* Quod ipsum obseruauit Dominus, Beatitudines omnibus beatis communes, peculiariter assignans nunc his nunc illis, verbi gratia pacificis filiationem, Mundis corde, Dei visionem, & sic de reliquis, quia alijs & alijs virtutibus, communis beatitudinis aliæ & aliæ proprietates, intelligentijs nostris melius conueniunt & quadrant. Li. 5. c. vlt.

Cum itaque noctes turbinibus magis sint obnoxiæ quam dies, quandam perditionis pœnam noctibus huius vitæ non insuetam allegoricè ascribens D nocti futuræ, adiungit, NOCTEM ILLAM TENEBROSVS TVRBO, hic est diabolus. *Tenebrosus*, quia vt *fulgur de cælo cadens*, diuinæ sapientiæ solito corusco exutus est. *Turbo*, quia appetitu, quantumuis mentali, inordinatus, in semetipso perturbatus est & perturbans. Neque enim appetitus ipsius consilio aut ratione reguntur, sed ad modum passionum humanarum suâ lege suoque æstuant motu, & ipse impotenter rapitur ab illis, vt eo attento, non absurdè, teste Augustino dixerit Apuleius. *Dæmonia esse animo passiua.* Nam passiuum quicquid rectæ rationi non morigerum. Is igitur, vt tenebrarum Princeps *noctem illam possideat.* Luc c. 10. 8. de Ciuit. cap. 16.

NON COMPVTETVR IN DIEBVS ANNI, NEC NVMERETVR IN MENSIBVS. Erit enim æterna: æternitas verò nec annis mensuratur nec mensibus. SIT NOX ILLA SOLITARIA. Dei in primis, quin & Angelorum bono-

rum societate atque commercio ad magnam sui desolationem destituta: A
nam ad ærumnas huius etiam vitæ valere, quod Angeli sancti non ea nobis
19. de Ciuit. c. 9. familiaritate misceantur qua homines, affirmat Augustinus. NEC LAVDE DIGNA. Nunquid passiua? Non arbitror, nec enim est operæ pretium illud vaticinari, cum non facilè inueniatur qui noctem illam laudare paret vel desideret. Laude ergo, actiua, quod aperiunt, qui pro *Laude*, ex Hebræo *Cantum*, vel *Canticum*, vertunt, inter quos est Vatablus. Quam versionem noster interpres intelligens de cantu vel cantico quo benedicitur Deus, pro *Cantico*, vertit, *Laude*, conformiter ad scripturas, *quia non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum:* cum ex aduerso in domo cœlesti, *vbi melior est dies vna super millia*, inueniatur, teste Isaia, *Gratiarum actio, & vox Laudis*. Septuaginta interim vertentes, NON VENIAT SVPER EAM LAETITIA NEQVE GAVDIVM, significant se, *Cantum*, vel *Canticum* quod legunt Hebræi, intellexisse de canticis quæ panguntur ad lætitiam vel animi B
Psal 83. cap. 51.

oblectationem, vt intelligamus nihil talium inueniri posse in illa nocte. Quæ, non erit Dei laudatione digna, quia non solum impietate, sed etiam indignitate claudent ora sua à diuinis laudibus, *non enim est speciosa laus in ore peccatoris:* vt proinde improbabiliter pius quidam Concionator Sermone de Descensu Christi ad inferos dixerit, Pueros sine baptismo defunctos, Christo ad inferos descendenti dixisse, Gloria tibi Domine, qui mortuus es pro homine. Per id enim inuenta fuisset nox illa *Laude digna*.

MALEDICANT EI, alij, EXECRENTVR ILLAM QVI MALEDICVNT DIEI. Paraphrasis Chaldaica addit, VLTIONIS, q. d. Qui diem vltionis siue castigationis diuinæ quam in hac vitâ exercet Deus execrantur, ora sua soluentes in murmura, stomachationes, si non blasphemias; execrentur noctem illam tanquam malorum summam; nam comparatione illius, omnis vindicta præsentis vitæ modica & transitoria est. Qui autem maledicunt diei C
vltionis quæ exercetur hic, PARATI SVNT SVSCITARE LEVIATHAN, qui est Draco infernalis, Nam talibus maledictis suscitatur diabolus, hîc, ad acrius instigandum, maledictionumque formulas suggerendum, post hæc, ad torquendum.

OBTENEBRENTVR STELLAE. Quæ crepusculi, vt ex Hebræo vertunt. Vatablus & Pagninus, CALIGINE EIVS: sic vt si quæ stellæ præcurrerent adferre illi nocti, tanquam in diem sensim mutandæ, diluculū, obsistentibus densissimis, ac pertinacissimis tenebris ipsius noctis, ipsæ stellæ quasi contenebrentur, vt quæ noctem tam densam ac caliginosam non valeant illuminare.

Per tædium noctis illius quicunque fuerit illi mancipatus, EXSPECTET LVCEM ET NON VIDEAT, NEC ORTVM SVRGENTIS AVRORAE, quia, vt
cap. 10. infrà audiemus, est *ibi vmbra mortis & nullus ordo*, quia nulla vicissitudo, *sed sempiternus horror inhabitat*. Hic ergo status perditionis in quam deuenient D
qui in peccato originali siue in vtero extincti sunt. In cuius status enarratione cum nulla fiat mentio ignis aut incendij, videbitur quibusdam probabile in solo originali peccato defunctos non torqueri igne, nisi alio trahat formula fidei ex Concilio Florentino à Clemente VIII. Anno 1605. Orientalibus proposita, quæ habet, *Credo illorum animas qui cum actuali mortali peccato vel cum solo originali discedunt, mox in infernum descendere, pœnis tantum disparibus perpetuo cruciandos.* Disparitas verò in disparibus efficit vel præsupponit maius ac minus: hæc verò non prædicantur nisi de rebus eiusdem speciei: *Neque enim rectè dixeris bouem maiorem esse quam hominem, nec hominem quam bouem*, inquit
1. Thesau. c. 3. Cyrill. Igitur in damnatione si pœnæ Infantum non regeneratorum & malefactorum sint tantum dispares, distinctæ per maius ac minus, oportet eas

esse

A esse eiusdem speciei, & sicut malefactores ita & Infantes igne cruciari. Fa-
uet quod Apocalypsis dicit, *Qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, missus est* Cap. 20.
in stagnum ignis. Nam ex illis verbis Fulgentius docuit; *quod quisquis regnum*
non ingreditur, infernalibus æterni ignis crucietur pœnis: sibi consentiens de fide
ad Petrum cap. 27. Cæterum, an Fulgentij authoritas eleuanda sit eo quod De Incar-
fuerit discipulus Augustini veteribus & nouis Pelagianis magnopere inuisi? nat. &
Et non potius illorum paruifacienda authoritas qui pœnas dispares intelli- grat. c. 4.
gunt disparatas? In gratiam nihilominus eorum qui arbitrantur ea quæ
nunc exposuimus competere diei ac nocti natiuitatis humanæ priusquam
conuertantur in tenebras exteriores, adiungimus eorundem verborum ex-
positionem hanc: NON REQVIRAT EVM DEVS DESVPER, ad remissio-
nem atque iustitiam: quantum videlicet est ex parte demeriti ipsius. Di-
cit namque Augustinus, *Nonne merito natura quæ libero male vsa arbitrio Deum* Enchirid.
B *deseruit, vniuersa in æternum desereretur ab eo? Planè ita fieret, si tantum iustus* cap. 27. de
non etiam misericors esset, suamque indebitam misericordiam in quorundam indigno- nat. &
rum liberatione monstraret. Quorundam dicit, *Ex semine enim vitiato fabricati,* grat. cap 5.
partim per veritatem remanent in supplicio, partim per misericordiam liberantur à de corr. &
malo, inquit idem. grat c. 10.
3. cont. Iul. 17.

ET NON ILLVSTRETVR LVMINE, illo quod significabatur per lumen in- Cap. 9.
fusum cæco apud Ioannem, nato. Cæcitas enim illius significabat cæcita-
tem quam genus humanum contraxit in primo parente, Illuminatio, fidem
quâ liberamur ab ingenitâ cæcitate, Authore August. Qui ergo à natiuitate
fidem non consequitur, hic commemoratâ pœnâ punitur. OBSCVRENT Tract 43.
EVM TENEBRÆ, multiplicis ignorantiæ, quæ priuationem fidei primitus con- in Ioan.
tractæ comitantur, magisque obscurant, dicente Augustino. *Ad miseriam* 1 Retract.
iustæ damnationis pertinet ignorantia & difficultas quam patitur omnis homo ab exor- cap. 9. lib.
C *dio natiuitatis suæ, nec ab isto malo nisi Dei gratiâ quisquam liberatur.* ET VMBRA 3 de Liberò
MORTIS, errores varij, quia vt pulchrè dixit Tertull. *Duæ cæcitatis species faciè* Arb. c. 19.
concurrunt, vt qui non vident quæ sunt, videre videantur quæ non sunt. Et Prosper. Apologia
Quem fides non recto limite ducit, quantò plus graditur, tantò longinquius errat. OC- cap. 9.
CVPET EVM CALIGO. Quod in infantibus recenter natis videre est. *In illas* De Ingrat.
enim ignorantiæ densissimas tenebras, vbi anima infantis recentis ab vtero, vtique ani- cap. 19.
ma hominis, vtique anima rationalis, non solum indocta, verum etiam indocilis iacet,
quare aut quandò, aut vnde contrusa est? Si natura est hominis sic incipere, non vitiosa
iam est ista natura, iacet enim nesciens vbi sit, quid sit, à quo creatus, à quibus genitus sit,
iam reus delicti, necdum capax præcepti, tam profunda ignorantiæ caligine inuolutus &
pressus, vt neque tanquam de somno excitari possit, vt hæc saltem demonstrata cognoscat, 1. ad Mar-
inquit August. Et infrà, *Homini nato, nec ad incessum pedes idonei, nec manus ad* cel cap. 36.
scalpendum, & nisi ope nutrientis, admotis labris papillæ vberis ingerantur, nec vbi sint & 38.
D *sentiunt, & iuxta se iacentibus mammis magis possunt esurientes flere quam sugere, vti*
laboriosæ miseriæ destinatus, teste Augustino, *se inde non valeat extricare.* 6. cont. Iul.
cap. 6.

NOCTEM ILLAM TENEBROSVS TVRBO, qui, vt ostendimus, diabolus est,
POSSIDEAT, *Catholica enim veritas confitetur peccatum originale, per quod, factum*
est dæmonum ludibrium genus humanum, inquit August. Cuius rationem alibi 6. cont. Iul.
dans, *Natura*, inquit, *fortior, id est, Angelica, naturam inferiorem, id est, humanam* cap. 9. Item
vitij societate subditam tenet. Ideò mediator Angelis fortior, infirmus propter homines de pec. orig.
factus est: sic superbia captiuatoris, redemptoris humilitate destruitur, vt qui super filios c. 40. lib 1.
hominis Angelica fortitudine gloriatur, à filio Dei susceptâ humanâ infirmitate vinca- de nupt. c.
tur. Attestantur dictæ possessioni exorcismi qui super infantes baptismo præ- 23. lib. 2.
mittuntur. Dicente Augustino, *Ecclesia filios fidelium nec exorcizaret, nec exuffla-* cap. 29.
ret, si non eos de potestate tenebrarum, & à Principe mortis erueret. 6. cont. Iul. cap. 2.

NON COMPVTETVR IN DIEBVS ANNI, NEC NVMERETVR IN MENSIBVS, vt nimirum, si quis tempus suæ ætatis gloriabundus aut gratulabundus voluerit recensere, illis hunc diem noctemue non accenseat, eò quod sint potius plangendi; per quod obliquè indicatur neminem debere diem contaminatæ suæ natiuitatis celebrare. SIT NOX ILLA SOLITARIA, opitulatore salutis destitutâ, quia contra peccatum originale, nemo, quantum apparet, infanti valet subuenire in vtero. Cuiusmodi plagam etiam diei natiuitatis conuenire describit Ezechiel, dicente Domino. *Quando nata es in die ortus tui, non est præcisus vmbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec inuoluta pannis, non pepercit super te oculus vt faceret tibi vnum ex his, sed proiecta es super faciem terræ in abiectione animæ tuæ in die quo nata es.* In quibus verbis, quæ aqua in salutem, nisi baptismi? Et quodnam sal? nisi quod adhibetur in exorcismo ante Baptismum? vt id contra prophetiam calumniari inueniantur hæretici. NEC LAVDE DIGNA, eo quod in conceptu tantopere vitiata sit, per se alioqui laudabilis humana natura.

A — Cap. 16. — B

MALEDICANT EI QVI MALEDICVNT DIEI, q. d. Qui hominum origini maledicere solent eamue dicere malam, non ei maledicant, vtpotè quæ opus sit illius in quo tenebræ non sunt vllæ; cui Mater Machabæorum attestatur, quod omnium inuenit originem, sit proinde origo hominis opus Dei: sed maledictiones suas conuertant in noctem hanc siue vitium humano generi ab initio adhærens, sic vt nec cum Pelagianis propter bonum naturæ negent originale vitium, nec cum Manicheis propter vitium forinsecus inuectum, detestentur naturam. Quod qui faciunt. PARATI SVNT SVSCITARE LEVIATHAN, draconem marinum, qui est malignus spiritus, cuius imperium per iam dictas confusas & confundentes doctrinas suscitant in homines.

Isa. c. 50. OBTENEBRENTVR STELLÆ CALIGINE EIVS. In die iudicij in quo *induet Deus cælos tenebris, & saccum ponet operimentum eorum*, nam erubescet Sol & confundetur Luna, tanquam quæ auersentur videre orbis mala, & inter cætera malum originale quod non fuerit dimissum. C

Tacita quadam naturæ quasi tenebras suas sentientis inquietudine, EXPECTET LVCEM ET NON VIDEAT, NEC ORTVM SVRGENTIS AVRORÆ, vt nimirum non videat exspectatæ illius lucis vel præambulum siue diluculum. Istæ ergo pænæ ac sequelæ peccati originalis etiam in hac vita; quibus omnes quidem digni sunt & multi subiacent, quidam tamen per gratiam Dei, vt ex Augustino diximus, eripiuntur. Porrò, vt peccati originalis propheta futuras recensuit pænas, ita eiusdem in vtero, vel mox ab vtero expiati sortem bonam nunc aggreditur describere. In Nænia enim perseuerans, nomine generis humani pro parte quorundam deplorat, se aut conceptum, aut in infantia peccato originali non esse mortuum, & simul vita functum: vt à periculis malisue culpæ & pænæ quæ ex vitiatâ origine adolescentes variè consequuntur, immunis aut saltem præmaturè ereptus, requie infantium expiatorum in societate iustorum adultorum frueretur. Et quidem primâ facie videtur propheta non aliud optare quam se non fuisse conceptū, aut in vtero vel mox ab vtero fuisse corporaliter extinctum, vt cum infantibus in peccato defunctis esset in damnatione saltem mitissimâ, quam eis tribuit Augustinus. Sed illum sensum non admittit contextus. Quomodo enim in vtero vel mox ab vtero tantum corporaliter extinctus, esset in requie aut societate iustorum; de quibus audiemus? D

2. ad Marcel. cap. 16.

Quod ergo dicit, QVARE NON IN VVLVA MORTVVS SVM, EGRESSVS EX VTERO NON STATIM PERII? De morte corporis atque peccati coniunctim

A iunctim accipe. Nec temerè; vt enim dicendo, pereat dies in qua natus sum, vna cum die comprehendit ac simul intellexit originale peccatum, ita hic nomine mortis ac præproperi interitus, simul comprehendit mortem, ac interitum peccati in vtero contracti, & ex vtero vna cum homine in lucem editi.

Ad instar itaque Domini cum plangeret Ierusalem dicentis, Quia si cognouisses & tu, hic dicit iob, QVIA NON CONCLVSIT, q. d. Eheu quod non concluserit OSTIA VENTRIS QVI PORTAVIT ME, ne scilicet portaret me, vel, ne conciperer, quo sensu dicitur Dominus conclusisse vuluas aliquot mulierum veteris Testamenti: *Et dixit Sara, conclusit me Dominus ne parerem,* id est, ne in partum conciperem. NEC auertendo, ABSVLIT MALA, pœnæ contaminati conceptus effecta, AB OCVLIS MEIS? Qui enim nunquã conceptus est, mala vllatenus videre non potest. Aut si me concipi oportuit B & peccatum ipsiusque pœnas contrahere, QVARE NON IN VVLVA, peccato, Prout de Ieremia & Ioanne Baptista creditur, & simul vitæ temporali MORTVVS SVM? Aut si id concessum non fuit, EGRESSVS EX VTERO, iisdem, NON STATIM PERII? *Gen. c. 16.*

QVARE EXCEPTVS GENIBVS? eorum qui me vtero effusum susceperunt? Quod litteraliter spectasse videtur Sara cum diceret, *Pariat Agar super genua mea:* Prouerbialiter verò, indicabat se velle filium Agar sibi adoptare & vendicare. CVR LACTATVS VBERIBVS? vt tali nutrimento adolescens, in adultam ætatem peccatis inueterascerem? Hæc enim Authore Augustino dicit, *Qui malis originalibus inueteratus, iisdem peccata propriæ voluntatis accumulauit.* Qui deplorans se aliorum præsidijs & adminiculis ad mala esse suffultum, per Allegoriam conuenienter dicit, QVID EXCEPTVS GENIBVS? Genua enim illius quod excipiunt fulcra sunt & sustentacula. Et deplorans se quorundam C promissis ac laudibus ad mala fuisse inescatum adiungit, CVR LACTATVS VBERIBVS? Promissis enim quempiam ad peccatum blande & dulciter inescari, aperit sapiens cum dicit, *Fili si te lactauerint peccatores dicentes, Omnem pretiosam substantiam inueniemus, &c.* Laudibus verò, declarat Psaltes dicens, *Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur.* *Gen. c. 16.* *in hunc locum.* *Prouerb. 1.* *Psal. 10.*

NVNC ENIM, in vulua vel mox à partu peccato & vita functus, DORMIENS, secundum corpus, SILEREM, à querelis: ET SOMNO MEO, quo meum corpus obdormiuit in morte, ego secundum animam, in fruitione bonorum solius animæ, REQVIESCEREM. *Quies enim non nudam malorum cessationem, sed potiorum bonorum, cum quadam desiderij satisfactione, participationem includit,* Authore Augustino. Dicente in idipsum Ambrosio, *Anima non simul in sepulchro cum corpore includitur nec busto tenetur, sed quiete pia fungitur.* Ex quibus etiam probes mortem dici somnum, non quasi, vt corpus animâ spoliatum stupor, D ita animam corpore exutam occupet Lethargus, prout comminiscuntur hæretici, vt vno quasi ictu perimant inuocationem Sanctorum, & orationem pro defunctis: Quia si animæ defunctorum obdormiunt, nec preces audiunt, nec percipiunt pœnas: frustra ad illos vel pro illis ad Deum diriguntur preces. Credens verò vel Poëtæ dicenti, Stulte, quid est somnus gelidæ, nisi mortis imago, ex similitudine somni disce quod non obdormiat Anima separata à corpore. Sed quod docuit Tertull. *Sicut somnus corporibus obuenit, quorum solatium proprium est, vacans anima à solatio alieno, non quiescit, & si caret opera membrorum alienorum, suis vtitur: Velut cum gladiator sine armis, auriga sine curriculis gesticulatur omnem habitum artis suæ atque conatum: Et quemadmodum in somnijs oblectamur, contristamur, conterremur, quam affectè, anxiè, & passibiliter?* Ita anima corpore exuta, diuersitate status sui oblectatur, contristatur, *3. de Lib. Arb cap 8.* *Ambros. de bon. mort. cap. 10.* *cap. 45. de Anima.* *Aug. 22. de Gen. ad lit. cap. 29.*

De bon. mort. cap. 10. conterretur, tametsi corpore quiescente. Dicit namque Ambrosius, *Dum expectatur plenitudo temporis, exspectant animæ remunerationem debitam. Alias manet pœna, alias gloria: Et tamen nec illæ interim sine iniuria, nec istæ sine fructu sunt.* Et Augustinus 13. de Ciuit. cap. 8. *In requie sunt animæ piorum à corpore separatæ, impiorum autem pœnas luunt, donec istarum ad æternam vitam, illarum ad æternam mortem corpora reuiuiscant.* Quod Dominum ex historia Lazari & Epulonis plenissimè docuisse lib. 2. cap. 63. affirmat Irenæus. Propter quod Apostolus cupit dissolui & esse cum Christo, imò audet optare peregrinari à corpore & præsens esse ad Dominum, ne arbitreris piè defunctos vsque ad resurrectionem tantum videre Christum, & non etiam diuinitatem. SOMNO, igitur, MEO REQVIESCEREM, pro isto quidem quo loquor tempore in sinu Abrahæ, à Resurrectione verò Christi in clara Dei visione. A

Nec solus vel in sola meæ ætatis societate, sed CVM REGIBVS, qui huius vitæ corruptelas viriliter & fortiter expugnauerunt, subegerunt, domuerunt. ET CONSVLIBVS TERRÆ, qui terrenæ contagia corruptelæ consilio magis euaserunt quam viribus. QVI morem gerendo consilijs illius qui dixit, Ecce elongaui fugiens & mansi in solitudine, ÆDIFICANT SIBI SOLITVDINES à strepitu mundi procul positas atque feriatas. De quibus Ambros. *Qualis est hæc* (solitaria) *vita? non oneratur mundi sollicitudine, non occupatur alienis molestijs, non vrgetur vrbanis discursibus.* AVT CVM PRINCIPIBVS QVI POSSIDENT AVRVM, sapientiam, virtutum intellectualium præstantissimam, prout inter metalla præstat aurum. *Et qui*, iuxta illud Apostoli. *Verbum Dei habitet in vobis abundanter*, REPLENT DOMOS SVAS, Armaria, quæso, an pectora sua? ARGENTO, exinanito, probato terræ, purgato septuplum, sacris dico Scripturis, Pectora igitur sua, *ad hæc enim comparanda non debet multa membrana armarium aut breui Enchiridio manus impleri, sed grandi studio pectus accendi*, inquit Augustinus. Ad has opes acquirendas exhortans Iesus Sirach, dicit, *Participate disciplinam in multo numero argenti, & multum auri possidete in ea.* Quidam intelligunt hæc dici de Regibus, Consulibus, Principibus huius sæculi: Quasi diceret Iob, Si in vulua mortuus essem, aut egressus ex vtero mox perijssem, essem eiusdem conditionis cum Regibus, Consulibus, Principibus sæculi, vt quasi solatio sit miseris quod habeant socios summi ordinis in pœnis. Sed vt non dicam me aliquando apud Augustinum legisse tale solatium à nequissimis hominibus confingi; scire velim, an sæculares isti Potentatus, vbi obdormierint, somno requiescant, aut à morte possideant aurum, vel repleant domos suos argento? Quod cum nemo persuaserit, videntur mihi hæc verba Iob de illis non rectè exponi.

(Margin notes: Psal. 54. — Epist. 82. — Ad Coloss. cap. 3. — Initio Enchir. — Eccl. 51. c.; letters B, C in right margin)

AVT, si, ne conciperer, contigisset claudi ostia ventris qui portauit me, SICVT ABORTIVVM ABSCONDITVM, quod mox à congressu maris & feminæ ob sterilitatem ingenitam, vel procuratam informiter defluit, dicēte Hier. *Sterilis mulier semina non tenet.* Vt tale ergo abortiuum, NON SVBSISTEREM, VEL QVI CONCEPTI, secundum corpulentiam tantum, NON VIDERVNT LVCEM, effusi priusquam acciperent animam rationalē, per quam vt talem, lux mentium, vt sensitiuam, lux exteriorum videtur oculorum. Aduerte autē in hoc versu, Hyperbaton, siue ordinis perturbationem, quasi non sufficeret prophetiæ huic obscuritas rerum & verborum, nisi accederet & perturbatio sententiarum. Planius itaque dixisset Iob, hoc ordine, Eheu quia non conclusit ostia ventris qui portauit me, si enim, iam quasi abortiuum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem. Sed quid? mauult ergo quis non esse quam esse miser? Hieron. explicans illud D

(Margin notes: In cap. 4. ad Gal. — In cap. 4. Eccle.)

A lud Sapientis, *Meliorem indicaui illum qui necdum natus est, nec vidit mala quæ fiunt sub sole*, Respondet, *quod melius sit omnino non esse, nec sensum habere substantiæ, quam infeliciter vel esse, vel viuere, quo modo & de Iuda Dominus loquitur futura eius tormenta prænuncians, melius erat non nasci, quam æternos cruciatus perpeti*. Hæc Hieron. Vt proinde Iob hoc loco induat personam illius, qui præfert nunquam fuisse, quam per peccatū originale ad pænas deuenire æternas. Quod igitur Augustinus sustinet, *Hominem non conuenienter malle non esse quam miserum esse, procedit de miserijs huius vitæ quæ terminantur*. Cum enim esse, bonum ac Dei donum sit, sustinet Augustinus illud vel in ipsis miserijs amari debere, vt, vel ex amore ipsius esse, proficiatur & tendatur ad amorem melioris atque adeo beati esse, vnde aufugit dolor atque tristitia. *3. de lib. arb. cap. 7. & 8.*

VBI, in societate Regum, Consulum, opulentorum CESSAVERVNT IMPII A TVMVLTV. In sinu enim Abrahæ initium sumet & in cælis complebitur, il-
B lud Psalmi, *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum, nec addent filij iniquitatis, vt affligant populum meum sicut prius*. ET IBI, à laboribus suis, QVIEVERVNT FESSI ROBORE, qui ad fatigationem vsque, in hac vitâ totis viribus repugnarunt impijs atque peccato: quasi hoc loco per Iob dicere incipiat Spiritus, *quod qui in Domino moriuntur, à modo requiescant à laboribus suis*. Et, vna cum istis fessis, requieuerunt, VINCTI PARITER: illi videlicet de quibus Zacharias ad Christum. *Tu in sanguine Testamenti emisisti vinctos tuos, de lacu* quem Petrus dicens, *Christus his qui, in carcere, erant Spiritibus veniens prædicauit*, appellauit *carcerem*, in quo vsque ad tempus statutum iusti ante Christum defuncti, detinebantur, Sed SINE MOLESTIA, propter quod & lacus ille dicitur *Sinus Abrahæ*, tanquam locus quietis in quo Lazarus in hac vita afflictus consolabatur. Quidam libri legunt, ET VINCTI QVONDAM, tametsi QVONDAM non habeatur in Hebræo: illam tamē lectionem seruat correctio
C Romana, vt sensus sit. VINCTI, QVONDAM, in hac nimirum vita, carceribus pro iustitia PARITER, siue gregatim, inclusi, ibi, tametsi in quodam carcere, requieuerunt absque molestia, non enim vt huius temporis, ita ille carcer illos molestat, proinde τὸ SINE MOLESTIA, non construatur cum τὸ VINCTI, sed cum τὸ REQVIEVERVNT. *Psal 30. 2. Reg. 7. Apoc. c. 14. Cap. 9. 1. Petri 3.*

NON EXAVDIERVNT, Reges consiliarij Principes fessi robore, vincti isti, VOCEM EXACTORIS. De quo authore August. Luce 12. *Dum vadis cum aduersario tuo ad principem, in via da operam liberari ab eo, ne forte trahat te ad iudicem & iudex tradat te exactori, & exactor, mittat te in carcerem:* Huius dico exactoris qui est malus spiritus vocem illi omnes non exaudierunt, quia tametsi in carcere, non sunt tamen in maligni spiritus potestate, nec ipse ab eis vllas exigit vel extorquet pœnas. *in hunc locum.*

PARVVS ET MAGNVS, ætate? potius, condicione, IBI SVNT: ET SERVVS
D LIBER A DOMINO SVO. Nam in carcere isto locum habebit quod in die iudicij manifestandum dicit Isaias, *Erit sicut populus sic Sacerdos, sicut seruus, ita & dominus eius, sicut ancilla ita & domina eius:* Ibi enim euacuabitur omnis differentia talium condicionum, restabit solus ordo meritorum. In istorum igitur societate requiescunt qui in vtero aut mox ab vtero peccato pariter ac vita functi sunt, vt non mirū sit Iob dixisse, *Quare non in vuluâ mortuus sum, egressus ex vtero non statim perij*, potius quam pluribus peccatis & malis fieri obnoxius? *Cap. 24.*

Instaurans porro planctum, deplorans pænalitates, quæ in hac vita comitantur peccatum originale dicit. QVARE MISERO DATA EST LVX, ET VITA HIS QVI IN AMARITVDINE ANIMAE SVNT? QVI EXSPECTANT MORTEM ET NON VENIT, QVASI EFFODIENTES THESAVRVM, GAVDENTQVE VEHEMENTER, CVM INVENERINT SEPVLCHRVM. VIRO CVIVS

ABSCONDITA EST VIA, ET CIRCVNDEDIT EVM DEVS TENEBRIS? Arbitror iterum esse Hyperbaton, ordinandum in hunc modum. QVARE MISERO DATA EST LVX, ET VITA HIS QVI IN AMARITVDINE ANIMAE SVNT? Nec dico misero cuiuis, sed, Quare data est lux & vita VIRO, CVIVS ABSCONDITA EST VIA? quia viam pacis, viam quæ ducit ad vitam non inuenit, & ignorat, quia via qua graditur ducit ad inferos. A

Quam ignorantiam supernis iudicijs ob culpam inter cætera asscribens, addit Iob, ET CIRCVNDEDIT EVM DEVS TENEBRIS, quia à tenebris insitis, & doctrinis errorum ac dæmoniorum circumstantibus, Deus ipsum per gratiam non liberauit, VIRO igitur huic in miserijs ac simul tantis tenebris constituto, QVARE, quo fructu, imo qua nō infelicitate, DATA EST LVX? siue vita temporalis, quia per tenebras cordis & ignorantiam viæ, de miserijs huius temporis currit & deuenit ad æternas? Simpliciter verò & Christianè non dixeris, QVARE MISERO DATA EST LVX, ET VITA HIS QVI IN AMARITVDINE ANIMAE SVNT, Miseria enim huius vitæ per viam patientiæ & bonæ exercitationis in rectum finem directa, multum tandem proderit miseris & in amaritudine animæ perdurantibus, iuxta Confessionem illius qui dicit. B
Thren. 3. *Recordare paupertatis & transgressionis meæ, absynthij & fellis, hoc recolens in corde meo, ideo sperabo.* Nam amaritudo animæ in præsenti quidem *non est gaudij, sed*
adHebr. 12 *mæroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per illam reddet iustitiæ.*

Qui verò in amaritudine animæ suæ sunt, & simul tenebris ac ignorantia rectarum viarum circundati, eiusdem sunt conditionis cum illis qui dicunt
Cap. 8. apud Ieremiam, *Potum dedit nobis Dominus aquam fellis.* Nam sicut de illis vaticinatur Ieremias, *quod eligent magis mortem quam vitam, omnes qui residui fuerint de cognatione hac pessima*, ita de viris in hac vita miseris & tenebris circundatis interserit Iob, EXPECTANT MORTEM ET NON VENIT, quia spirituali consolatione destituti, ad euadendas præsentis vitæ miserias inuocant mori C
& non accipiunt. Qua in parte sunt QVASI EFFODIENTES THESAVRVM, GAVDENTQVE, thesauri effossores, VEHEMENTER CVM INVENERINT SEPVLCHRVM. Et cur hoc? Aut quid thesauri effossoribus cum sepulchro?
in cap. 8. Ierem. Causam dat Hieron. *Quia solebant iuxta antiquum morem aurum & quædam ornamenta mulierum ac virorum in sepulchris condere.* Inuento igitur sepulchro fossores vehementer gaudebant, quasi inuento desideratissimæ rei saltem loculo. Ad eundem modum Vir sic vt dictum est miser, ad quoduis aduentantis mortis indicium gaudet tanquam ad miseriarum suarum terminum: sed sicut fossores inuento sepulchro non semper inueniunt thesaurum, ita miseri isti animaduerso accedentis mortis indicio non semper sortiuntur exitum.

Ab hactenus audita Nænia prophetica, nunc, quod in consequentibus frequenter, primum Iob transit ad historiam suique euentus explanationem & dicit ANTEQVAM COMEDAM: neque enim sine cibo aut potu in suis doloribus viuebat vel perdurabat Iob, infrà dicens, *Quæ prius tangere nolebat* D
Cap. 6. *anima mea, nunc præ angustiâ cibi mei sunt.* Itaque ANTEQVAM COMEDAM ob escarum inconuenientiam earundemque abominationem, SVSPIRO. Quod moraliter dicere poterunt qui cum D. Bernardo cibum adeunt tanquam tormentum, Idque ob oculos ponitur Religiosis, sicubi hac sententiâ superliminaria refectoriorum intitulantur. Nec leui susurrio, SED TANQVAM INVNDANTES AQVAE, SIC, cum fragore nec sine spumeo liquore ebulliens, RVGITVS MEVS, QVIA TIMOR, QVEM, futuræ miseriæ quasi præsagus, TIMEBAM EVENIT MIHI: ET QVOD obuenturum non sine horrore VEREBAR ACCIDIT MIHI.

NONNE, cum id præsagirem DISSIMVLAVI, & quasi incurius & nolens esse

A esse miser ante tempus ab animo meo remoui atque sepofui? NONNE SILVI, non communicando alijs quod mihi mens præsagiebat? NONNE QVIEVI, à præparatione animi mei ad tentationes, in die bonorum immemor malorũ, nec diem malum præcauens, vt iacula præuisa minus ferîrent? Quâ de re Ambr. *Diligentiæ est & ingenij, si quis potest vigore mentis prauidere quæ futura sunt, & tanquam ante oculos locare quid possit accidere, & quid agere debeat, si ita acciderit, definire. Interdum duo vel tria simul voluere animo quæ coniiciat aut singula aut coniuncta accidere posse, & aut singulis aut coniunctis disponere actus quos intelligat profuturos. Fortis enim viri est, non dissimulare cum aliquid immineat, sed prætendere & tanquam explorare de quadam specula mentis, & obuiare cogitatione prouidâ futuris rebus.* in offic. cap. 38.

ET VENIT SVPER ME sic præsagum INDIGNATIO, Pagninus & Vatablus vertunt, TREMOR, vel, PAVOR. Et prima facie melius, neque enim Iob B mala sua ab indignante sed consulente Deo suscepit. Si tamen attendas mala illa, per iratum ac indignantem Sathanam prouenisse, opinaberis facile quod noster interpres rectè verterit INDIGNATIO, & vt 70 ira. Dices, Cur igitur horum prouidus cum euenerunt ingemiscis & rugis? Respondebit Iob, non quia euenerunt, sed quia corpus meum ita affecerunt vt ipsum ad cibum tanquam sibi grauem & molestum exhorrescat, & gemitum atque rugitum vel inuito exprimat. Docet autem Diuus Thomas in caput sextum Iob *ea quæ naturam sensitiuam sequuntur naturaliter inesse homini, quod autem naturale*, inquit, *totaliter vitari non potest.* Quocirca & de Antonio Athanasius. Licet gemitum vulnera carnis exprimerent, sensu tamen idem permanens quasi de inimicis dæmonibus ludebat.

C

CAPVT IIII.

RESPONDENS AVTEM, redarguendo sententiam & arguendo impatientiam quam arbitrabatur se in hactenus loquente Iob animaduertisse, ELIPHAS THEMANITES, Themanorum, inquit Ambr. Rex: sermonem suum censorium à Iob, vt verebatur, ægrè ferendum, per quandam necessitatem ciuiliter præexcusans. DIXIT. SI CAEPERIMVS LOQVI, FORTE MOLESTE ACCIPIES, pro consuetudine afflictorum qui aliorum sermonibus, præsertim censorijs se grauari atque arbitrantur feriri. 1. de Interpret. c. 1.

SED CONCEPTVM SERMONEM: vnde intelligas Eliphas dum loqueretur Iob, tacite concepisse quid contra obijceret vel responsaret, iuxta illud Augustini, *Procliuiores sumus quærere potius quid contrà respondeamus, quam intendere quam sint salubria quæ nobis dicuntur.* Et Basil. *Difficillimum est nancisci animum* D *discendi auidum, nec in aliud exquirentem, nisi vt ignorantiæ medeatur.* Velut ergò per tacendi impotentiam dicit, CONCEPTVM SERMONEM TENERE QVIS POTERIT? Coniiciens se in turbam illorum de quibus Sapiens. *Sicut vrbs patens & absque murorum ambitu, ita homo qui non valet in loquendo continere spiritum suum.* Et hunc quidem sensum parturit lectio vulgata. Hebræi autem legunt, COHIBERE SERMONES, QVIS POTERIT? Quo significat Eliphas non potuisse se continere quin sermonibus Iob vsque adeò, vt arbitrabatur, nefandis contradiceret, vt non tam impotentiâ tacendi quam indignitate sermonis auditi, videatur ad dicendum impulsus. Cui conformiter legit August. cum 70. PONDVS SERMONVM TVORVM FERRE QVIS POTERIT? De nat. & grat. c. 35. Præfat. de Spir. S. in hunc locum.

Conatus autem ostendere, in primis, quod turpe sit Doctori cum culpa redarguit ipsum, vel si humanius quid de Rege placeat sentire, ex sua ipsius

doctrina mitigare quam credebat impietatem & impatientiam Iob, redargutionem orditur in hæc verba. ECCE, salubriter, DOCVISTI MVLTOS, & gratia ac efficacia tuarum adhortationum, MANVS, bene operando LASSAS, ROBORASTI, vt pristinum elanguidæ vigorem resumerent: VACILLANTES, ac apud se hæsitantes nùm à virtute bonaque disciplina velint declinare; in pristino bono, CONFIRMAVERVNT SERMONES TVI: ET GENVA, ad sufferendum, TREMENTIA, CONFORTASTI, vt pondera, sibi imposita sufferre sufficerent. NVNC AVTEM VENIT SVPER TE, diuinæ vltionis, PLAGA, vt ipse videris esse confessus cum dixisti Venit super me INDIGNATIO, ET ad impatientiam quam verba tua præseferunt, DEFECISTI. Plaga, quæ prius alios, vt sunt humanarũ rerum vices, TETIGIT TE: ET, immemor doctrinæ quam alijs commendasti, adhortationum, quibus aliorum lassas manus confortasti, Ratiocinationum quibus vacillantes confirmasti, Incitationum, quibus genua trementia consolidasti, ipse nunc, facilis cum sanus eras dare remedia ægris, omni pristina virtute tua deiectus, TVRBATVS ES.

A

B

Ostendo singulatim. VBI EST TIMOR TVVS? à quo dictus es vir, TIMENS DEVM, nam in verbis mox auditis, non es veritus blasphemare. VBI EST FORTITVDO TVA, quam rebus integris videbaris venditare? Vbi etiam, PERFECTIO VIARVM TVARVM, à qua dictus es, VIR SIMPLEX, Quod Vatablus & Pagninus ex Hebræo verterunt PERFECTVS?

Sed hæc ad hominem, venit ad rem, & in primis, quandoquidem Iob visus fuerat in verbis suis Deo iniurius, conatur Eliphas, vt ex Ambr. audiemus, Dei iustitiam propugnare & aggreditur ostendere velut per inductionem quam dicunt Philosophi omnia aduersa mortalibus in pœnas peccatorum accidere, & dicit. OBSECRO, obsecrando redargutionis aculeum nonnihil obtundens, mente in præteritum conuersa, RECORDARE, QVIS VNQVAM INNOCENS, temporaliter in se suisque rebus, PERIIT, AVT QVANDO, RECTI, temporaliter, DELETI SVNT? C

Et cum persuasum mihi habeam te instantiam non daturum, QVIN POTIVS, quod propositum meum efficacius astruet, VIDI EOS QVI OPERANTVR INIQVITATEM, ET hoc ipso, SEMINANT DOLORES, ex iniquitatibus velut proprio suo semine emersuros, sicut scriptum est, *Ecce parturijt iniustitiam concepit dolorem*; ET tandem experiendo METVNT EOS: FLANTE, indignante DEO PERIISSE. Indignante dico, quia id ipse quasi exponens, vidi inquit eos SPIRITV IRAE, Hebræi NARIS, EIVS ESSE CONSVMPTOS. Et quidem naris, eo quod ira apud nos flatu narium infremat atque erumpat. Propter quod & Isaias ab ira agni in die iudicij volens nobis fore cautum, *Cauete*, inquit, *ab homine cuius spiritus in naribus eius est*, atque adeo apparebit quasi indignationem naribus spirans, *quia excelsus ipse reputatus est*.

Psalm. 7.

Cap. 2.

Addit Eliphas. RVGITVS LEONIS, ET VOX LEAENAE ET DENTES CATVLORVM LEONVM CONTRITI SVNT: TYGRIS PERIIT, EO QVOD NON HABERET PRAEDAM: ET CATVLI LEONIS DISSIPATI SVNT. Plerique ac etiam Aquinas nomine Leonis ipsum Iob, Leænæ, vxorem eius, Catulorum Leonum, intelligunt ipsorum filios; quasi Eliphas per parabolam parcius dicere velit, Iob, vxori, filijs, hæc aduersa accidisse ob crudelitatem rapacitatem, & exercitam tyrannidem: secundum quem sensum inuenitur Eliphas in ratiocinatione sua, syllogizare in hunc modum. Tu nullo exemplo ostendes quod vnquam innocens periit, ego ex aduerso vidi eos qui operantur iniquitatem, FLANTE DEO PERIISSE: Tu cum tuis perijsti, ergo peristis omnes propter vestras iniquitates. Non verò improbabile quod Iob ab Eliphas comparetur Leoni, eo quod infrà capite 22. ea quæ hic parabolicè dixerat D

A dixerat sumpta audaciâ videatur explicare cum dicit ad Iob, *Abstulisti pignus fratrum tuorum sine causa, & nudos spoliasti vestibus, Aquam lasso non dedisti, & esurienti subtraxisti panem, in fortitudine brachij tui possidebas terram & potentissimus obtinebas eam, Viduas dimisisti vacuas & lacertos pupillorum comminuisti.* Quæ omnia Leonina esse notum est: Vt à marito vxor, à patre edocti filij, ipsa dicatur Leæna, & filij Leonum catuli, iuxta illud Ezechielis, *Mater tua Leæna inter Leones cubauit, eduxit vnum de Leunculis, didicit prædam capere, hominemque deuorare, didicit viduas facere & domos earum diripere.* Obstat tamen huic expositioni, quod Leo, Leæna, catuli Leonum, Tigres, ab Eliphas dicantur perijsse, quia non habebant prædam. Cap. 19.

Difficulter ergo isti versiculi de Iob ipsiusque familiaribus exponuntur, non enim Iob aut familia eius inediâ interijt, & præsertim non filij eius, quia inter epulas occubuerunt: Conuenientius igitur intelliguntur ad litteram, B ac si diceretur. Ne innocens periret vel rerum suarum sustineret detrimentum, tam accuratè ac seuerè à Deo prouisum est, vt casu quo non reperirent eos qui operantur iniquitatem vel res eorum, RVGITVS famelici LEONIS, ET VOX, prædabundæ LEÆNÆ ET DENTES CATVLORVM LEONVM, itidem famelicorum, CONTRITI SVNT; Rugitus quidem Leonis & vox Leænæ, quia præ fame vires eis sic sunt attenuatæ, vt solitas voces edere non valerent: dentes verò catulorum Leonum, quia, inediâ in rabiem acti, comprimendo & collidendo, dentes suos ipsi debilitauerunt.

Quin, & TIGRIS, sæua & rapacissima, PERIIT EO QVOD NON HABEBAT PRÆDAM, ET CATVLI LEONVM, relictâ sui natalis speluncâ ac nido DISSIPATI SVNT, vt raperent & quærerent escam sibi, potius, quam innocentum personis, gregibus, armentis, ad quibus ipse quidem Eliphas nihil explendam, vel in extrema necessitate famem, detrimentum inferrent. Ex C expressè infert; sed intelligendum relinquit, per Dei quam dixerat erga innocentes, sollicitudinem, fieri non potuisse, quin Iob pro suis iniquitatibus in aduersa hæc deuenerit: vt non inueniat contra Deum iustas querimonias: vt tandem deprehendatur Eliphas in sua disputatione, non tantum, quod dixit Ambrosius, *Iustitiam Dei suis argumentis voluisse astruere, sed etiam Iob à murmure prohibere*, Quid enim murmurauit viuens Vir pro peccatis suis. Et quidem quæ de Leone, Leæna, catulis Tigre, ad litteram dicta sunt, verificantur, vt Ambrosij verbis vtar, *de Domini potestate:* Id enim in gratiam innocentum præstitit Dominus, in Daniele, circa quem non semel *conclusit ora Leonum quia iniustitia in ipso inuenta non est:* Sed, vt alibi benè dicit Ambros. *Eliphas & socij eandem cum ipso sententiam sustinentes, infirmo animo non aduertebant quod Dominus Iob tentandum dedisset, vt Athleta Christi, tentationibus eruditus, ad maioris gloriæ coronam perueniret. Non videntes itaque tantum* D *Sapientiæ Sacramentum, angusti cordis timore, ne viderentur iniustitiæ Deum arguere, qui pœnis affici innocentem perpeteretur, in sanctum Iob pœnarum merita retorquebant dicentes, Omnia quæ patitur homo grauia in terra, propter peccata sua eum perpeti.* 1 de interpret. c. 4. 2. de interpret. c. 1.

Nec solum infirmo animo, sed etiam infirmo argumento dicit Eliphas, RECORDARE QVIS VNQVAM INNOCENS PERIIT, &c, VIDI EOS QVI OPERANTVR INIQVITATEM FLANTE DEO PERIISSE, quia etiamsi Iob non fuisset quippiam eorum recordatus, & id quod se vidisse allegabat Eliphas verè vidisset, ex illis non poterat valide inferri innocentes nunquam perijsse aut non nisi eos qui operantur iniquitatem esse vnquam consumptos. neque enim Iob omnia quæ euenerant obseruasse poterat, aut omnia à se etiam obseruata ad recordationem reuocare, Quin & si viderit Eliphas eos qui operantur

rantur iniquitatem flante Deo perijsse non tamen ob id videtur non nisi tales temporaliter perijsse. A

Cæterum videns Eliphas se non posse in Iob edere aliquod peccatum quod diceres supplicio, nedum tantis calamitatibus dignum; eo quod, vt audiuimus, fuerit homo sine querela; ne videretur calumniari aut mentiri, recurrit ad peccata occulta, quibus quemuis mortalem subiacere, probare aggreditur ex facta sibi, inquit Augustinus, reuelatione & dicit, PORRO AD ME DICTVM EST VERBVM ABSCONDITVM, paucis cognitum. Pauci enim tunc temporis nouerant ea quæ corde admittuntur, peccata esse, vel à Deo inuestigari aut vindicari. ET QVASI FVRTIVE, clancularië, clandestinè. Quod enim clancularium id quasi furtiuum, quia fur clàm aufert alienum. Vel potius FVRTIVE, quia partialiter, legunt enim ex Hebræo Vatablus & Pagninus, SVSCEPIT AVRIS MEA PVSILLVM DE EO, vt fateatur Eliphas se verbum, quod dicit, ob sublimitatem sui modicè tantum intellexisse: vel etiam de plenitudine æterni verbi modicum quid, vnicam tantum hanc sententiam percepisse tanquam sermonum ipsius vt infrà audiemus, stillam. SVSCEPIT AVRIS MEA VENAS SVSVRRI EIVS. Nam ipsam venam diuinæ dictionis, ac eloquij ipsius proprium genium, vna cum susurrio percepit, ex modo insusurrandi animaduertens susurrium à Deo esse. Videtur enim Eliphas vt probet reuelationem quam allegat fuisse veracem, præ se ferre quod Matri suæ asscribit Augustinus, ipsam dicens, *Sapore quem verbis explicare non poterat, discernere solere quid interesset inter Deum reuelantem & animam suam somniantem*, De quo Sapore etiam Greg. *Sancti viri inter illusiones & reuelationes intimo quodam sapore discernunt.* B

In hunc locum. — *6. Confess. cap. 13.* — *4. Dialog. cap. 48.*

Porro ne crederes susurrium hoc nudam inspirationem, sed ad maiorem reuelationis euidentiam, cum apparitione cuiusdam alloquentis fuisse coniunctum, pergit Eliphas formam apparentis ac circunstantias apparitionis accuratè describere in hæc verba. IN HORRORE VISIONIS NOCTVRNÆ, quam primo aggressu horrent homines, tum ob tenebras, malignorum spirituum spectris ac terriculis opportunas & obnoxias, sic vt vereantur homines omnem nocturnam visionem à diabolo esse; tum ob solitudinem quæ terrorem auget, quia societate, præsidij vim habente, destituit. Nam & Daniel insinuat se grauatum, quod visionem quandam terribilem vidisset solus, viris qui cum ipso erant fugientibus in absconditum. In nocturna igitur visione, PAVOR, cordis, TENVIT ME: ET TREMOR, corporis, ET OMNIA OSSA MEA PERTERRITA SVNT. Quale quid de consimili visione narrat Daniel, cum dicit, *Domine in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, neruis ac ossium ligaturis, laxatis.* C

Cap. 10.

ET CVM SPIRITVS, flatus quidam, ME PRÆSENTE, legunt 70. In faciem meam incurrit, & Hebræi, facies meas. Qui tametsi per faciem frequenter significent præsentiam, hic tamen facies quas dicunt non inconuenienter accipias ad litteram, vt sit sensus, Cum spiritus faciẽ meam perstringeret, sic vt flatum quendam apparitori præuium, in facie aëri etiam quietis nocturnæ tempore exposita, senserim: Circa quod *reminiscendum*, inquit Augustinus, *etiam spiritum in Apostolos descendisse, quando nimirum factus est de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis & repleuit totam domum.* Et quod in Horeb tempore Eliæ Spiritus quidam dominũ præcesserit. Cum ergo flatus, aduentus cuiusdam insoliti nuntius, me præsente ac sentiente TRANSIRET, quasi erigendo se INHORRVERVNT PILI CARNIS MEÆ, prout solet infirmitas humana ad aduentum rei peregrinæ & præcipuè superioris naturæ expauescere; *metus enim ex magnarum rerum sæpe incutitur aspectu*, inquit D. Antonius. D

In hunc locum. — *3. Reg. c. 19.* — *apud Athanasium vita ipsius.*

STETIT

A STETIT QVIDAM, CVIVS NON AGNOSCEBAM VVLTVM, nec enim dabatur ipsum videre in propriâ forma, sed stetit IMAGO ANTE OCVLOS MEOS, vt necesse sit QVENDAM, quem dicit, non hominem fuisse, sed spiritum, hominis speciem præ se ferentem, Quem Hieronymus arbitratur fuisse *2. adu. Pel. 6.2.* Angelum: Quia tamen huius apparitionis pompa eadem est illi quâ Deus Eliæ in Horeb, Apostolis in complemento Pentecostes apparuit, non improbabiliter opinaberis ipsum in forma visibili hic apparuisse Deum: & eò minus, quod Abimelech apparuisse, Balaam occurrisse dicatur Deus. Hæc *Gen. 20. num. 23.* IMAGO, non vt SPIRITVS transiuit, sed STETIT, sui copiam morosam indulgens. Stetitque, ANTE OCVLOS Eliphæ, vnde cum D. Thomâ intelligas visionem hanc sese obiecisse vigilanti; quod ipsum etiam Eliphas insinuauit, cum diceret, quando sopor solet occupare homines. Id enim Diuo Thomæ significat tempore ordinarij soporis Eliphas vigilasse, vel saltem per B spiritum transeuntem & percellentem euigilasse. Tantopere autem conterritus, VOCEM, inquit, QVASI AVRÆ LENIS, atque adeo cum Elia sibilum auræ tenuis AVDIVI; qui nimirum ipso suo placore tremorem sedaret: Prout solent boni apparitores primo accessu conterritos sedare, ex quo D. Antonium solere sumere & tradere discrimen inter apparitiones Angelorum bonorum ac malorum testatur Athan. Quin & vox ista auræ lenis insinua- *in vitam* bat tranquillitatem & sedatæ mentis placiditatem in eo qui loquebatur, hoc *S. Anto.* ipso addens verbis gratiam, audienti consolationem.

Dicebat autem NVNQVID HOMO, DEI COMPARATIONE IVSTIFICABITVR? Similitudo non nisi conformitatem, Comparatio, secundum nomen suum à parilitate deductum, insuper requirit æqualitatem. Sensus ergo est NVNQVID HOMO iustitiæ identitate vel paritate æquabitur Deo? Nequaquam, *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino*, Itaque in primis nemo *Psal. 88.* C æquabitur Deo, vt proficiendo in Dei conuertatur substantiam & hoc prorsus efficiatur quod ipse Deus, Quod tamen quosdam opinatos fuisse, refert Augustinus, *sed viderint*, inquit, *quemadmodum astruant sententiam suam, mihi* *De nat. & grat.* *hoc fateor non esse persuasum*. Et alibi. *Plenitudinem Dei quidam in sermone Apo-* *cap. 34.* *stoli sic intellexerunt, vt putarent nos hoc futuros omnino quod Deus est. Hæc enim* *Epist. 112. c. 15.* *verba Apostolus posuit ita loquens, cognoscere supereminentem scientiæ charitatem Christi vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Quapropter, inquiunt, si aliquid minus quam Deus habebimus, & in aliquo minores erimus, quomodo implebimur in omnem plenitudinem Dei? sed quoniam implebimur, profectò erimus æquales. Auersaris (ô Paulina) istum vtique & detestaris humanæ mentis errorem, scio, & rectè facis*. Hæc Augustinus. Qui alibi dicens, *nec tamen dicendo Qui manducat me &* *Tract. 26. in Ioan.* *ipse viuet propter me, eandem suam & nostram æqualitatem significauit, videtur istum errorem leuiter perstrinxisse.*

D Propterea, ex his oraculi verbis sequitur Deum non esse nostram iustitiam prout voluit Caluinus: Si sic enim, profectò iustitia æquabimur Deo; quia si Deus per semetipsum iustitia nostra & ab illa nos censet, aut secundum Caluinianos reputat esse iustos, iustificamur apud ipsum hoc ipso quo Deus iustus est, æqualiter ergo, quia apud Deum non est inuenire maius ac minus. Sed oraculum dicit nos Dei comparatione non iustificari, ergo Deus non est nostra iustitia.

Cæterum, non solum non æqualitate substantiæ, sed ne quidem similitudine iustitiæ poterunt homines comparari Deo; quia Psalmus non tantum *Psal. 88.* dicit, *Quis in nubibus æquabitur Domino*, sed addit, *Similis erit Deo in filijs Dei.* Vnde deducitur iustum ne quidem in similitudine tantum habere bonitatis quantum habet Deus in substantia, vt non solum non intensiuè, sed ne quidem

quidem extensiuè bonitati diuinæ valeant æquari. Excipit tamen Fulgentius Christum cum dicit. *In quo nos Deus exaltat, nisi in quo ad se leuat animas nostras? In tantum autem ad se leuat, in quantum nobis veritatem suæ cognitionis & dilectionis insinuat. Quis autem dicat animam Christi aut minus recipere veritatis, aut minus aliquid habere charitatis? Possumus planè dicere animam Christi habere plenam notitiam Deitatis suæ, nescio tamen vtrum debeamus dicere quod anima Christi sic suam Deitatem nouerit, quemadmodum ipsa diuinitas nouit. An hoc potius dicendum est, quia nouit quantum illa, sed non sicut illa?* Hæc Fulgent. in illa sua sententia non repugnans allegatis verbis Psalmi, His enim sermo est de filijs Dei adoptiuis, Christus vero filius Dei naturalis. Non tamen credi debet Fulgentius per dicta sua verba docuisse quod Christus vt homo Deum comprehenderit, eo quod Augustinus dicat Deum comprehendi ab eo quem Dei nihil latet, Posito igitur quod Christum nihil lateat eorum quæ Deus nouit, multum tamen rerum Dei latet, qui modum quo Deus omnia nouit non assequitur prout Fulgentius fatetur Christum vt hominem illum modum non assecutum. Scholastici interim rationem comprehensoris ponunt ingredi inter cætera, omnia nosse quæ Deus nouit, & proinde ne fateri debeant Christum comprehendere Deum, ponunt non omnia ab ipso cognosci quæ Deus nouit, sed tantum ipsius authoritati, potestati, gloriæ competentia. Mihi magis arridet sententia D. Fulg. Ex qua apparet humanam mentem non solum à genere suo Dei diuinæque visionis esse capacem, sed in aliquo indiuiduo posse fieri tam augustam & perspicacem, vt lumine gloriæ commensuratè impleta, nosse possit *quantum Deus, non sicut Deus.* Præsertim si inhærendo scripturæ dicenti *sortitus sum animam bonam*, credamus mentem humanam non ex animæ substantia emergere, sed à Deo, tanquam ipsius imaginem vnicuique, prout ipse vult, donari: *Sub cuius occulto iudicio, nec iniusto, alij nascuntur tardissimi ingenij & ad intelligendum quodammodo plumbei, alij obliuiosi, alij acuti memoresue*, inquit August. Cui inhærens Prosper, *certissimâ*, inquit, *notitiâ tenemus Deum creatorem vnam naturam animarum & vnam naturam corporum, placitis sibi temperare mensuris.* Quis autem neget Deum potuisse creare animam Christi, tam, vt dictum est, augustam & perspicacem? Et quis non confiteatur id pro personæ illius præstantiâ decuisse? Denique, Quis dixerit tantam amplitudinem ac vim mentis, creaturæ, aut saltem humanæ naturæ capacitatem limitesque excedere? Postremo, Si quis contenderit mentem humanam ex substantia animæ emergere, quis dixerit Deum non posse animam aliquam humanam creare tam nobilem, vt non possit mentem tam vt dictum est, augustam & perspicacem proferre, præsertim cum Augustinus Iuliano differentias ingeniorum referenti ad differentias corporum, in tuitionem suæ sententiæ respondit, *Nunquid sibi quisque corpus condidit & hoc eius tribuendum est voluntati quod mala ista naturalia magis minusue perpetitur?*

Quæst. 3. ad Ferand. — Sap. 8. — 4 cont. Iul. cap. 3. — 1. de voc. cap. 14. — loco allegato.

Sed ad textum. Addit oraculum; AVT FACTORE SVO hominis vitam arguente PVRIOR ERIT VIR? vt possit Dei culpantis iudicium mundiciâ sua ac innocentia superare? nequaquam. Dicit namque infra Deus, ad Iob, *nunquid irritum facies iudicium meum & condemnabis me vt tu iustificeris?* In hunc sensum hæc verba accepisse videtur Iob, quia ipsa, vt apparet, approbans infrà dicet, *Si innocentem ostendero, prauum me comprobabit.*

Cap. 40. — Cap. 9.

Hominem vero iustitia Deo non substantialiter æquari, probat Eliphas à maiore & dicit, ECCE QVI SERVIVNT EI, *administratorij*, vt appellat Apostolus, *Spiritus*, qui ob honorem conditionis quâ assistunt, & obsequij quod exhibent Deo, ipsi inter creaturas penè omnes similitudine proximi sunt

ad Hebr. cap. 1.

Hi in-

A Hi inquam NON SVNT STABILES, immutabiles, quia à iustitia excidere potuerunt, ergo nec vel ipsi iustitiâ fuerunt Deo adæquati, *quia Deus fidelis permanet negare seipsum non potest:* Quo attento Gregor. dicit, *quod Dei comparatione, iustitia creaturæ iniustitia sit*; Quæ Gregorij verba quasi explicans Augustinus. *In comparatione*, inquit, *iustitiæ Dei, si nec Sancti in cælis Angeli iusti esse dicantur, non mihi videtur importuna sententia, non quia vt hoc essent, à iustitia lapsi sunt, sed quia facti sunt, & Deus non sunt, tantumque spiritalis luminis habere non possunt quantum habet ille à quo facti sunt*, hæc Augustinus. TANTVM, inquit, LVMINIS habere non possunt: Intellige intensiuè, possunt tamen habere extensiuè si Deus donare voluerit iuxta illud Fulgentij: Nouit anima Christi quantum, sed non SICVT diuinitas eius. Nec solum Spiritus isti administratorij non sunt stabiles, sed multi eorum (dicit Christus) *in veritate non steterunt*, id, Authore Augustino, est, *non perseuerauerunt.* 2. ad Tim. c 2. 5. mor. cap. 25. cont. Prisc. c. 10. Ioan. c. 8.

B Quod ipsum hic dicens diuinum oraculum, adiungit. ET IN ANGELIS SVIS REPERIT PRAVITATEM. Reperit inquit, Verbo præteriti temporis indicans se quam dixit instabilitatem intelligere de Angelis, ratione æui præteriti, quo nondum erant in gratia confirmati. Nunc vero stabiles sunt sic vt à iustitia excidere non possint, nec tamen per hoc Dei comparatione iustificati, quia stabilitas Deo est ex semetipso, Angelis autem ex Dei dono. Quod credas Hebræum insinuare qui legit, Nec in angelis suis, PONET GLORIATIONEM, vti vertit Arias Montanus, siue LVMEN, vt Vatablus & Pagninus. Nam Angelos per conditionem suæ creationis mutabiles, ipse in lumine confirmabit, eosque sic glorificabit. Ob id autem, sicut non tantum luminis, prout mox dixit Augustinus, Habere possunt quantum ille, à quo sunt illuminati, ita nec tantum stabilitatis quantum ille à quo sunt stabiliti, Et ob id, ne confirmati quidem Dei iustitiæ

C comparantur. Cæterum nostræ lectionis sensus est. Ex instabilitate quæ fuit in Angelis, Deus tandem in eis REPERIT PRAVITATEM, à quâ exinde dicti sunt *spiritus nequam.* Quam huius loci prauitatem Bernardus intelligere videtur peccandi siue peccati capacitatem; sed hæc, præterquam quod non propriè dicatur prauitas, satis expressa est cum angeli dicti sunt instabiles, vt prauitas hic conuenientius significet instabilitatis euentum, nequitiam videlicet siue iniquitatem, quam Ambrosius dicit *esse habitudinem mentis iniustæ*; Quod suadet & verbum REPERIT, Id enim de inopinato aut forinsecus obueniente propriè dicitur, mutabilitatem verò Angelus non sibi suo opere acquisiuit, sed in mediocritate suæ conditionis à creatore accepit. Luc. c. 11. Act. c. 19. Serm. 5. sup. vidi dominum.

QVANTO MAGIS HI QVI HABITANT DOMOS LVTEAS, corpora peccati fomite & mortalitatis sordibus contaminata. Cum enim Deus ab initio se-

D cundum corpus formauit hominem de limo terræ, ipso se secundum corpus & animam, per peccatum, in deterius mutante, & massam humanæ propaginis in semetipso contaminante, euenit, vt materia prius limosa, lutea facta sit, & Deus qui prius figulus limi, exinde ab Apostolo dictus sit figulus luti, tanquam qui ex massa sordida operatur vasa in honorem vel contumeliam. HABITANT, inquit, DOMOS LVTEAS, Tametsi enim ex anima & corpore resultet vna persona humana, anima tamen tanquam pars dignior, Herilis atque prædominans, dicitur suum inhabitare corpus, vt inde intelligas, quod, cum *verbum caro factum dicitur habitasse in nobis*, non præiudicet quo minus verbum & caro vnum & idem suppositum sint: vt benè ex his verbis deduxit Cyril. Alex. QVI TERRENVM HABENT FVNDAMENTVM, *quia in terra, tentationis loco* inquit Ambr. *consistunt, sicut* Ioan. c. 1. De incarn. Virg. c. 12. Ambr. de incarn. c. 4.

D *scriptum*

scriptum est, Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum, CONSVMENTVR VELVT A TINEA, *intrinseca corruptione ab eis ipsis latenter exortâ, per concupiscentias carnales*, inquit Augustinus eos dissimulantes, conniuentes, non repugnantes, consumente: Eò magis, quia terricolæ etiam hac in parte *habent terrenum fundamentum*, eò quod initium & quasi radix actionum ipsis à sensu sit vel inferiore appetitu, *Sensus autem & cogitatio humana ad malum prona sunt ab adolescentia, quia ex carnis, sensuum sedis, corruptione, oriuntur varia incitamenta vitiorum & desideria*, inquit Augustinus. Cum ergo Angeli tametsi ab his corruptelis immunes, praui facti sunt; quanto minus homines præsumere possunt se prauitatis esse expertes. A

In hunc locum. *Gen. 8. c.* *14. de ciuitat. c. 3.*

DE MANE mundi origine, VSQVE AD VESPERAM, mundi occasum, SVCCIDENTVR, *falce mortis*, quam dicit Apocalypsis, quia prioribus succisis, succedunt alij. *Hæc est enim lætitia vitæ humanæ, vt succisis prioribus rursum de terra germinentur alij*, dicit infrà Baldad. ET QVIA NVLLVS, per se, INTELLIGIT, viam huius corruptionis euitandæ aut euadendæ, Cui conforme est quod Augustinus legit cum 70. & quia non possunt sibi ipsis subuenire, IN ÆTERNVM PERIBVNT. Quod de varijs hominum generibus explanans Baruch, *Vbi*, inquit, *sunt principes gentium qui dominantur super bestias terræ, qui in auibus cæli ludunt, qui argentum thezaurisant, & aurum in quo confidunt homines, qui argentum* in vasa argentea elaboratè *fabricant? exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alij loco eorum surrexerunt. Iuuenes viderunt lumen & habitauerunt super terram, viam autem disciplinæ ignorauerunt. Filij quoque Agar qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, viam sapientiæ nescierunt. Ibi fuerunt Gigantes, non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ inuenerunt, propterea perierunt.* Hæc Baruch. In cuius verba Augustinus, *Gigantes propterea creare placuit creatori, vt etiam hinc ostenderetur, non solum pulchritudines, verum etiam magnitudines & fortitudines corporum non magni pendendas esse sapienti, qui spiritualibus bonorumque proprijs, non bonorum & malorum communibus beatificantur bonis.* Hæc Augustinus. B C

Cap. 14. *Cap. 8.* *In hunc locum.* *Cap. 3.* *15. de ciuitat. 23.*

QVI AVTEM RELIQVI FVERINT. De quibus nimirum Apostolus, *Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt*, AVFERENTVR EX EIS, quos dixi in æternum perituros, sicut Ioas furtim auferebatur de numero fratrum suorum qui interficiebantur, nam & reliquiæ istæ ante effectum electionis gratiæ, fuerunt cum alijs filij mortis. MORIENTVR, ILLI quorum nullus intelligit, ET NON IN SAPIENTIA, iuxta illud Baruch, *Quia non habuerunt sapientiam, perierunt propter suam insipientiam.* Hactenus oraculum. *De cuius veritate nemo dubitet, nam vel Deus ipse hac in visione locutus est, vel Angelus enuncians*, inquit Hieronymus, *sententias Dei.* Eliphas interim oraculum malè applicabat, ex eo inferens etiam Iob consumi vel consumptum esse velut à tinea, & habere occulta peccata ob quæ à Deo tantopere castigabatur: non enim satis intelligebat quod dictum est, QVI RELIQVI FVERINT AVFERENTVR EX EIS, ignorans reliquias diuinæ electionis non solum interitum, sed etiam tineæ corrosiones euadere, è quorum numero erat Iob. D

ad Rom. cap. 9. *Cap. 13.* *2. aduersus Pelag. c. 2.*

CAPVT

A

CAPVT V.

ADducto in propositi confirmationem oraculo, si fortassis Iob illi diffideret, Hortatur ipsum Eliphas, ac si diceret, Vereris me oraculi specie delusum? VOCA ERGO, ET AD ALIQVEM SANCTORVM. *Angelorum qui faciunt Dei verbum ad audiendam vocem sermonum eius*, CONVERTERE, vt eadem tibi reuelet, SI, modo, EST QVI TIBI, Angelum ad tale quid inuocanti, RESPONDEAT: Ex quibus intelligas tunc temporis saltem ad instructionem Angelos inuocari solere: Alioqui enim ab hac exhortatione vt peregrina aut superstitiosa excepisset Iob. Pergit Eliphas. Si non fuerit qui tibi respondeat, noli indignari, VERE, enim, STVLTVM, Ps. 102.
B Sapientia vacuum, spiritualiter INTERFICIT IRACVNDIA, *qua quisque angitur tanquam responso denegato iniquum sibi aliquid acciderit, dum non cogitat se immundum esse coram Deo, vt innocanti non respondere aut se demonstrare dignentur Angeli*, inquit Augustinus. Similiter si non est qui respondeat, noli ô Iob in hunc locum. æmulari mihique prærogatiuam factæ visionis inuidere, quia PARVVLVM, exigua vel non sufficientis sapientiæ hominem spiritualiter OCCIDIT INVIDIA, nam vt ira, ita & inuidia peccatum est mortiferum: eique insipienter indulgetur, Qui enim dona Dei quæ ipse non habet in alijs fauore vel honore prosequitur; per illam dilectionem, cum animi erga Deum donantem & proximum accipientem submissione coniunctam, forte æquiparatur si non superextollitur ijs quos sibi arbitratur præcellere. Aquinas interim 2.2. quæst. paruuli nomine inanis gloriæ auidum vel pusillanimem intelligit, affirmans 36. artic. 1. vtrumque inuidiæ singulariter obnoxium: Illum quidem, quia æquo animo ad 3.
C non admittit expetitæ sibi excellentiæ consortem: Hunc, quia viso excellentiore, non se mediocrem sed reputat abiectum, iuxta illud Cypr. *Quis* In . . . *non se habet vilem cum sentit humilem? Quis non putet opprobrium si se sentit* de cardinal. *inglorium?* Christ. operibus.

His auditis, Eliu, disputationi, vt audiemus, clauso ore præsens, suspicatus est Iob de negata sibi propositi oraculi reuelatione indignari. Postquam infra c. 33. itaque loqui cæpit, horum verborum memor, dicit ad Iob. *Aduersus eum contendis quod non ad omnia responderit tibi?* Et dans rationem cur Deus ad omnia non respondeat; & cur Eliphas de euentura reuelatione subdubitans dixerit, *Si est qui tibi respondeat*, adiungit, *Semel loquitur Deus & secundo idipsum non repetit*, sed vult vt verbo semel manifestato credatur etiam ab ijs qui id non audierunt. Quocirca ô Iob nec indignari debuisti ob reuelationem tibi hac in parte denegatam, nec cunctari admittere eandem per com-
D petentia indicia tibi satis probatam.

Pergit autem Eliphas pluribus demonstrare quod dixerat, *Vidi eos qui operantur iniquitatem perijsse*, & dicit, EGO VIDI STVLTVM, Augustinus, *impium*: in hunc lo*si enim*, inquit, *pietas paulo post dicitur sapientia, impietas vtique stultitia est*. Im- cum. pium ergo, qui præcipuè delinquit in Deum ac Dei cultum: Tametsi omnis peccator Deum postponens sibi, implicitè fit impius, vt hic stulti nomine, omnis peccator possit intelligi. Vidi ergo stultum FIRMA RADICE, rebus ipsius egregiè suffultis & firmatis, ET MALEDIXI PVLCHRITVDINI EIVS STATIM, augurando ac prænunciando quod splendor eius quam latè se diffunderet, ob impietatem non multo post labasceret ac interiret. Declaro singulatim. Nam LONGE FIENT FILII EIVS A SALVTE, afflicti incurabili inualitudine. ET, qui fortè ægritudinem euaserint, CONTERENTVR

IN PORTA, iniquis iudicijs sub iuris specie oppressi. Et NON ERIT QVI, studio aut conatu ERVAT, iniuriâ istud misericordiæ officium excludente, adeo filij ipsius erunt ab omnibus neglecti. A

CVIVS MESSEM FAMELICVS COMEDET, eam prodigendo, disperdendoque, priusquam in horreum inferatur. ET IPSVM Herum dum messi suæ intendit, DE SPINIS, legunt Hebræi, dumetis rubisque ex insidijs prosiliens RAPIET VIR ARMATVS, deducturus ipsum in custodiam donec pretio se redemerit: ET, sic, BIBENT SITIENTES DIVITIAS EIVS, nam militaris auaritia opibus ipsius se ingurgitabit, & non exaturabit. Quæ mala ascribo peccatis ipsius, quia, NIHIL IN TERRA FIT SINE CAVSA, Dices efficiente, quod quidem verum esse admittit Ciceroni tale quid affirmanti Augustinus, sed id extra propositum disputantis prospera in hoc sæculo euenire non nisi ob iustitiam, aduersa non nisi propter iniquitatem. Itaque, NIHIL, eorum de quibus ago, IN TERRA FIT SINE CAVSA, propter quam, neque enim DE HVMO ORITVR, naturaliter excressit, DOLOR, Sed HOMO, non dico creatus est, verum NASCITVR AD LABOREM. Quocirca benè dixit Bernardus. *Vt quid morte afficimur tota die in ieiunijs, vigilijs, laboribus, & ærumnis? nunquid ad hæc creati sumus? Absit, nam licet homo natus sit ad laborem, sed minime ad laborem creatus est. Natiuitas in culpa est, ideo in pœna*, hæc Bernardus. Propter quod Protoplastus ante lapsum scribitur in paradiso positus *vt operaretur & custodiret illum:* à lapsu vero dicitur illi *in laboribus comedes ex ea.* B

9. de ciuit. c. 5. — *De alt. & bas. serm. 4* — *Gen. c. 2.*

ET AVIS, cui natiuitas in culpa non est, NASCITVR AD VOLATVM, proinde vt dolor non nascitur de humo, ita nec ex ouo; quem sensum prima facie videtur textus requirere. Re tamen introspectâ, dolor nascitur ex ouo, nam auis nascitur natura mortalis. Mortalitas autem omnis doloris causa, sic vt sensus iam datus non sit plane exactus. Obserua igitur quod septuaginta AVEM hic non pro quouis volatili, sed pro PVLLIS AQVILARVM, accipiant, sicut Augustinus pro PVLLIS VVLTVRIS, & VOLATVM, non pro quouis volatu promiscuè, sed pro volatu altissimo qualis est aquilarum, vnde & Hebræi legunt ELEVABVNT VOLATVM. Augustinus itaque pullos vulturis intelligit filios sponsi, *Aquilarum more altissimè volitantes & habentes conuersationem in cœlis vt liberentur à labore in quo homo nascitur, Secuti sunt quippe vocem dicentis, Venite ad me omnes qui laboratis*, hæc Augustinus. Vt dum dicuntur FILII VVLTVRIS, significetur vnde nati sunt ad huiusmodi volatum, nempe ab Ecclesia afflante Spiritu Sancto, prout vultures inhiante matre concipiuntur à vento: cui vicinum est quod Hebræi aues istas appellent FILIOS PRVNÆ, scilicet spiritualiter conceptos & renatos à Spiritu Sancto qui apparuit in igne, & cuius est ignire. Ex altera verò parte cum dicuntur FILII AQVILARVM, significetur per quid euadant primæ natiuitatis laborem, nempe, per volatum quo in cœlestia tollunt mentem. Proinde, sicut oraculum diuinum superiore capite de pereuntibus verba faciens interponit mentionem RELIQVIARVM quæ saluantur, ita hic vbi de laborantibus sermo est, apponitur mentio eorum qui generis humani labores velut quodam alarum remigio euolant vt quiescant, ac si diceret Homo nascitur ad laborem, sed renascitur vt euolet laborem. C D

In hunc locum.

Pergit Eliphas. QVAMOBREM, vt videlicet ego impius non sim, plagasque impij nunc memoratas euadam, & simul labores primæ natiuitatis, EGO DEPRECABOR DOMINVM ET AD DEVM in oratione verbali PONAM ELOQVIVM MEVM, sic enim vt PVLLI AQVILARVM, volabo & quiescam, Nam oratio est mentis eleuatio ad Deum, cum decentium petitione. Et quandoquidem Bernardus admonet, *orantem oportere quanta potest cordis puri-*

tate

A *tate intendere in eum cui sacrificium orationis offert*; *Quantum enim eum videt & intelligit, tantum ei in affectu est.* Et Basilius dicit, *quod oratio bona est qua compertam Dei notionem in animo generat.* Epist. 1.

Subiungit & exponit Eliphas quam Dei notionem gerat in mente & sibi in oratione ponat ob oculos, & dicit, QVI FACIT MAGNA, quoad solita & vsitata, ET INSCRVTABILIA quoad illa quorum ratio humano non potest comprehendi ingenio, ET MIRABILIA ABSQVE NVMERO, quoad rara & invsitata, In primis in naturalibus, quia, DAT PLVVIAM SVSVPER FACIEM TERRÆ. Nam montes quos non attingunt fluuij, fontes, riui deriuationesue, pluuijs *rigat de superioribus suis*, plana irrigat fluminum exundationibus, & sic, IRRIGAT AQVIS VNIVERSA: quod ipsum & psaltes tetigit cum dixit. *Emittes fontes in conuallibus inter medium montium pertransibunt aquæ*, & ne cacumina montium suo fraudentur irriguo, *rigans montes de superioribus suis.* Quod ad opera Dei magna pertinere docet ipse Psalmus ob omnia prius recensita exclamans, *Quam magnificata sunt opera tua Domine!* Psa. 103. Psa. 103. B

Quin & MAGNA, facit Deus in hominum promotionibus. Nam PONIT HVMILES IN SVBLIME, quando quis *de catenis & carcere egreditur ad regnum, & insuspicabilis portat diadema, deponunturque* Iudæi *potentes de sede, & exaltantur* gentes, per pristinam abiectionē, *humiles.* Et MOERENTES præ diutina inualitudine, refusa salute ERIGIT SOSPITATE, idque subinde verbo, iuxta illud Psalmi *misit verbum suum & sanauit eos*, vt ibi appareat Deum, non solum magna, sed etiā facere MIRABILIA. Vis autem scire quæ faciat INSCRVTABILIA? DISSIPAT COGITATIONES MALIGNORVM, alij ex Hebræo, CALLIDORVM, vel vt 70 versutorum. Quomodo? nunquid cogitationes disturbando ne concludatur vel ne statuatur quod cogitatum est? prout Gamaliel dissipauit cogitationes magistratuū Iudaicorum de occidendis Apostolis ne resoluerentur: *& Domini nutu dissipatum est consilium Achitophel ne reciperetur?* Id quidem facit Deus, sed de tali dissipatione non hic sermo, quia sequitur. NE POSSINT MANVS EORVM IMPLERE QVOD CÆPERANT. Per id enim indicatur dominum malignorum consilia dissipare ne conclusa vel intentata sortiantur effectum. Quod illustratur exemplo Herodianorum, qui cum callidè simularent se iustos vt *caperent Iesum in sermone*, & malignè agerent vt ipsum traderent principatui ac potestati præsidis, cauta Domini responsione impediti, non sunt consecuti intentum ac attentatum. Eccl. c. 11. Luc. c. 1. Psa. 106. Act. 5. 6. C 2. Regum c. 17. Matt. c. 22

Nec solum consilia Deus in hunc modum irritat, verum etiam in consultantium capita conuertit de quo sequitur QVI APPREHENDIT SAPIENTES IN ASTVTIA EORVM, nam facit ipsos per propria consilia in id deuenire, quod consultabant euadere, Id Gregorius declarat per fratres *Ioseph qui vendendo, cogitabant efficere ne ipsum adorarent, & hoc ipso effectum est vt adorarent.* Quale quid euenit senioribus Babylonis tempore Susannæ, supplicium quod in ipsam struxerant in semetipsos recipientibus, ET CONSILIVM PRAVORVM DISSIPAT. Videretur superflua repetitio præcedentium, nisi hæc acceperimus peculiariter notare consilium malignantium in Christum. De qua dissipatione cum non exprimatur vtrum fiat frustrando effectū an vero conuertendo consilium in ipsum Authorem, credas dissipationem hanc vtroque modo fieri. Nam consilium dicentiū de Christo: *Contumeliā & tormento interrogemus eum*; (quod erat consulere vt quam diutissime torqueretur Christus) effectu suo frustratū est, quia orante Christo *Exurge Domine praeueni eum*, tradidit spiritū præuento Carnificis officio, ita vt miraretur Pilatus quod tam cito obijsset. Consilium vero dicentium, *Quando morietur & peribit nomen eius?* 6. moral. c. 10. D Sap. 2. Psal. 16. Psal. 40.

vertit Deus in contrarium. Nam à morte Christi illustratum est nomen A eius ac diffamatum: Quemadmodum & per Consilium Caiphæ quo cum reliquis consiliabatur auertere, *venerunt Romani & tulerunt locum & gentem.* Proinde hæc Eliphæ verba confirmans, infrà, nomine Iudææ dicet Iob, *Cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum*, vt ibi explicabitur. Adiungit Eliphas.

Ioh. c. 11.

infra c. 17.

PER DIEM INCVRRENT TENEBRAS, quia cum malignantes isti viderent Christum clara luce & velut medio die rutilantem, excæcati sunt ipso dicente, *Ego lux in sæculum veni vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant*, Excæcauit enim eos malitia eorum. ET QVASI IN NOCTE SIC PALPABVNT IN MERIDIE. Quod apud Isaiam Iudæi de semetipsis egregie profitentur in hæc verba. *Exspectauimus lucem*, quæ tempore sui aduentus dixit, *Ego sum lux mundi, & ecce tenebræ, quia videntes non viderunt. Exspectauimus splendorem*, *(exspectabat enim Sion donec egrederetur vt splendor iustus eius)* & in tene- B bris perfidiæ nostræ visa luce ambulauimus. *Palpauimus sicut cæci parietē & absq; oculis contrectauimus*, quando turbæ Christum miraculis splendidum comprimebant & affligebant, & ipse circumspiciens dicebat, *Quis me tetigit*, quærens eam quæ ex fide tetigisset, nam reliqui tetigerant absque fide atque adeo absque oculis. Qua in parte Deus fecit inscrutabilia. Apostolus enim exclamans, *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius*, nihil prius præ oculis habuit quam quod Iudæi excæcati sunt & Oliuæ exciderunt.

Ioh. c. 9.

cap. 59.

Isaia c. 62.

Luca c. 8.

ad Rom. cap. 11.

PORRO Deus, per resurrectionem SALVVM FACIET EGENVM, Christum videlicet A GLADIO ORIS EORVM. Quo quasi gladio acuto clamabant *non est salus ipsi in Deo eius.* ET DE MANV VIOLENTI, militis in crucem agentis, PAVPEREM: ipso de cruce clamante, *Salua me ex ore leonis, & de manu canis vnicam meam.* ET ERIT EGENO SPES, obueniet enim Christo quod sperarat cum diceret, *Spes mea ab vberibus matris meæ*, Et, *defecerunt oculi mei dum spero in Deum meum*, nam priusquam moriendi necessitas adesset, potestate ani- C mam posuit & triduo non plenè expleto resurrexit. INIQVITAS AVTEM CONTRAHET OS SVVM. Non dicit oppilabit os suum, quia mortuo Christo adhuc dixit, *Recordati sumus quia seductor ille dixit, post tres dies resurgam*, ex quo euidens est iniquitatem à morte atque adeo resurrectione Christi os suum à maledicentiâ non per omnia continuisse, sed tamen illud contraxit quia exorauit Christus *Ne dicerent in cordibus suis Euge, Euge deuorauimus eum*, nam semper scrupulum habuerunt de futura Christi resurrectione. Quin & iniquitas contraxit os suum in ijs qui prius blasphemi visis miraculis mortis Christi Deum & Christum glorificauerunt inter quos Alexandrinus reponit Centurionem. Denique iniquitas contrahet os suum, quando reges reuocando edicta in Christianum nomen promulgata, *super Christum* iuxta Isaiam & Augustini expositionem *continebunt os suum.* Dices, Ergonè pro- D phetat Eliphas? Augustinus arbitratur verba totius huius capitis esse verba oraculi superiore capite commemorati. Cæterum cum hic dixerit Eliphas, EGO VIDI STVLTVM, &c. apparet potius quod oraculo ad finem præcedentis capitis finito, Eliphas ab initio huius capitis suis iterum verbis cæperit loqui. Hæc itaque verba passionem Christi quadantenus loquentia, arbitror quod Eliphas dixerit ex fide venturi Christi, quam, in amicitiæ fundamentum, ex Iob, plurimos, vt audiuimus, docente, excellenter didicit & in oratione sibi ob oculos proposuerit: nisi arbitrari malueris Eliphas hæc in generalibus tantum terminis cognouisse, nec ad Christum applicuisse, tametsi talia sint quæ nisi ad Christi passionem referantur, solidum ac plenum non reperiant sensum.

Psalm. 3.

Psalm. 21.

Psalm. 21.

Matt. c. 27

Psalm. 34.

10. Thesau ri cap. 3.

1. de cons. Euan. c. 31

in hunc locum.

Cæte-

A Cæterum postquam Eliphas sibi visus est sufficienter probasse quod Iob in suas deuenerit calamitates ob peccata, proponit rationem miseriæ illius euadendæ imo conuertendæ in fælicitatem, dicitque BEATVS HOMO QVI CORRIPITVR A DEO, in primis iudicans aduersa peccatoribus inferri ad correptionem ac resipiscentiam iuxta illud 2. Machabeorum 6. *Qui hunc librum lecturi sunt, cogitent ea quæ acciderunt non ad interitum sed ad correptionem esse generis nostri: Corripiens vero Deus in aduersis populum suum non derelinquit:* Dicente in idipsum Apostolo. *Dum iudicamur à Domino corripimur, Vt non cum hoc mundo damnemur.* Beatus ergo homo ille, *habet enim potestatem* euadendi inquit August. Sed quia euadere non poterit si correptione fuerit male vsus, INCREPATIONEM DOMINI, ô Iob, quasi nimiam, iniquam, immeritam NE REPROBES, more illorum qui correpti, *impatientiam suam & improperium murmurationis suæ*, dicebat Iudith, *contra Dominum protulerunt*. VEL NE B REPROBES, ne refugias inquit Ambr.

1. ad Corinth 11.

in hunc locum.

cap. 8.

de exhort. virg. circa finem.

QVIA IPSE VVLNERAT *peccatores*, ET MEDETVR, *correctis:* PERCVTIT ob peccata, ET, subsecuta emendatione MANVS EIVS SANABVNT. Nec solum, sed à malo in posterum protegent, & quidem multiplici. Nam, IN SEX TRIBVLATIONIBVS in hac vita sæpenumero ac notanter obuenientibus, LIBERABIT TE, ne illis inuoluaris. ET IN SEPTIMA, August. & Ambr. cum 70. legunt, IN SEPTIMO, estque id substantiuatum in neutro genere, per quod August. intelligit sabbathum futuri sæculi de quo propriè dixeris NON TANGET, quia *non accedet ad te* MALVM, *& flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Habitabit* enim *ibi populus Domini timore malorum* inquit Isaias, *sublato.* Nec aduersatur nostra lectio. Adiectiua enim in fæminino etiam genere substantiuari probauimus in illud Psalm. 26. *Vnam petij à Domino hanc requiram.* Si tamen contenderis. SEPTIMA, hic adiectiuum esse,& subaudire volueris TRIBVLATIONE, fauebit Bern. qui per septimam tribulationem intelligit mortem *tanquam ianuam vitæ, initium refrigerij, ingressum in locum tabernaculi admirabilis quod fixit Deus & non homo, in qua non tanget te malum triplex, nempe horror in exitu, dolor in transitu, pudor in conspectu gloriæ magni Dei.* Hæc Bern. Vel IN SEPTIMA, tribulatione nimirum diei iudicij, NON TANGET TE MALVM, de quo dixit Dominus. *Vigilate omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia, & stare ante filium hominis.* Sex ergo tribulationibus huius vitæ adiungit Eliphas septimam tanquam tribulationem alterius temporis, ne alioqui videatur *iustitiæ*, nil nisi bona huius vitæ in mercedem promittere. Sex autem tribulationes sunt, fames, Gladius, maledictum. Calamitas, Vastitas, Feræ, de quibus dicit.

Psal. 90.

C *serm. de 6. tribulat.*

Luc. 21.

IN FAME, quæ prouenit ex sterilitate, ERVET TE DE MORTE, vt multis fame extinctis tu superstis. IN BELLO, ne cum reliquis occumbas, ERVET TE D DE MANV GLADII. August. legit cum 70. DE MANV FERRI, vinculis catenisque ferreis quibus constringuntur bello capti, SOLVET TE, vt suo tempore D. Petrum cui cecidere catenæ de manibus, aliosque de quibus Psalmus *Sedentes in tenebris vinctos in mendicitate & ferro, & clamauerunt ad Dominum cum tribularentur & vincula eorum disrupit* A FLAGELLO LINGVÆ, *maledicorum ore*, inquit Ambrosius; ABSCONDERIS, Domino iuxta expositionem Thomæ, infirma tua vel speciem mali habentia contegente, vt maledici non habeant quippiam mali dicere de te. Quod Dominum subinde facere ijs quorum, ob causas sibi notas, saltem famam vult esse saluam, docet experientia; & notum erat Poëtæ introducenti orantem in hunc modum,

Psal. 107

de exhort. virg.

Noctem peccatis & fraudibus obijce nubem.

Sed id in promissis habere fouet libertatem peccandi occultè. Alij itaque

inter quos Pagninus ex Hebræo legunt, in flagello linguæ ABSCONDES TE, A
vt nostræ lectionis sensus sit ABSCONDERIS, à temetipso, *propria tua prudentia*
Cap. 51. *ac prouidentia animum tuum sic componendo, ne sentias contumelias*, inquit Augustinus iuxta illud Isaiæ, *Nolite timere opprobria hominum & blasphemias eorum ne*
1. Mach. cap. 2. *metuatis.* Et Mathatiæ, *A verbis viri peccatoris ne timueritis.* Vel ABSCONDERIS, cauendo, ne in te prouoces maledicta aliorum. Quod feceris, si au-
Vbi supra. dieris Ambr. dicentem, *Si tu nulli putaueris derogandum, aliena lingua flagella non metues.* (Adiungit Ambr.) *Mire autem sermones maledicorum expressit dicendo,* LINGVÆ FLAGELLVM, *cuius sonus latè resultet: A quo nos separare cupiens, monet nos Psalmus, Cohibe linguam tuam à malo tanquam lingua flagello, nec timeas verborum sonum si munda est conscientia tua. Bonum est quidem nullum (si fieri potest) locum obtrectationi dare: sed quia plerique non vitijs sed virtutibus derogant, reprehendant quod laudis, non inueniant quod est erroris. Sed, quod peius est, non solum ab aliena linguâ, sed etiam à nostra flagellamur. Et hæc sunt grauiora verbera cum* B
ex multiloquio peccatum incurrimus, hæc Ambr. ET NON TIMEBIS CALAMITATEM CVM VENERIT, quam arbitror esse pestem cum grassari cæperit, eo quod inter plagas Dei, gladio & fami pestis soleat apud Prophetas an-
Cap. 14. numerari, dicente Ezechiele, *Quod & si quatuor iudicia mea pessima gladium & famem ac bestias malas & pestilentiam immisero in Ierusalem, tamen relinquetur in ea saluatio.* A qua expositione non est alienum quod Hebræi pro CALAMITATEM vertunt VASTITATEM, Pestis enim deuastat populum ac genus hu-
De anima cap. 30. manum dicente Tertulliano, *Quod inter cætera, lues, tonsura sit insolescentis generis humani.*

IN VASTITATE ET FAME RIDEBIS. Famè inquit, vt per id quasi exponendo distinguat hanc vastitatem ab ea quam mox dixerat, significetque se hic loqui de vastitate agrorũ hostiliter illata & inducente famem, de qua Isaias. *Desolabitur sicut in vastitate hostili*, vt ad integritatem senarij quo comprehendit C
quas specificat tribulationes, bis quidem concurrat fames, sed diuersimode illata. Et BESTIAS TERRÆ, feras, NON FORMIDABIS: quas appositè adiungit fami, gladio, pesti, nam Ezechiel illas inter quatuor Domini pessima enu-
Cap. 15. merauit: Et Ieremias dicit, *Visitabo super eos quatuor species, Gladium ad occisionem, canes ad lacerandum, volatilia cæli & bestias terræ ad deuorandum & dissipandum.*

Promittit itaque Eliphas his verbis illud Poëtæ,

> *Integer vitæ scelerisque purus,*
> *Non eget mauri iaculis nec arcu.* &c.

Atque adeo promittere videtur imperium in belluas, quod habuit proto-
Eccl. 47. plastus ante lapsum, fortassis & Dauid de quo dicitur, *Cum leonibus lusit velut cum agnis.* SED. Aduersatiua est q. d. non solum in sex his tribulationibus correctum te liberabit, quin & fælicitate varia te cumulabit, Nam, CVM LAPIDIBVS REGIONVM PACTVM TVVM, vt & illi prosperitati tuæ deser- D
Infra c. 29 uiant. Iuxta quod Iob de se infra dicit, *Petra fundebat mihi riuos olei*, & Do-
Deut. c. 32 minus præparabat Israëli, dicente Moyse, *Constituit eum super excelsam terram vt sugeret mel de petra.* Vel CVM LAPIDIBVS REGIONVM PACTVM TVVM, vt si vastitas hostilis optimum quemque in regionibus tuis agrum oppleuerit lapidibus, vel lapides ex rupibus decidentes multorum agros occupauerint, tui tamen agri quasi ex quodam singulari pacto euadant immunes. Et BESTIÆ TERRÆ, quæ solent fruges lædere, locusta videlicet, bruchus & quædam reptibilia, vnde alij vertunt ex Hebræo, BESTIÆ AGRI, PACIFICÆ TIBI ERVNT frugibus tuis innocuæ. ET ad animi tui securitatem SCIES, QVOD PACEM HABEAT TABERNACVLVM TVVM, tanquam quod protegente Deo immune sit ab omni incursu infesto, quasi tibi competat illud

A illud Isaiæ, *Habitabit populus meus in pulchritudine pacis & in tabernaculis fiduciæ, & non erit qui exterreat.* Cap. 32.

ET VISITANS SPECIEM TVAM, alij ex Hebræo HABITACVLVM TVVM: Visitans ergo, siue, animi causa perlustrans domum tuam in quamcumque partem te verteris eminenter speciosam, NON PECCABIS, eo quod Deus speciē illam tibi abunde dederit ad fruendum, SCIES QVOQVE QVONIAM MVLTIPLEX, maribus & fæminis numerosum, ERIT SEMEN TVVM ET PROGENIES TVA, virens, florensq; per Terram diffusa, QVASI HERBA TERRÆ.

INGREDIERIS IN ABVNDANTIA, annorum, plenus dierū SEPVLCHRVM, quem sensum aperit similitudo subiuncta, SICVT INFERTVR ACERVVS TRITICI IN TEMPORE SVO, cum videlicet plenè maturuerit. Tritici inquit, per comparationem simul indicans omnium rerum ipsius præstantiam, eo quod triticum omnibus alijs grauis præstet, Quæ Eliphæ verba confirmans

B Athan. *Deus inquit legitimis suis cultoribus numerum ipsorum dierum se adimpleturum esse pollicetur. Abraham quidem plenus dierum moritur, Dauid vero deprecatur, ne me reuoces in dimidio dierum meorum. Et vnus ex amicis Iob Eliphas nomine id probè cognitum habens, ita locutus est, Venies in sepulchrum vt seges matura, suo tempore demessa, & vt manipulus areæ in tempore collectus. Et Salomon hunc sermonem obsignans, ita ait, Tollentur immaturæ animæ impiorum, quapropter in Ecclesiaste admonet dicens, ne impius sis valde, & ne sis durus, & ne moriaris in tempore non tuo.* Hæc Athanasius. Apologia de fuga. Eccl. c. 7.

Concludit Eliphas ECCE HOC VT INVESTIGAVIMVS ITA EST. Ex quo intelligas hanc Eliphæ dissertionem, non oraculi fuisse, sed studij; nec ad Dei reuelantis responsa, sed humani ingenij inuenta pertinere. Tu QVOD AVDITVM est MENTE PERTRACTA, vt id quod ita se habere affirmaui, tu verum esse cognoscas. Quod ego loco Iob faciens, inuenio rem non ita se

C per omnia habere. Et in primis ad interrogationem QVIS VNQVAM INNOCENS PERIIT? non, quod exspectabat Eliphas, esse respondendum NVLLVS: Dicit namque Cypr. *Ab origine statim prima, Abel iustus occiditur, & exinde iusti quoque Prophetæ & Apostoli.* Et alibi. *Christi natiuitas à martyrijs infantium statim cæpit. Vt appareret innocentes esse, qui propter Christum necantur, infantia innocens, ob nomen eius occisa est.* Et alibi. *Inuenimus Patriarchias, Prophetas, & Iustos omnes qui figuram Christi imagine praeunte portabant, nihil magis custodisse in laude suarum virtutum, quam quod patientiam forti & stabili æquanimitate tenuerunt.* Hæc Cypr. Propter quæ & Ecclesiastes, *Vniuersa æquè eueniunt iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas & sacrificia contemnenti, sicut bonus sic & peccator, vt periurus, ita & ille qui verum deierat. Hoc (si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus) est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt quia eadem cunctis eueniunt vnde & corda filiorum hominum implentur malitia & contemptu in* Eph. 72. Eph. 56. De bon pat num. 3. Cap. 9. 1. ad Cor. c. 15.

D *vita sua.* Nam his attentis dicunt Malachiæ 3. *Vanus est qui seruit Deo.* Et infrà cap. 37. *Quis est omnipotens vt seruiamus ei, & quid nobis prodest si orauerimus illum?* De quibus Cypr. *Quosdam mouet quod æqualiter cum gentilibus, nostros morbi istius inualetudo corripiat, quasi ad hoc crediderit Christianus, vt immunis à contactu malorum mundo & sæculo fæliciter perfruatur, & non omnia hic aduersa perpessus, ad futuram lætitiam reseruetur. Mouet quosdam quod sit nobis cum cæteris mortalitas ista communis. Quid enim nobis in hoc mundo non commune cum cæteris, quam diu adhuc secundum legem primæ natiuitatis manet caro ista communis? Quo adusque istic in mundo sumus cum genere humano carnis æqualitate coniungimur, spiritu separamur. Itaque donec mortale hoc accipiat immortalitatem & spiritus nos perducat ad Deum Patrem; quæcunque sunt carnis incommoda, sunt nobis cum humano genere communia.* Hæc Cypr. Qui quasi ex professo contradicens Eliphæ, sex tanquam De mortal. num. 3.

iusto

iusto euadendas tribulationes specificanti, subiungit, *Sic, cum fœtu sterili terra ieiuna est, neminem fames separat: sic, cum irruptione hostili ciuitas aliqua obsessa est, omnes simul captiuitas vastat. Et, quando imbrem nubila serena suspendunt, omnibus siccitas vna est.* Qua igitur veritate dixit Eliphas in gladio fame vastitate eruet eos? *Et cum nauem scopulosa saxa constringunt, nauigantibus naufragium sine exceptione commune est. Et oculorum dolor & impetus febrium,* &c. A

Sed nec verum est quod de correcto dicit Eliphas, IN SEX TRIBVLATIONIBVS LIBERABIT TE: *Remissa enim culpa remanet pœna ne leuis videretur culpa si cum illa finiretur & pœna*, inquit Augustinus. Propterea pœnitenti, ex spe quod vnà cum culpa transiret pœna, Deo dicenti, *Tu es refugium meum à tribulatione quæ circundedit me, Exultatio mea erue me à circundantibus me*, respondet Deus, *Intellectum tibi dabo & instruam te in via hac qua gradieris:* vt intelligas, correctis non auferri debere tribulationem ob causam ex Augustino mox allegatam, atque etiam ad nouæ vitæ custodiam: Quâ de causa pœnitentibus, inter cætera imponi debere castigationem atq; vindictam quam fere appellamus pœnitentiam, suo loco docet Conc. Trid. Et agnoscit pœnitens quando alibi amicis à satisfactione dehortantibus respondet, Nequaquam, Quia dixi, *ne quando supergaudeant mihi inimici mei*, qui sunt maligni spiritus gaudentque super iniquitate, & præsertim iterata; Et dum, per relapsum, *commouentur pedes mei, super me*, insultando, *magna locuti sunt*. Ne ergo fierem gaudium inimicis meis, etiam correctus, passus non sum me abduci ab instituto ac proposito pœnitendi, ad tutelam vitæ iam emendatæ. B

Tract. vlt. in Ioan.
Psal. 31.
Psal. 39.

CAPVT VI.

RESPONDENS AVTEM IOB, DIXIT: VTINAM APPENDERENTVR PECCATA MEA QVIBVS IRAM MERVI: ET CALAMITAS, QVAM PATIOR, IN STATERA, QVASI ARENA MARIS HÆC GRAVIOR APPARERET. Videtur esse sensus, GRAVIOR, sensu doloris, & tractu temporis, quia etiam in adæquato ad peccati demeritū supplicio plus inuenitur acerbitatis, & moræ, quam fuit delectationis in delicto: In quem sensum, Authore Ambr. dicit Apostolus: *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: Condignæ*, inquit, *ad magnitudinem consolationis, non ad fructum redemptionis*. Hic autem sensus, verus quidem, sed proposito Authoris parum est consentaneus, Hic enim disputatur non an supplicia peccatorum in sensu superent voluptates peccantium, sed an grauitate sua peccantium superent demerita. Quod luculenter indicat Iob dicens PECCATA QVIBVS IRAM MERVI. Hoc ipso enim significat se optare peccata in qualitate demeriti & calamitates in qualitate supplicij in statera expendi. Huius controuersiæ partem negatiuam cum sustineret Eliphas, affirmatiuam verò Iob, dicit PECCATA QVIBVS IRAM MERVI. Quibus verbis fatetur se peccasse: Tametsi enim secundum aliam lectionem nimirum 70. dicatur abstinuisse ab omni OPERE MALO, mirum, inquit Augustinus, si ab omni VERBO ET COGITATV MALO. Peccata ergo inquit, QVIBVS IRAM MERVI, fatetur ergo se fecisse digna plagis. Sed si ad experiendum suæ iniquitatis, ac calamitatis pondus vtraque appenderentur IN STATERA, calamitas QVASI ARENA MARIS, incomparabiliter, inquit Thomas, GRAVIOR APPARERET. Non obuenit mihi ergo calamitas tanta, vt peccatorum meorum vindicta, nam propter peccata, sine quibus, vt fatetur, non fuit, pauciora se pati debuisse indicat, inquit Augustinus & Ambrosius, dicens ex persona C D

Rom. 8.
1. de interpell. c. 1.
2 ad Marcel. c. 13.

A perſona Iob, *Si iudicor quaſi homo, commune eſt iſtud. Infirmitas conditionis eſt, non ſpecialis improbitas.* Hæc Ambr. Qui alibi quærit, *Nunquid ergo ſupra demerita affligens, iniquus Deus? Imo inquit iuſtus, quia probaturus iuſtum ſuum per huiuſmodi exercitia quibus eius probata eſt ſapientia, magis dignum qui probaretur effecit.* Dices per hanc Ambroſij rationem iniuria magis videtur compenſari quam purgari: Quia Deus ſola exercendæ virtutis gratia, neminem ante lapſum vllatenus afflixiſſet vt ſupra ex Aquinate audiuimus. Si innocentem nullatenus, ergo per iuſtitiam non affligit nocentem niſi quouſque nocens eſt & quatenus: iuſtitia enim inter duo rerum æqualitatem requirit atque proportionem. Reſpondeo, hic ad mentem reuocari debere quod circa initium cap. 3. ex Aquinate allegauimus, Nimirum, *Hominem ex peccato originali præſentis vitæ calamitatibus*, & quidem authore Proſpero *quibuſuis iuſtè factum eſſe obnoxium.* Quando igitur calamitas exercet virtutem, inuenitur ibi ratio iuſtitiæ aut ſaltem non iniuſtitiæ, & gratiæ. Illius

De perfect. iuſt. rat. 17 — *3. de interp. cap. 3.* — *Serm. 14. v. 4. in Pſ. 118.* — *2. de vocat. gent. c. 22.*

B quidem per legem vitiatæ originis, huius verò per emolumentum bonæ exercitationis. Quod præ oculis habens dicit Tertull. *Peruerſitas quam putas, ratio, quod ſæuitiam exiſtimas, gratia eſt. Incidiſti in manus Dei? Sed fæliciter incidiſti: Incidit & ille in ægritudines tuas. Homo ſemper medico prior negotium facit. Denique ſibimetipſi periculum mortis attraxit. Quid grauatur pati ex remedio, quod non eſt grauatus pati ex vitio? Diſplicet occidi in ſalutem, cui non diſplicuit occidi in perditionem? Nauſeabit ad antidotum qui hiauit ad venenum?* Concludit tandem. *Nulla inuidioſa compenſatio, in qua aut gratiæ aut iniuriæ communis eſt ratio.* Hæc Tertull. Conditionem obnoxij generis allegans vt cauſam ob quam Deus vnicuique innocenti calamitates inferre poſſit, exercitationem verò ponens cauſam ob quam eaſdem inferat: vt proinde iuſtitia Dei affligentis iuſtum ſupra demerita, non tantum defendatur per extrinſecam boni

Scorp. c. 5. — *Ibidem c. 6.*

C compenſationem, ſed iuſtitiæ intrinſecam rationem. Addit Iob, VNDE, quia nimirum grauiſſima eſt calamitas quam patior, ET VERBA MEA, quæ profero, præ fandi difficultate DOLORE PLENA SVNT, *Quia cum incipio loqui, compungunt me*, inquit Ambroſius. Qui tamen ſub dolore, pium quendam planctum comprehendit, ſubiungens, *Iob cauſam agit infirmitatis humanæ ac noſtræ imbecillitatis aſſertor, ad remedium operis auxilium creatoris expoſcit*, prout infra ſuis locis declarabitur. Qui, ne videatur calamitates ſuas confusè tantum exaggeraſſe, incipit eas particulatim explanare. Sed propoſitum varijs excurſibus interruptum reſumit capite 19. & iterum capite 29. & 30. Quibus capitibus 31. opponens iuſtitiam, ac innocentiam ſuam, dat facultatem vtraque appendendi in ſtatera, & expendendi an non res, vt ſuſtinet, ita ſe habeat; Quod amici tandem deprehendiſſe videntur, nam à capite 31. ſiluerunt.

D Erat autem calamitas Prophetæ quinque-partita, videlicet per damna rei familiaris, dolores corporis, opprobria amicorum, deſertionem neceſſariorum, amiſſionem authoritatis, & honorum: quæ hic aggrediens recenſere, incipit à doloribus corporis, & dicit, QVIA SAGITTÆ. Dicerem, Plagæ, Pœnæ, ſed hæ retributiones ſunt peccatorum, dicente Auguſtino, *Nulla vindicta, nulla correptio, nullum Dei flagellum debetur niſi peccato, excepto illo, qui in flagella paratus erat pro ſimilitudine abſque peccato:* ſed quandoquidem Iob calamitatem ſuam perpeſſus eſt ſupra ſuorum demerita peccatorum, ſic vt quoad exceſſum hunc, vindictæ, correptionis, flagelli non habeat rationem, Dico, SAGITTÆ, inflictiones, per modum ſagittarum intima penetrantes; viſcera læſionibus, animam doloribus, *& denudantes occulta mentis*, prout pulchrè exponit Ambr. Quæ quidem ſagittæ DOMINI ſunt,

2. ad Marc. c. 16. — *in Pſ. 37.*

quia

quia vulnerandi permisit Sathanæ potestatem, *Nam si mandes vt tuus seruulus verberetur, nonne si etiam ab adstante alio cadatur, à te dicitur verberatus?* inquit ibidem Ambr. Hæ ergo sagittæ IN ME SVNT, QVARVM INDIGNATIO, furor, & inclementia EBIBIT SPIRITVM, halitum, inquit Thomas, MEVM, ita vt ipsum mihi, prout Danieli, penè intercludat, vel quod legit Ambr. RESPIRARE NON SINIT, iuxta quod alij vertunt, VERBA MEA ABSORBET, faciens me in loquendo laborare, singultire, hærere. ET TERRORES DOMINI, spiritus illi terribiles, & terrifici, vel solo sui aspectu homini spiritum intercludere potentes, in DOMINI nihilominus potestate positi, de quibus etiam ad Patrem Christus: *Terrores tui conturbauerunt*, quia tumultu populari concitato, in crucem adegerunt *me*, hi, dico, MILITANT CONTRA ME, quia vsi oportunitate meæ aduersitatis, suggestionibus, instigationibus, ne dicam spectris, me certatim oppugnant, vt a timore Domini deturbent. A

1. De interp.c.6.

Ps.87.

Quin & VERBA MEA DOLORE, suspirijs, PLENA SVNT, quia, NVNQVID RVGIET ONAGER, CVM HABVERIT HERBAM, gratam sibi & conuenientem escam, vel pascuam? AVT MVGIET BOS CVM ANTE PRÆSEPE PLENVM, pabulo oppletum, STETERIT? Non ergo mirum, *si ego antequam comedam, suspiro, & tanquam inundantes aquæ sic* RVGITVS MEVS, quia, NVNQVID COMEDI POTERIT INSVLSVM QVOD NON EST SALE CONDÎTVM, AVT GVSTARE, primoribus labris vel libare QVIS POTERIT QVOD GVSTATVM ADFERT MORTEM? Cum ergo mihi ademptis omnibus desit, teste Ambros. alimonia, & ob id non stem ante præsepe plenum: & si alimoniæ mihi aliquid supersit vel ad manum sit, ea sit insulsa & insalubris, vsque adeo, vt, QVÆ PRIVS TANGERE NOLEBAT ANIMA MEA NVNC, PRÆ rei familiaris ANGVSTIA CIBI MEI SVNT; & ob id non sim similis boui qui fuerit ante herbam, nemo miretur si inter loquendum extorqueatur mihi suspirium, & verba mea gemitu plena sint: præsertim quia naturales motus nobis & alijs animalibus in afflictione communes, non sint nobis per omnia euitabiles, prout ex D. Thoma in cap. 3. allegauimus. B C

Serm. 14. v. 2. in Ps. 188.

Hic interim non debet præteriri allegoria ab Augustino, alijsque obseruata, per quam deplorans spirituales miserias generis humani, in persona ipsius dicit Iob, SAGITTÆ DOMINI, tela quibus iniquam conscientiam pungit, & stimulat, IN ME SVNT, QVARVM INDIGNATIO EBIBIT SPIRITVM MEVM, quia non dat inducias respirandi, prout experiebatur qui dicebat, *Peccatum meum contra me est semper*. Et quandoquidem genus humanum peccando factum est, vt ex Augustino in cap. 3. allegauimus, dæmonum ludibrium, TERRORES DOMINI, infestationibus varijs, MILITANT CONTRA ME. Per similitudinem vero Onagri rugientis, & bouis mugientis significantur illi, de quibus Isaias, *Egeni & pauperes quærunt aquas, lingua eorum siti aruit*, & sunt cibi, & potus spiritualis auidi, sed inopes, desiderio pascendi, rugientes, & per suspiria mugientes. D

Ps. 50.

Quibus cum sese loco pabuli aliquando offerunt doctrinæ hominum, respondent, NVNQVID COMEDI POTERIT INSVLSVM QVOD NON EST SALE CONDÎTVM, siue vt paraphrasticè adiungunt septuaginta, *Si est gustus aut refectio in verbis vanis*, quos secutus Basil. Si quis, inquit, in memoria habeat illum qui dixit, *Si comedatur panis absque sale & si est gustus in verbis inanibus, docebitur disponere sermones suos ad ædificationem fidei, adhoc vt faciliores ad auscultandum habere auditores possit, & magis morigeros*. Hæc Basil. Salis nomine intelligens sapientiam cum Augustinus per id intelligat figuratam locutionem, quæ lepôre non modico condit sermonem.

Interg. Breu. 266.

In hunc locum & de doct. Chr.

Cum vero loco cibi offerunt se doctrinæ hæreticorum, Respondet famelicus,

A licus, POTEST ALIQVIS GVSTARE, QVOD GVSTATVM AFFERT MORTEM? Hæreticorum enim *doctrina plena veneno mortifero*. Insuper huc subinde deuenitur, vt famelicus cibi spiritualis tritico aut similagine destitutus ad eiusdem paleas, & quisquilias se conuertens gemebundus dicat, QVÆ PRIVS, tanquam insulsa, nonnihil tamen humanitus excogitatæ pietatis habentia NOLEBAT TANGERE ANIMA MEA, NVNC, PRÆ rerum spiritualium ANGVSTIA, CIBI MEI SVNT, vt ex ijs aliquid saltem capiam refocillationis. Quod ad mores applicans Bernardus Eugenio Papæ scribit in hæc verba, *Noli nimis credere affectui tuo qui nunc est. Nil tam fixum animo, quod neglectu & tempore non obsolescat. Vulneri vetusto & neglecto callus obducitur, & eo insanabile quo insensibile fit. Quid non inuertat consuetudo: Quid non assiduitate duretur? Quid non vsui cedat? Quantis quod præ amaritudine prius exhorrebant, ipso vsu in dulce conuersum est? Audi iustum quid lamentetur super huiuscemodi:* QVÆ
B PRIVS TANGERE NOLEBAT ANIMA MEA, NVNC PRÆ ANGVSTIA CIBI MEI SVNT. *Primum tibi importabile videbitur aliquid, processu temporis, si assuescas, iudicabis non adeò graue, paulo post & leue senties, paulo post nec senties, paulo post etiam delectabit:* Hæc Bernardus. Redimus ad litteram: secundum quam dicit Iob, QVIS DET, q. d. hactenus audita non dixi quasi sufferentiæ pertæsus, vt iudicabat Eliphas cum diceret: NVNC AVTEM VENIT SVPER TE PLAGA, ET DEFECISTI, TETIGIT TE, ET TVRBATVS ES, quin potius *ad instar boni Athletæ, qui dolori non cedit, nec dura certaminis recusat*, inquit Ambr.

Iac. 3. — *Lib. 1. in init.* — *1 de interp. cap. 2.*

QVIS DET VT VENIAT, eueniat inquit August. PETITIO MEA: ET, ea eueniente, QVOD simul per auxilium gratiæ Dei EXPECTO, TRIBVAT MIHI DEVS. Nempe vt ad euentum eius quod peto, QVI CEPIT, *multas mihi*, vt ex August. audiuimus *facere contritiones*, IPSE, easdem multiplicando (noui enim, quod, vt infra audiemus, postquam *suam in me expleuerit volun-*
C *tatem, alia multa similia præsto sint ei)* ad extremum vsque ME CONTERAT: SOLVAT MANVM SVAM, quam circa me quatenus continere, sibi videtur vincire, ET, falce mortis SVCCIDAT ME? Ex quibus verbis supra probauimus Sathanam iussum esse seruare animam Iob, non quasi foret mortis impatiens, sed quia alijs Dei dispensationibus seruabatur. ET, quod me simul expectare dixi, ad remedium operis, quod paulo ante dixit Ambrosius, Deo donante, HÆC MIHI SIT CONSOLATIO, perferendis ad extremum contritionibus necessaria, Dicente Bernardo, *Dolor continuus & acerbus diuturnus esse non potest, nam si non aliunde extunditur, necesse est cedat vel sibi. Enimuero cito, aut de remedio consolationem accipiet, aut de assiduitate stuporem.* Sit ergo HÆC MIHI CONSOLATIO, VT, sicut *proprio filio suo non pepercit, sed omnes fluctus suos*, omne afflictionum genus, *super eum induxit*, ad instar illius, AFFLIGENS ME DOLORE NON PARCAT. *Vt sicut abundant pas-*
D *siones Christi in nobis, ita per Christum abundet & consolatio nostra.* Et detur mihi vna cum ipso, *patientiæ voluptate saginari*, quod ipsi asscribit Tertull. Dicit namque Ambrosius. *Perfecti viri est non succumbere ijs quæ plerisque terribilia & formidolosa videntur, sed quasi fortem militem grauissimorum casuum sustinere incursus, conflictus subire, & quasi prouidum gubernatorem magis vitare naufragium sulcando vndas quam declinando.* Quæsiuit ergo Eliphas ex Iob, *vbi est perfectio viarum tuarum*, Respondet hic, In eo quod optem *vt Deus affligens me dolore non parcat*, Id enim Ambrosio *perfecti viri est:* Verba proinde tertij cap. non sunt impatientis.

Cap. 23. — *Rom. 8.* — *Psal. 87.* — *2. Cor. 1.* — *Lib. de pat.* — *1. de Iac. c. vlt.*

NEC CONTRADICAM SERMONIBVS SANCTI, illius, qui iustus est in omnibus vijs suis, ET SANCTVS in omnibus operibus suis: Cui suam passionem enarraturus dixit proprius filius, quod omni afflicto in primis præ oculis habendum *Psal. 144.*

 habendum

Psa. 21. bendum est, *Tu in sancto habitas*, quia quocumque te verteris, *sanctum tuum, non egrederis.* Huius ergo sermonibus, dispositionibus, decretis per obedientiæ plenitudinem NON CONTRADICAM, sicut nec proprius filius contradixit, dicens per Isaiam, *Dominus Deus aperuit mihi aurem*, cum suam de passionibus meis mihi quasi fluctuanti & dicenti, *Si vis transfer calicem hunc à me,* manifestaret voluntatem: *Ego autem non contradico, sed dixi: ecce venio vt faciam voluntatem tuam.* Quæ expositio apposita est, quia, vt audiuimus, Eliphas suæ disputationi quædam de Christi passione inseruit, quæ vice versa Iob nunc ad alia eiusdem passionis extendit. Sed quid? nunquid passionibus Christi æquari valet quippiam ad consolationem? Vtique, *quia gloriosum est Christi, Deo fauente, passionibus æquari*, inquit Tertullian. *Si enim compatimur & conregnabimus.* Verba ergo, ET HÆC SIT MIHI CONSOLATIO, intelligi debent continere quod prius dixit Ambr. nempe, *ea ad remedium operis exposcere auxilium Creatoris.* Se enim ad sustinentiam passionum quas sibi optat inferri, per semetipsum non sufficere, declarat subijciens, QVÆ EST ENIM FORTITVDO MEA, VT absque Dei consolantis auxilio, SVSTINEAM? Præsumptuosum vero est petere maiora viribus non implorata ope potioris. Et cum ad sufferendum necessarius sit intentus aliquis ac speratus finis, *cui patiens studium suum cogat, votumque suspendat, quo enitatur ascendere*, inquit Tertull. dicente in idipsum Ambr. *Frangimur frequenter laboribus, fatigamur, & si desit spes, confundimur & tota mente turbamur. Esto, sint aliqui duri ad labores, firmi ad iniurias perferendas, si spem auferas, non poterit perpetua esse patientia.* Hæc Ambrosius.

(Margin notes: Isaie 50.c. — Marc. 14 — Psa. 39. — Scorp.c.9. — 2.Tim.2. — Scorp.c.6. — Amb serm. 15.v.2.in Psal.118. — Margin letters: A, B)

Quæ cum ita sint, QVIS FINIS MEVS, quem à memetipso vel in hoc sæculo mihi præfigere possum, vt illius assequendi spe in tanta quam opto contritione, PATIENTER AGAM? Omnis enim sæculi spes operæpretio vacat, fallax est caduca & transitoria. Opto itaque & exspecto vt spem quæ à Deo est tribuat mihi Dominus. *Hac enim*, inquit Basilius, *quæ permolesta sunt vitæ ipsius & tristia, leuiora efficit. Affecit te aliquis ignominia? Tu ad eam suspice gloriam quæ reposita est in cælis tibi paranda merito patientiæ. Iacturam rerum tuarum adijsti? Oculos imprime fixius cælestibus diuitijs & thezauro incomparabili quem tibi pretio bonorum operum seposuisti. Patrio solo exclusus es? at patriam habes cælestem illam Hierusalem. Ad eum modum si ijs quæ præsentem tibi suggerunt molestiam, opposueris quæ futura sperantur bona, animam vtique tuam seruabis ab omni anxietate, intemperie turbationis longissime submota.* Hæc Basil. Quibus adde consolationem & robur animi quod adfert ipsa tolerantiæ victoria, ratione cuius ad Martyres Cypr. *Qui nunc vobis, dilectissimi Fratres conscientiæ victricis vigor? quæ sublimitas animi? quæ in sensu exultantia? qui triumphus in pectore? vnumquemque vestrum scire Christum secum esse præsentem, gaudentem tolerantia seruorum suorum per vestigia, & vias suas ad regna æterna gradientium?* Hæc Cyp. Legunt quidem iuxta septuaginta August. & Ambr. Quod TEMPVS MEVM, vt patienter feram? sed in idem redit: nam tempus etiam pro fine poni, docet illud Ecclesiastes 3. *Tempus omnis rei tunc erit*, nam in Dei iudicio, de quo ibi sermo, omni rei suus assignabitur finis, & locus.

(Margin notes: Epist. 77. — Margin letters: C, D)

Explicans autem verba QVÆ ENIM FORTITVDO MEA, subiungit, NEC ENIM FORTITVDO LAPIDVM FORTITVDO MEA, vt nullam læsionem aut violentiam sentiam, dicente Basilio, *Nonne Iob adamantino corde erat? num impacta ipsi erant ex lapide viscera? nullonè vrebatur sensu doloris?* NEC CARO MEA ÆNEA EST, vt in afflictione sensibili perduret: quocirca & Dominus, *Spiritus promptus est, caro autem infirma.* Quod experti sunt Martyres quos Cyprianus introducit loquentes in hæc verba, *Stetit mens stabilis & fides fortis,*

&, cum

A *&, cum torquentibus pœnis, immobilis diu anima luctata est: sed cum durissimi iudicis recrudescente sæuitia, iam fatigatum, iam lassum corpus, nunc flagella scinderent, nunc contunderent fustes, nunc equuleus extenderet, nunc vngula effoderet, nunc flamma torreret, caro me in colluctatione deseruit, infirmitas viscerum cessit, nec animus sed corpus in dolore defecit.*

Cæterum, *quandoquidem caro spiritu*, quod docuit Hieron. *est corroboranda*, implorauit Iob sibi diuinitus consolationem quâ carnis infirmitati præualeret. Qui declaratis calamitatibus inhærentibus, transit enarrare circumstantes. Et in primis quæ sunt à desertione necessariorum, & dicit, ECCE, NON EST AVXILIVM MIHI IN ME quia calamitati meæ mederi non valeo eamue lenire, Necesse proinde est ab alijs mihi præstari auxilium. Sed quid? ET NECESSARII QVOQVE MEI, quibus varia necessitudine mihi coniunctis, per præceptum & ordinem charitatis proximè incumbit mihi sic con-
B stituto succurrere, RECESSERVNT A ME. Et quale id peccatũ? QVI TOLLIT AB AMICO SVO, cui non est auxilium in se MISERICORDIAM, TIMOREM DOMINI DERELINQVIT, *quia si quis viderit fratrem suum* NECESSITATEM HABERE, *& clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei* (quæ hic eadem est timori) *manet in eo?* ET, *si frater aut soror nudi sint & indigent victu quotidiano, non dederitis autem eis quæ necessaria sunt, quid proderit fides?* ex quo intelligitur huiusmodi desertionem esse peccatum mortale. Dicit autem AB AMICO, In primis ob materiam præsentem, quia omnes quos enumerabit, varijs ipsi fuerunt amicitiæ rationibus, ac gradibus coniuncti: deinde, quia minus excusationis habet qui deserit necessitatem amici quam extranei vel inimici. *1. Ioan. 3.* *Iac. 2.*

Addit, FRATRES MEI, quo vno nomine videtur comprehendere omnes illos, quos infra cap. 19. distinctis explicatius recenset ordinibus, prout ibi-
C dem explicabimus. Hi ergo, prout Sacerdos, & Leuita viatorem Ierichontinum plagis confectum, PRÆTERIERVNT ME. Nec cunctanter, aut sensim, sed SICVT TORRENS QVI RAPTIM TRANSIT IN, decliue dependentibus, CONVALLIBVS, sic vt omnibus vno penè momento sim destitutus. Recesserunt quidem à me veriti molestiam, contagionem, grauamen, sed QVI TIMENT PRVINAM, modici frigoris molestiam, & ob id debitam declinant impendere misericordiam, abundanter, & violenter, IRRVET SVPER EOS NIX, pruinâ longe asperior. Quod, ne dicam, in hac vita subinde euenire, in eodem genere mali, prout in Metheoris pruina, & nix eiusdem sunt generis, potius generalem de omnibus misericordiæ leges præuaricantibus dicam sententiam, & præsertim de ijs qui aduentante extremo iudicio vixerint. Quia TEMPORE QVO FVERINT DISSIPATI, iuxta illud Psalmi, *Exurgat Deus & dissipentur inimici eius:* quod qua ratione euenturum sit explicat Isaias cum
D dicit, *Erit vt damula fugiens, vnusquisque ad populum suum conuertetur, & ad terram suam fugiet*; hoc inquam tempore, in æternum PERIBVNT. *Luc. 10.* *Psal. 67.* *Cap. 3.*

ET VT INCALVERIT dies ille qui *in igne reuelabitur*, à quo iuxta psalten & expositionem Irenæi nemo se abscondet: orieturque hic calor ab igne conflagrationis, *per quem cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent. Terra vero, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur:* Cum ergo hæc omnia dissoluenda sint, & locus hominum terra sit, atque adeo ipsi censeantur inter opera quæ in terra sunt, vtique & ipsi *sicut fluit cera à facie ignis* SOLVENTVR DE LOCO SVO, *& sicut deficit fumus, deficient.* *Psal. 18.* *2. Petr. 3.* *Psa. 67.*

INVOLVTÆ SVNT SEMITÆ GRESSVVM EORVM. Quod inuoluitur ad se retorquetur inquit D. Thom. necessarij ergo qui ab amico tempore necessitatis tollunt misericordiam, verè gressibus ambulant inuolutis, quia *In hunc locum.*

tempore prosperitatis non diligebant amicum nisi sui causa, & retorquebant amicitiam ad se, suaque commoda. Hi proinde IN VACVVM IBVNT, quia opera in speciem facta, ob philautiam hanc, ipsis non proderunt. ET PERIBVNT *quia in montem Domini ascendit, qui non accepit in vano animam suam.* Et ne videar in hac assertione temerarius, CONSIDERATE, ô vos amici mei, SEMITAS, vsum, ac conuersationem THEMA regionis Arabiæ cui tu ô Eliphas præsides. ITINERA SABA, per quæ gens Sabea moraliter incedit. Nam & Saba videtur ad imperium alicuius horum trium regum pertinuisse: cui fauet quod Sabæi boues & asinas Iob deprædantes, non iurati hostes, sed infrà dicantur LATRONES, quasi latrunculi (quos scriptura dicit) Sabâ, proprio marte, egressi. Considerate inquam an non vt dixi semitæ etiam illarum regionum inuolutæ sint: ET EXSPECTATE PAVLISPER, breuis enim vita vniuscuiusque imo & status totius mundi, an non veloci cursu ibunt in vacuum nihil inuenturi in manibus suis? CONFVSI SVNT, in die perditionis suæ, QVIA, in medijs calamitatibus futura SPERAVI, & vt speraram, ibi inueni. VENERVNT QVOQVE VSQVE AD ME, quia in eodem iudicio mecum comparebunt, & fortasse à me sibi adminiculum implorabunt vt fatuæ virgines à prudentibus, vt à Christo, illi qui dicent, *nonne in plateis nostris docuisti? nonne manducauimus & bibimus coram te?* ET PVDORE COOPERTI SVNT, videntes se per prudentiam carnis, quam in vita mortali sectabantur, esse deceptos, & ope eorum, cum quibus aliquando amicitiam in specie coluerant, destitutos. Hic igitur finis illius *qui tollens ab amico misericordiam, timorem Domini derelinquit.*

Psal. 23. Matth. 25. Luc. 13.

A quo vos amici mei non multum distatis, quia, NVNC VENISTIS, inuisuri & consolaturi ME, ET MODO VIDENTES PLAGAM MEAM, inopiæ præsertim & indigentiæ meæ; TIMETIS, ne necessitati huic meæ debeatis quippiam de vestro impendere. Sed id in primis imprudenter, dicit namque Cypr. *Metuis ne patrimonium tuum forte deficiat si operari ex eo largiter ceperis: & nescis miser quia dum times ne res familiaris deficiat, vita ipsa & salus deficit: Et dum, ne quid de rebus tuis minuatur attendis, non respicis quod ipse minuaris, amator magis mammonæ quam animæ tuæ, vt dum times ne pro te patrimonium tuum perdas, ipse pro patrimonio tuo pereas.* Hæc Cypr. Deinde, hoc frustra timetis, quia, NVNQVID DIXI, AFFERTE MIHI, ET DE SVBSTANTIA VESTRA DONATE MIHI? vel quia reges estis nec inermes, nunquid dixi, LIBERATE ME DE MANV HOSTIS, Sabæi qui violenter boues & asinas meas detinet, ET DE MANV ROBVSTORVM, Chaldæorum Camelos meos itidem detinentium ERVITE ME? Absit autem, *didici enim in quibus sum sufficiens esse. & bonum est mihi mori magis quam vt gloriam meam quis euacuet.* Ex quo intelligitur Iob in desertionem sui deplorasse, non subleuamen circa se prætermissum, sed crimen in se admissum, quodque *seruum suum vocarit & ore proprio deprecatus sit* ipsius exercendi, non sui leuandi gratia. Quam viri in ærumnis constantiam describens Ambr. *Quomodo,* inquit, *laborem ægritudinis, frigoris, famis pertulit? quomodo despexit salutis periculum? nonne trium Regum iniuriosa contentio vel seruorum contumelia ei iram excussit? Quis igitur tam fortis quam Sanctus Iob? Cui secundus adiudicari potest qui parem vix reperit?* Hæc Ambr.

De Op. & Eleed. num. 4. Philip. 4. 1. Cor. 9. Infra c. 19. 1. offic. c. 39

Hic verò obserua rationem contextus & cohærentiæ. Hactenus sustinuerunt amici quod Iob patiatur paria vel vt infrà exaggeranter dicunt, minora peccatis. Respondens ipse affirmauit se sustinere grauiora accedente in corporalium calamitatum auctarium desertione necessariorum. A qua ne exciperent amici, dicendo, se ex proprijs locis suis venisse ad consolandum, ipse tacitæ obiectioni occurrens & dicens VIDENTES PLAGAM MEAM TIMETIS,

A METIS, declarauit etiam consolatores istos suos à desertotibus quos dixit non multum distare, Correptionem ergo extendens, procedit amicos arguere de importunitate ac indocilitate quæ in discursu ipsorum apparuerat & dicit, DOCETE ME ET EGO TACEBO, iuxta illud Ecclesiastici. *Audi tacens simul & quærens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.* Cap. 32. Quibus verbis videtur ipsos tacite notare, quod se per caput 6. docente mussitando non tacuerint aut sermonem docentis præproperè abruperint.

ET SI QVID FORTE IGNORAVI. Septuaginta & ex Hebræo Vatablus & Pagninus vertunt, SI ERRAVI, INSTRVITE ME. Quod per præparationem animi Propheta dicit ad hominem: nam conscius se in sermonibus præmissis nullatenus errasse, illos, versu sequenti, appellat SERMONES VERITATIS. Hoc igitur versu declarat se erudiri ac corrigi paratum quatenus opus foret; suo exemplo amicorum efformans ingenium, vt & ipsi dociles B se in posterum præbeant ac emendabiles. Quo, ad sedandos animos præmisso, in cepta correptione progreditur & dicit: QVARE DETRAXISTIS SERMONIBVS VERITATIS æternæ, nam vt in Stephano, ita sapientia, quæ & veritas, loquebatur in Iob. DETRAXISTIS, inquam, quia dicendo TETIGIT TE ET TVRBATVS ES, doctrinam capitis tertij meo furori asscripsistis, ac si totius illius capitis verba impatientiæ essent, & non æternæ veritatis atque adeo accepistis illa vt *verba hominum, non (vt verè sunt) verba Dei.* 1 Thes. 2. Et absque ratione, CVM E VOBIS NVLLVS SIT QVI POSSIT ARGVERE ME: vel vllo argumento ostendere illa verba non fuisse sanæ ac placidæ mentis. AD INCREPANDVM TANTVM ELOQVIA CONCINNATIS, quia loquimini indignitate, vt putatis, verborum meorum commoti, iuxta quod, vt ex Augustino allegauimus, dixistis, PONDVS SERMONVM TVORVM FERRE QVIS POTERIT? Indignabundi verò verba sua concinnant ad incre- C pandum, tametsi illa subinde non nihil leniant, vt fecit Eliphas humaniter præfando, & inter dicendum OBSECRANDO. Quocirca conuenientior videri posset lectio bibliorum regiorum quæ pro TANTVM legit TAMEN. Qui enim increpationem lenit, componit eam sed non, TANTVM ad increpandum, nisi forte de blandiente & inter increpandum obsecrante dicere placeat, quod stringat melle litum gladium, nam sic facile sustinueris ipsum verba TANTVM ad increpandum concinnare.

ET IN VENTVM VERBA PROFERTIS, iuxta quod de Prophetis dicebant Iudæi: *Prophetæ in ventum locuti sunt*, quia tantum dederunt verba. Ierem. 5. SVPER PVPILLVM, omni ope ac patrocinio destitutum IRRVITIS, ET quadam mole mutuæ conspirationis, SVBVERTERE NITIMINI AMICVM VESTRVM, sic vt importunitas vestra ne amici quidem aut amicitiæ habeat rationem. Id verò, non quia amici sustinebant Iob affligi ob peccata, tam- D etsi id fuerit amico robur auferre fiduciæ, quia vt ex Ambrosio in cap. 2. diximus, vnicum afflictis solatium est culpa vacare; dicendo enim, INCREPATIONEM DOMINI NE REPROBES, QVIA IPSE VVLNERAT ET MEDETVR, dederant Prophetæ spem recuperandæ fœlicitatis, si correptione Domini benè vteretur. Qui autem lapso ostendit viam redintegrandæ ruinæ, non euertere, sed elisum nititur subleuare. Proinde, SVBVERTERE NITIMINI, quia detrahendo sermonibus veritatis, primarium quod amicum corroborat solatium labefactare nitimini: nam in tantis malis *eloquium Domini viuificauit me*, Psal. 18. & vt Ioseph, *cuius animam pertransiuit vinculorum ferrum*, ita Psa. 104. & me ad robur animi eloquium Domini inflammauit. Quantum ergo sermonibus veritatis, tantum nitimini detrahere animo meo, qui in hisce malis sermone Domini fulcitur.

VERVNTAMEN ne videar pondus verborum vestrorũ vltra non sustinere, A
QVOD vlterius cõtra me disputare COEPISTIS, Alij COGITASTIS, EXPLETE. Vbi locum habet illud Ambr. 1. de interp c. 3. *Debebatur Iob certamen tertium, amiserat omnia sua, id est patrimonium cum filijs, patiebatur vulnera caro eius, manebat vt tentationes verborum vinceret. Non mediocre certamen: Sermone deceptus est Adam, verbo victus Sampson. Nihil enim sic penetrat animam sicut sermo fucatus: Nihil iterum sic mordet vt durior sermo. Multi cum vicerint adhibita tormenta sermonum duritiam non sustinuerunt. Laborabat Iob, sed sustinebat, & verborum ictus iuxta vulnerum onera portabat.* Hæc Ambros. Explete ergo, sed vicissim PRÆBETE AVREM, ET examinando quæ dico, VIDETE AN MENTIAR. Non enim verba VERITATIS, præsertim priusquam fuerunt recepta in authoritatem, refugiunt examen. Et si quid ex aduerso habetis obijcere, RESPONDETE OBSECRO ABSQVE CONTENTIONE quam D. Thom. allegat ab Ambros. definiri *impugnationem veritatis cum confidentia clamoris*, vt hic B
locum habeat illud Augustini, *Quisquis est, qui maledicendi licentia fælicem se putat, multo erit fælicior, si hoc illi omnino non liceat, cum possit depositâ inanitate iactantiæ etiam isto tempore tanquam studio consulendi quidquid voluerit contradicere: & quantum possit ab eis, quos consulit amica disputatione, hoc est honestè, grauiter, liberè, quod oportet audire.*

[Margin: 2. 2. quæst. 38 art. 1. in corp. — 5. de ciuit. c. 27.]

ET, ne temere quid loquamini, LOQVENTES QVOD IVSTVM EST IVDICATE, disponendo nimirum sermones vestros in iudicio, quo ante omnia discernatis verum à falso. ET, hæc agendo, NON INVENIETIS IN LINGVA MEA INIQVITATEM blasphemiæ quam putastis, NEC IN FAVCIBVS MEIS STVLTITIA insipiens verbositas PERSONABIT, qualis personasse videtur ijs qui insipienter intellexerunt Iob initio capitis tertij natiuitatis suæ temporibus iam dudum transactis interitum ac perditionem fuisse imprecatum.

C

CAPVT VII.

FInita, quantum huic loco sufficere videbatur declaratione calamitatum & correptione amicorum, aggreditur nunc Iob alterum, quod Ambros. dixit lamentationum suarum membrum, & miseriam humani generis describens dicit MILITIA EST VITA HOMINIS SVPER TERRAM. Nam quod dicit VITA HOMINIS, manifestius inquit Augustinus ostendit ex cuius significatione hic loquatur, in persona nimirum generis humani. Itaque MILITIA siue vt Augustinus alijque ex 70. legunt TENTATIO: sed dicendo, tentatione hac significari STVDIVM CERTAMINIS quod inter impugnantem & repugnantem vtrimque geritur, declarat Augustinus tentationem quam legit, proprie militiam, compugnantiam siue concertationem D
esse, *in qua qui tentat, instantiam timor verò Domini facit repulsam.* Obseruat verò alibi Augustinus Iob non dicere, tentationem esse IN HAC VITA sed HANC IPSAM VITAM esse tentationem. Cuius rationem dans Prosper, *tota*, inquit, *vita hominis tentatio est super terram, & tam abundantia quam inopia solet esset materia peccati, cum vel diues extollitur ad superbiam vel pauper prosilit ad querelam.* Proinde Augustinus. *Quis medius locus vbi non sit humana vita tentatio? Væ prosperitatibus huius sæculi, semel & iterum, à timore aduersitatis & à corruptione lætitiæ. Væ aduersitatibus sæculi semel & iterum & tertiò, à desiderio prosperitatis. Nunquid non igitur tentatio est vita hominis super terram sine vllo interstitio?*

[Margin: In hunc locum. — 50. homil. vlt. — 10. confess. c. 28.]

ET SICVT DIES MERCENARII, DIES EIVS. SICVT SERVVS DESIDERAT VMBRAM. Augustinus obseruans vmbrã obfuscare, arbitratur hic similitudinem

[Margin: In hunc locum.]

nem

A nem sumi à seruo inobediente qui quærit se abscondere à facie Domini sui, prout Adam mox à lapsu: dicente in idipsum Ambrosio, *misera conditio hominis quotidie sub formidine sub timore grauem tolerans seruitutem, & ne deprehendatur à Domino erratica & fugitiua, sub vmbra quadam sæculi huius putat se posse delitescere, nam arbitratur quod Deus non requirat occulta*, inquit idem alibi: sed illa expositio non satis quadrat contextui, quia Iob non dicit se ad instar serui quæsisse latebras, *sed enumerasse menses & noctes laboriosas.* *1 de interp. c. 3.* *De paradiso c. 14.*

Itaque, cum vmbra inter cætera refrigeret, SICVT SERVVS præ laboribus æstuans & anhelans DESIDERAT VMBRAM sub qua refocilletur, ET SICVT MERCENARIVS PRÆSTOLATVR FINEM OPERIS SVI, nam laborem operis non amans ipsum spe finis ac mercedis tolerat: SIC, ad instar vtriusque ET EGO HABVI, Alij prout Vatablus iure hæreditario traditus sum, Pagninus hæreditate accepi, quod est malo quodam hæreditario possedi B MENSES VACVOS. Et quid laboris in illis? audi Augustinum, *Cùm inhæsero tibi ex omni me, nusquam erit mihi dolor & labor, & viua erit vita mea tota plena te. Nunc autem quoniam quem tu imples subleuas, quoniam tui plenus non sum, oneri mihi sum.* Beda interim intelligit menses hic dici vacuos consolatione. *10. confess. c. 28.* *In hunc locum.*

ET NOCTES LABORIOSAS ENVMERAVI MIHI, nam ne nocte quidem vllæ mihi laborum induciæ. Proinde sum vt mercenarius quærens finem operis sui: *Quis enim*, inquit Augustinus, *velit molestias & difficultates pati? tolerari iubes eas non amari, nemo quod tolerat amat, & si tolerare amat. Quamuis enim gaudeat se tolerare, mavult tamen non esse quod tolerat.* *10. confess. c. 28.*

Quærens ergo finem laboris mei, SI DORMIERO, DICAM QVANDO CONSVRGAM? ET RVRSVM EXSPECTABO VESPERAM, ET REPLEBOR DOLORIBVS VSQVE AD TENEBRAS. Dicit namque Hieron. *Iob in angustia & tormentis corporis in die exspectabat noctem, & lucem præstolabatur in tenebris,* C *mutatione temporum putans mutari posse supplicia.* Quale quid Israëlitis obuenturum minatur Dominus, *Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. Manè dicas, quis mihi det vesperum? & vespere, quis mihi det manè? propter cordis tui formidinem quâ terreberis & propter ea quæ tuis videbis oculis.* Augustinus interim verba Iob affirmat ab illo posse dici, *qui cupiditatem negotij patitur in otio & otij in negotio.* Cui satis conformis Bernardus. *Inter vicissitudines inquit contemplationis & actionis plerumque mens fluctuat metuens ne alteri horum plus iusto inhæreat. Et fortasse tale quid Iob patiebatur cum diceret. si dormiero, dico quando consurgam? & rursum exspectabo vesperam, hoc est, & quietus neglecti operis, & occupatus perturbatæ nihilominus quietis me arguo.* *In cap 38. Isaiæ.* *Deut. 28.* *In hunc locum.* *Serm. 57. in Cantica.*

INDVTA EST CARO MEA PVTREDINE, notanter dicit CARO MEA, nam vt infra, ad verba, Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, dicemus, salua cute caro ipsius putredine intercute tabescebat. ET SORDIBVS D PVLVERIS CVTIS MEA ARVIT ET CONTRACTA EST, *Liquefacio enim glebas terræ, saniem radens vlcerum*, inquit Ambr. *atque sanies in terram defluens glebas terræ in lutum resoluit, atque terræ puluerem in lutum coagmentat & corpus luto obducit, ac cutem contrahit*, dicente ibidem Ambr. in persona Iob, *A vespere vsque manè fermentatur mihi corpus à putredine vermium, nam sanies à computrescentibus vermibus, per ruptam cutem erumpens, ipsi crustam quandam inducit.* *1. de interp. c. 1.*

DIES MEI VELOCIVS TRANSIERVNT QVAM A TEXENTE TELA SVCCIDITVR. Textor enim non præfigit telæ suæ tempus, tanta seueritate, vt si illa præfinito tempore non absoluatur, abrumpatur: Dies verò humano generi sic præfiniti sunt, vt siue opus impositum completum fuerit siue non, sibi sit moriendum, mox vbi temporis sui expleuerit dimensum. ET CONSVMPTI SVNT ABSQVE VLLA SPE, perficiendæ telæ quæ ante sui complementum

Eccl. 9. mentum abrupta est, à spe operis consummandi. Quocirca Sapiens, *Quodcunque facere potest manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* A

Ad Deum igitur se conuertens dicit Iob, MEMENTO QVIA VENTVS EST VITA MEA, ET NON REVERTETVR OCVLVS MEVS VT VIDEAT BONA: NEC ASPICIET ME VISVS HOMINIS: OCVLI TVI IN ME, ET NON SVBSISTAM. Videtur iterum esse hyperbaton, redigendum in ordinem hunc. MEMENTO QVIA VENTVS EST VITA MEA ET NON SVBSISTAM.
Psal. 102. Nam Psalmus eadem commemorans dicit, *Spiritus* (qui hic ventus) *pertransibit in illo & non subsistet.* MEMENTO itaque QVIA VENTVS, *vapor*, in-
Cap. 4. quit Iacobus, *ad modicum parens*, EST VITA MEA corporalis, ET NON SVBSISTAM, indesinenter enim decurro in finem. NEC REVERTETVR OCVLVS MEVS VT VIDEAT BONA, quæ hic reliqui.

Et vt ego non reuertar videre illa, sic NEC ASPICIET ME VISVS HOMINIS, mortui enim & viuentes à mutuo aspectu, qui erat in hac vita, sunt diuulsi. Hoc, vt eruditè notauit Thomas, dicitur contra Platonicos, qui sta- B
Eccl. 1. tuerunt reuolutionem sæculorum, arbitrati, vt, quemadmodum *oritur Sol & occidit & ad locum suum reuertitur: atque etiam, quemadmodum flumina ad locum vnde exeunt reuertuntur vt iterum fluant*; ita superioribus suis conforme & ijs quæ iuxta sunt consimile genus humanum, redeat suis temporibus ad statum quem in hoc mundo per mortem deseruit. Sic illi.

Tametsi autem vita mea non redeat, OCVLI TVI IN ME, *quia obseruasti*
Psal. 138. nihilominus *omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti*, non obstante quod *quasi putredo consumendus sum, & sicut vestimentum quod comeditur à*
Infra c. 13. *tinea.* Mortalitas enim nostra nulla parte auertit obseruare tuum à nobis.

Cæterum, quandoquidem, vt auditum est, ex reuolutione solis ac cælorum tanquam corporum superiorum, Philosophi statuerunt reuolutionem C inferiorum, subiungit Iob, SICVT CONSVMITVR NVBES ET PERTRANSIT: ac si diceret. Si libet Philosophis ad statuendam reuolutionem sæculorum ex superioribus argumentum ducere, ego ex ijsdem deducam contrarium, quia, SICVT CONSVMITVR NVBES ET, absque spe reuolutionis PERTRANSIT, SIC QVI DESCENDERIT AD INFEROS, per dictam reuolutionem NON ASCENDET. Qua verò ratione inferioribus efficacius præscribes per superiora quæ reuoluuntur, quam per eadem quatenus euoluuntur? Inferos inquit, indicans animas corpore solutas non in alia corpora quod volebant Authores dictæ reuolutionis, sed pro lege illius temporis ad inferos demigrare. Ex quibus NON ASCENDET ad eandem quam hic duxit vitam. Nam idipsum velut latius declarans, subiungit, NEC REVERTETVR IN DOMVM SVAM tanquam pristinum recuperaturus habitaculum. NEC COGNOSCET EVM AMPLIVS, domum circumstans, LOCVS EIVS. Quod per D prosopopeiam dicitur, per quam actus animales, inter quos COGNOSCERE, tribuuntur inanimatis. Id proinde Psaltes proprijs describens verbis, *Spiritus*, inquit, *in eo transibit, & non subsistet, & non cognoscet amplius locum suum.* Quod tamen dictum est secundum legem ordinariam, nam pueri ab Elia & Elizeo suscitati, Lazarus, Thabita, à morte reuersi sunt, & viderunt bona, *eosque aspexit visus hominis atque in domos suas reuersi cognouerunt locum suum.*

Psal. 102. Porro non frustra dixit Iob, MEMENTO QVIA VENTVS EST VITA MEA, ipsius namque orationi correspondens, Dominus recordatus est, *quia puluis*
Psal. 102. *sumus*, & quandoquidem *in homine spiritus pertransibit & non subsistet & non cognoscet amplius locum suum*, ex aduerso, *Misericordia Domini ab æterno & vsque in æter-*

A *in æternum, super timentes eum*, non, vt redeant ad vitam à qua sint iterum morituri, sed ad vitam in qua erunt in perpetuum victuri.

QVAPROPTER, cum vita nobis militia sit, & nec die nec nocte requies, habenas loquendi laxans mihi, ET EGO NON PARCAM ORI MEO, LOQVAR IN TRIBVLATIONE SPIRITVS MEI, edicendo quod mihi tribulatio spiritus secundum hominem suggerit, quemadmodũ Apostolus quædam loquebatur non secundum Deum, sed *quasi in insipientia*. Nec solum, sed CONFABVLABOR CVM AMARITVDINE ANIMÆ MEÆ: quam vt audire volo sua effutientem, ita egestionibus ipsius opponere volo quæ ex aduerso suggerit Deus vt inter animam meam opponentem & Deum respondentem loquendi quædam sit vicissitudo & quasi altercatio. Quod Propheta hic præfatur, præparando intelligentiæ nostræ viam ad multa quæ infra dicturus est, vbi frequenter, vt suis locis Deo volente notabimus, eloquitur motus B Spiritus tribulati & amaritudine oppressi, eisque quasi colloquens vicissim opponit sermones Spiritus Sancti. Quod & Ezechias in cantico secutus, dicit. *Sicut pullus hyrundinis, sic clamabo*, vel vt Pagninus & Vatablus Garriam, nam tribulatio suggerit & tanquam quædam garrula effutit verba absque iudicio, & ex aduerso addens, *Meditabor vt columba*, proponit garritui suæ tribulationis opponere meditationem placidæ, pacatæ, & pacificæ mentis, prout ex deductione cantici patere potest, & à nobis in ipsius expositione ostenditur.

2.Cor. 11.

Isaie c. 38.

Hic ergo in tribulatione sui spiritus miseriam humani generis exaggerans dicit, NVNQVID MARE, amarissimarum aquarum pelagus EGO SVM, vt dici possim MARA, *quia amaritudine me repleuit omnipotens?* AVT, NVNQVID EGO SVM CETVS, maris aquis absque effugio innatans, QVIA, vt mare suis aggeribus & montibus, sic CIRCVNDEDISTI ME CARCERE vt varias qui- C dem amaritudines peragrare, ipsam vero amaritudinem vt Cetus aquam marinam non possim euadere? Ostendam rem ita se habere; quia, SI, ad interpolandam afflictionem DIXERO per soporem & somnum CONSOLABITVR ME LECTVLVS MEVS: Vestiuit enim Deus.

Ruth. c. 1.

Ambros. in hym. citat. August. 9. confess. c. 12

Noctem soporis gratia,
Artus solutos vt quies,
Reddat laboris vsui,
Mentesque fessas alleuet,
Luctusque soluat anxios:

ET, ad animi mei relaxationem, & afflictionis inducias RELEVABOR de scripturis sacris alijsque Dei verbis LOQVENS MECVM IN STRATV MEO; non potero tamen afflictionem euadere, sed continget de vna in aliam transire, quia, Permittendo terroribus, quos dixi, tuis ac tenebrosis turbini- D bus, terrificis dico spiritibus vt terreant me, TERREBIS ME PER SOMNIA, ab ipsis immissa: somnia enim cerebri nec tantopere terribilia sunt nec Dei permissionibus peculariter asscribuntur.

Hæc autem somnia ad humanæ vitæ miseriam inter cætera pertinere ex eo discitur quod dicat August. *Si erat in paradiso vicissitudo vigilandi atque dormiendi, tam fælicia erant somnia dormientium quam vita vigilantium*, Quantum vero hæc somnia adferant inquietudinis & afflictionis alibi explicans Augustinus dicit, *Somnus qui propriè quietis nomen accepit, quis explicet sæpè somniorum visis quam sit inquietus: & quam magnis licet falsarum rerum, terroribus animam miseram sensusque perturbet?* vsque adeo vt alibi dicat Augustinus, *quosdam grauibus terroribus atque cruciatibus in somnis tantopere exagitatos atque cruciatos fuisse, vt cum expergefacti essent, dormire timerent, ne in eadem mala renocarentur*. Et Ambro-

5. cont. Iul. c. 8.

22. de ciu. c. 22.

12. de Gen. ad litt. c. 32

1. de interp. c. 3. Ambrosius. *Esto vt aliquando fesso somnus obrepat, terremur in somnijs, exagitamur visionibus, vt iam non requies, sed pœna sit. Nam dormientes in suo Spiritu ad inferna duci, vel potius inferorum tormenta dormientibus repræsentari operatione angelica, per dispensationem prouidentiæ diuinæ benè vtentis bonis & malis secundum inscrutabilem altitudinem iudiciorum suorum; siue instruantur hinc mentes mortalium, siue fallantur, siue consolentur, siue terreantur,* alibi tradit August. A

De cura pro mor. c. 12. & 13. ET, dum vigilans, ad releuamen loquor mecum in stratu meo, PER VISIONES in lectulo vigilanti oblatas, HORRORE CONCVTIES me per spectra quæ se nocturno tempore vigilantibus objiciunt iuxta quod cap. 4. dixit Eliphas priusquam visionem sibi diuinitus obiectam haberet exploratam, IN HORRORE VISIONIS NOCTVRNÆ. Sed hic propriè sermo de visionibus à maligno spiritu procuratis. Hæ enim ad miseriam hominis quæ hic à Iob deploratur, pertinent. QVAPROPTER, cum non sit mihi ab afflictione effugium, SVSPENDIVM ELEGIT ANIMA MEA. Qui versionem tantum vulgatam secuti sunt, exposuerunt hæc de suspendio spirituali, quam describens B

De quant. An. c. 28. Augustinus; *Humana*, inquit, *anima propter rationem atque scientiam, quæ sunt longe præstantiora sensibus, suspendit se à corpore, quantum potest, & ea quæ intus est libentius fruitur voluptate, quantoque in sensus declinat, tanto magis similiorem hominem pecori facit.* Et infrà, *Vellem hinc plura dicere ac meipsum constringere vt nihil aliud agerem quam reddere me mihi, cui me maximè debeo, atque ita fieri,* quod ait Horatius, *Amicum mancipium domino.* Hæc August.

Ad quod suspendium in similitudine suspendij corporalis tria concurrunt, paxillus, funis, nixus. Paxilli vicem subit Deus, funis Dei manus, nixus conatus hominis, nam Deus velut paxillus in loco fideli tanquam funem, porrigit manum atque auxilium, quod arripiens homo, per illud velut per funem sensim subrigit se, vt ad Deum perueniat & inhæreat illi, Cum autem *oratio sit eleuatio mentis in Deum*, Areopagita, suspendium hoc spirituale tribuit in primis orationi, scribens in hæc verba, *Nos ipsi precibus ad altiorem diuinorum benignorumque radiorum conspectum contendamus, vt si funis magna luce nitens, è summo cælo penderet & huc vsque demissum semper ante nos manibus vicissim succedentibus arriperemus, nos ipsi ad sublimiores magno lumine fulgentium splendores eueheremur: aut quemadmodum si conscensa naui funes ex saxo aliquo ad nos vsque porrectos auxilij causa teneremus, nos ipsos reuera & nauim ad saxum traduceremus.* Hæc Dionysius.

Damasc. de fid. ortodox. lib. 3. c. 24. D. diuin. nomin. c. 3. C

Cæterum quandoquidem pro SVSPENDIVM, alij inter quos Vatablus vertunt STRANGVLATIONEM, quæ in bonam partem non sumitur, non potest suspendium hic spiritualiter intelligi, sed ad litteram, præsertim quia ad huius explicationem sequitur ET MORTEM OSSA MEA, q. d. medullitus elegi mori, vt Iob extrahens in se æstum infirmi, dicat QVAPROPTER, quia nimirum quocunque me vertero non inuenio refocillationem SVSPENDIVM ad strangulandum ELEGIT, tanquam minus malum. Electio enim vt meliorum est, ita & minus malorum. Non dico mens aut superior ratio, sed ANIMA MEA, indicans se sensu humano, si daretur optio, malle mori quam absque intermedia requie indesinenter torqueri. Optio inquam, *non est enim iniustum homini iusto optare mortem quando amarissima est vita: Sed si Deus optatam non dederit, non erit iustum nisi tolerare eam amarissimam vitam*, inquit D

2. Contr. Gaud. c. 21. Augustinus. Cum autem multa sint internecionum genera, peculiariter dicit SVSPENDIVM, quia id interemptionis genus, Authore eodem, familiare est ijs qui præ impatientia sibi mortem consciscunt; prout etiam præcipitium, quanquam qui hæc loquitur non dicat animam suam elegisse suspendium.

A dium aut mortem sibi inferre, sed fortassis Propheta suis verbis etiam illos comprehendit quibus tribulatio suggerit sui suspendium.

DESPERAVI per spiritus quandam pusillanimitatem dicens, NEQVAQVAM VLTRA hanc vitam, IAM VIVAM, in terra viuentium. Cuiusmodi pusillanimitas obuenit etiam Ezechiæ dicenti, *Dixi in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi, Quæsiui residuum annorum meorum,* quid nimirum transactis huius vitæ meæ annis mihi repositum esset, *Dixi, non videbo Dominum in terra viuentium.* Et Ieremiæ: dixi, *Perijt finis meus & spes mea à Domino.* In qua tamen pusillanimitate vnumquemque cautè versari debere monet Basil. dicens. *Ne ad decertandos pietatis agones defatigemur, neque per desperationem quæ iam decertata sunt amittamus.* In quam interim pusillanimitatem videtur iste afflictus deuenisse, quia per somnia & visiones ostensa sibi sint inferorum tormenta, suaque, cum exaggeratione peccata. Posito in-

Isaia 38. *Thren c. 3.* *Epist. 60.*

B terim quod quispiam VLTRA NON VIVET, obseruandum ipsi erit illud Augustini. *Si, quod absit, futuri boni spes nulla esset, malle debemus in conflictationis molestia remanere, quam vitijs in nos dominationem permittere.*

21. de Ciuit. c. 15.

Porro verba hæc ex parte tribulati spiritus dicta esse apparet ex sequentibus, Nam mox velut animum resumens, & cum amaritudine animi sui, quod diximus, confabulans, ad instar Ieremiæ post allegata pusillanimitatis verba dicentis, *Noui diluculo, multa est fides tua, Pars mea Dominus dixit anima mea, propterea exspatabo eum*, & quæ sequuntur, nostræ imbecillitatis assertor, ad remedium operis hic iterum auxilium exposcit Creatoris, & dicit PARCE MIHI *ne me patiaris tentari supra quam possum,* sed, quod Ieremias dixit, *Corripe me in iudicio, consideratione, & mensura fructuosi palmitis*, inquit Cyrillus, ne forte ad nihilum redigas me, *Quia si correptionibus nimijs deuenero in peccatum, deuenero etiam ad nihilum, qui enim Deo non viuit, est quasi non sit,* prout ex

Thren. c. 3 *1. ad Cor. c. 13.* *Ierem. c. 10* *10. in Ioan. c. 14.*

C Hieron. in Psal. 38. allegauimus.

Porro afflictus iste rectè orat PARCE MIHI, *Opera enim misericordiæ cum pia humilitate impetrant à Domino vt non permittat seruos suos tentari plus quam possunt sustinere*, inquit August. NIHIL ENIM SVNT DIES MEI quia sunt transitorij, & in suis euentibus varij, atque ob id de vero esse nihil habent. *Non enim est verum* ESSE, *vbi est & non esse.* NIHIL ITAQVE SVNT, *quidquid enim mutari potest, mutatum, non est quod erat*, inquit August. Quo sensu dicit Dominus. *Si manseritis in sermone meo verè Discipuli mei eritis.* Quid enim? Nunquid omnes qui in sermone Domini non perseuerant, ab initio ficti sunt aut hypocritæ? Absit, Nam ad tempus veri quidem Discipuli, sed non verè sunt, quia vt mox dixit Augustinus: *Non est ibi verum esse vbi est & non esse.* In eundem sensum dixit Ioannes, *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis,* quia nimirum non habebant nobiscum verum, quod est immotum ESSE. Si enim,

De Catech. rud. in fine. *Tract. 38. in Ioan.* *Ioan. c. 8.* *1. Ioan. c. 7.*

D permansissent vtique nobiscum.

NIHIL ergo, quia vani, instabiles, mutabiles sunt DIES MEI. Parce itaque mihi, quia, QVID, cuius roboris aut sufferentiæ EST HOMO, QVIA MAGNIFICAS EVM, vt magnificasti me, faciendo me *magnum inter Orientales.* AVT QVID APPONIS ERGA EVM COR TVVM? cum beneuolentia *benedicendo operibus manuum ipsius vt benedixisti* meis: Et per omnium ablationem VISITAS EVM DILVCVLO prematurè quodammodo, ET SVBITO, ex improuiso PROBAS ILLVM, prout dum in pace & prosperitate summa degerem ablatis omnibus visitasti & probasti me? Quotusquisque enim est hominum qui tantam & tam repentinam rerum mutationem sustinere sufficiat? VSQVEQVO, cum ad hanc vsque ætatem per varios dierum euentus exercitatus sim, tandem NON PARCIS MIHI à tantis rerum mutabilitatibus NEC

Cap. 1. *Cap. 1.*

DIMIT-

DIMITTIS ME VT GLVTIAM SALIVAM MEAM? Dando mihi virtutem, vt, A
2.ad Cor. 5 quod postmodum dixit Apostolus, *absorbeatur mortale hoc à vita*, qua absque media morte superinduar? Admodum enim probabile est Prophetam desiderium de quo Apostolus hic exprimere, præsertim cum agat causam generis humani, illud autem desiderium Apostolus fateatur nobis omnibus esse commune.

Fateor, PECCAVI in primo parente, & per hoc cum vniuerso genere humano me aduersitatibus & mutabilitatibus obnoxium reddidi. QVID FACIAM TIBI, qualiter me in illis excipiendis vel sufferendis geram erga te ô CVSTOS HOMINVM? Qui hominem talibus malis quasi cuidam
Thren. c. 3. custodiæ includis vt non sit effugium, & meritò dicat cum Ieremia, *Circumædificauit aduersum me vt non egrediar, aggragauit compedem meum.* Scio quidem in his mihi dicendum, *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* Sed quid? QVARE POSVISTI ME (cum videlicet ne id fieret non B
Serm. 81. in Cant. prohibuisti *Alioqui ipse me posui* inquit Bern.) CONTRARIVM TIBI, vt in aduersitatibus & exercitationibus meis secundum hominem alia sit voluntas mea quam tua: Et ipsa hac contrarietate, FACTVS SVM MIHIMETIPSI GRAVIS, *Iustissimè quidem*, inquit ibidem Bern. *vt hostis tuus sit & hostis meus, & qui tibi repugnat repugnet & mihi, quia iussisti Domine & ita factum est, vt omnis inordinatus animus sibimetipsi sit pœna*, inquit August. Maior profectò si non solum sit appetitus inferioris, sed etiam liberæ voluntatis. *Nec enim fieri potest vt non grandi pondere ruina voluntas hominis supra semetipsum cadat, si eam volun-*
8. de gen. ad lit. c. 14. *tati superioris extollendo præponat*, inquit idem.

Cæterum, si iustæ tibi fuerint causæ non prohibendi ne peccando fierem
De correp. & grat. c. 10. & 12 contrarius tibi & grauis mihi, eo quod iuxta doctrinam Augustini, *Experiri prius volueris quid posset liberum arbitrium à te virtutibus sic instructum, ac promissis terroribusque sic vallatim, vt dignè tantæ bonitati & non peccandi facilitati, perseue-* C *randi committeretur arbitriũ, præsertim te sciente quid ex præuaricatione facturus esses boni:* saltem, CVR, in suis reliquijs NON TOLLIS PECCATVM MEVM, ET QVARE NON AVFERS, adhuc residuam INIQVITATEM MEAM, tametsi ob defectum voluntarij, peccati propriè dicti ratione iam exutam, attamen suis motibus tibi contrariam, mihi onerosam? Clamor est conquerulus obiur-
3. in Ioan. c. 34. gationisque plenus. *Sed, is* authore Cyril. *ad Deum orationis tenet locum, si ab infirmis adhuc & infantibus in habitu virtutis fit. Nam & infantes ploratu necessaria sibi alimenta flagitant, & hoc modo mater ad fouendos filios suos prouocatur.* Quod certè & huic querulοso euenit. Nam quasi consolatione de futuris prægustata exclamat ECCE, aduentare video, propter quod nunc præmaturè apud Deum insto, NVNC, admodum breui & hac penè hora mortuus & secundum corpus sepultus IN PVLVERE DORMIAM, iuxta quod scriptum est,
Dan. 12. *Multi dormierunt in puluere terræ*, ET SI MANE diluculo alterius vitæ quo fiet D resurrectio, ME QVÆSIERIS ad resurgendum conquisitis vndique reli-
Gen. 9. quijs corporis mei, iuxta quod dixisti, *sanguinem animarum vestrarum requiram, de manu cunctarum bestiarum & de manu hominis, de manu viri, de manu fratris*
De resur. car c. 28. *eius:* Nam in ijs verbis, authore Tertull. *Promittis quod ad resurrectionem requires quidquid corporis humani à bestijs deuoratum fuerit aut deperditum.* Si inquam illo mane sic me quæsieris, NON SVBSISTAM; Alij, NON EGO, qualis scilicet nunc. Tunc enim per omnia tolles peccatum & auferes iniquitatem
Isaiæ 33. meam, iuxta illud Isaiæ, *Populus qui habitabit in ea, auferetur ab eo iniquitas*, cum animæ concupiscentia ac quauis infirmitate, ablata etiam corporis passibilitate; quam nunc non aufers, quia de peccato castigas vel etiam exerces peccatorem, reseruata peccati abolitione in illum diem. His igitur de causis

A causis non per omnia tollis in hac vita peccatum meum ac iniquitatem. Quin &, SI MANE ME QVÆSIERIS, NON SVBSISTAM quia nullam interpositurus moram, vndique aduolabo *vt in momento in ictu oculi in nouissima tuba reuiuiscam*, sicut scriptum est, *Auditui meo*, per tubam nouissimam, *dabis gaudium & lætitiam*, *& de reconditis receptaculis suis* quas Tertull. appellat Cellas Promas, *exultabunt, alacriter exilient atque in promptu aderunt ossa ad id vsque tempus deformiter humiliata.* 1. Cor. 15. Psal. 50. De resur. car. c. 27.

CAPVT VIII.

B RESPONDENS AVTEM BALDAD SVHITES, DIXIT, VSQVEQVO, tanquam rabula LOQVERIS TALIA, vt nimirum sint SPIRITVS MVLTIPLEX SERMONES ORIS TVI? Quia in eodem contextu sermonis non constas tibi. Cum enim diceres, *Quis mihi det vt qui capit ipse me conterat*, apparebat in te spiritus patiens & maioris tolerantiæ auidus; cum verò diceres, *suspendium elegit anima mea*, *desperaui* & similia, spirabas impatientiam si non dementiam. Dixisti, *Quis mihi det vt affligens me dolore non parcat*, Exinde quasi tibimetipsi contrarius, rogasti *parce mihi*. Optasti *non contradicere sermonibus Sancti*, exinde dicens QVARE, CVR, visus es institutis Dei obloqui. Sed ignorabat Baldad, Iob varias personas in se transfigurare, & pro diuersitate personarum diuersa absque contrarietate dicere, *nam contraria, inter cætera esse debent secundum idem.* Philosophus 1. Elench. c. 7

Veniens autem ad rem, & cæptam ab Eliphas disputationem prosequens aut potius astruens dicit Baldad. C NVNQVID DEVS SVBPLANTAT, Alij, peruertit subuertit IVDICIVM, iniquam sibi formans de rebus sententiam, aut peruersam censuram? AVT, posito quod non, OMNIPOTENS SVBVERTIT QVOD IVSTVM EST? Vt nimirum quia nouit se omnia posse, nec esse qui resistat voluntati ipsius, pro potestate agat contra iustitiam? nequaquam; *eum enim qui non debet puniri condemnare, exterum æstimas à tua virtute*, siue bonitate. Ex quibus Baldad intelligendum relinquit Iob iusto Dei iudicio in has calamitates deuenisse, & id quidem verè, sed vt ex Ambrosio initio capite 4. audiuimus, infirmo animo non æstimabant iudicium huiusmodi posse esse iustum, nisi decerneretur in vindictam peccatorum, & proinde Iob debuisse in hæc propter peccata deuenisse, cum tamen hoc rerum humanarum statu iustè decernatur propter exercitium. Sap. c. 12.

D Tantum verò à Deo abest peruertere iudicium, vel quod iustum est, vt ETIAM SI FILII TVI PECCAVERVNT EI, ET DIMISIT EOS IN MANV, alij, IN LOCVM INIQVITATIS SVÆ, in mortem ipsos ex improuiso præcipitans vt vidimus, siue vt Pagninus vertit Expulit eos è mundo, TV TAMEN, qui iniquitate eis par, si non maior es, SI, maturata ac festina conuersione DILICVLO, (minus grata enim Deo est tarda & cunctabunda conuersio dicente ob id Sapiente, *Ne tardes conuerti ad Dominũ & ne differas de die in diem:*) Si igitur *diluculo* per tui conuersionem CONSVRREXERIS AD DEVM, vt te è lapsu in gratiam suscipiat, ET, de pristinis vt tibi dimittantur OMNIPOTENTEM FVERIS DEPRECATVS: Insuper, SI à diluculo tuæ conuersionis à contaminatione recidiui MVNDVS, ET in operibus iustitiæ RECTVS INCESSERIS, STATIM absque dilatione, per beneuolentiam EVIGILABIT Eccl. c. 5.

AD TE, qui cum in peccato esses, videbatur tibi obdormiuisse. ET, ad A effectum euigilantiæ huius, PACATVM REDDET HABITACVLVM IVSTITIÆ TVÆ, quod ad id vsque tempus ob peccata tua fuit multimodis perturbatum & afflictum.

Et id quidem cum temporalis prosperitatis fænore, IN TANTVM, VT SI PRIORA TVA posterioribus comparata, FVERINT PARVA, ET NOVISSIMA TVA MVLTIPLICENTVR NIMIS, vltra omnem modum: sed Baldad id supra modum exaggerat: quia Dominus conuersus ad pœnitentiam Iob reddidit ipsi tantum dupla. Quâ tamen in parte Baldad consentit Eliphæ qui dixerat, *Scies quod pacem habeat tabernaculum tuum*, &, *ingredieris* Cap. 5. *in abundantia sepulchrum.*

Porro, vt Eliphas ex reuelatione, ita Baldad eandem sententiam probare nititur ex maiorum auctoritate & traditione: cuius traditionis, ne B quid subsit doli, inuestigationem concedens Iob, INTERROGA, inquit, GENERATIONEM PRISTINAM, eos dico qui dudum geniti iam consenuerunt, ET DILIGENTER INVESTIGA PATRVM MEMORIAM, quid nimirum patres memoriæ posterorum prodiderunt & commendauerunt. Patrum dico, HESTERNI QVIPPE, eorum comparatione, SVMVS, ET IGNORAMVS, præ oculis non habemus, QVONIAM SICVT VMBRA, fragilis atq; transitoria, *Dies enim nostri quasi vmbra super terram, & nulla est mora*, inquit
1 Paralip. 29. Dauid, *Et homo*, vt infrà audiemus, *fugit velut vmbra.* Vmbra ergo DIES
Cap. 14. NOSTRI SVNT SVPER TERRAM, nam vt ortu posteriores, ita ad interitum non cogitamus non esse velociores, iuxta quod dixit Iacob, *Dies an-*
Gen. 47. *norum vitæ meæ parui & mali, non peruenerunt vsque ad dies patrum meorum quibus peregrinati sunt.* Quibus in verbis non reliquit occultum quod superiores videantur qui ante generati sunt, infirmiores qui postea. *Comparantur enim vtero mulieris partus huius sæculi, quoniam fortiores sunt qui in* C *virtute iuuentutis nati sunt, infirmiores qui tempore senectutis. Defecit enim, multitudine generationis hoc sæculum sicut vulua generantis, & tanquam senescens creatura robur iuuentutis suæ velut marcente iam virium suarum vigore deponit,*
De bon. mort. c. 10. inquit Ambrosius.

Dicit ergo Baldad INTERROGA GENERATIONEM PATRVM TVORVM, & quæ sequuntur, ad probationem sui thematis illis vsus principijs, quibus ad suæ fidei probationem exinde Basilius, vt animaduertamus generalem huiusmodi principiorum notionem esse omnibus impressam. Dicit
De Spiritu Sancto cap. 29. autem Basilius, *Enarrabo vobis huius sermonis* (qui de patre dicit *ex quo*, de filio per quem, de Spiritu Sancto, IN QVO) *authores. Simul autem æstimatur in eo* (loquendi modo) *quando tacetur etiam tempus* (ex quo ille sermo in vsu esse cæpit) *neque enim à nobis primo cæpit impetus. Qui potuit? nos quidem reuera hesterni sumus, quemadmodum dicit Iob, sanè ad* D *tam longum tempus huius consuetudinis æquale.* Hæc Basilius probans sermonem illum doctorum ex traditione maiorum & temporis antiquitate.

Addit Baldad ET IPSI DOCEBVNT TE, LOQVENTVR TIBI ET DE CORDE SVO PROFERENT ELOQVIA. Quare quæso DE CORDE? nisi quia Baldad maioribus suis tribuit quod Ecclesiasticæ linguæ ac traditionis authoribus Basilius, cum allegato loco scribit, *Qui ab initio præscripserunt tradiderunt que posteris, vsu semper simul cum tempore progrediente, per longam consuetudinem Ecclesijs* (suum sermonem) *irradicauerunt.* Hæc Basil. Et id quomodo? nisi quia à maioribus tradita doctrina, in cordibus posterorum

A rorum egit radices, vt cum de illa ſermocinantur, de cordibus ita irradicatis eructant verba? Principium ergo quod allegat Baldad in genere ſuo ſolidum quidem eſt, ex eo tamen non vera concludit, quia aut maioribus tribuit quod non docuerunt, aut maiorum autoritatem defert ijs qui eam non meruerunt.

Inſuper ad ſuæ ſententiæ confirmationem argumentatur Baldad à ſimili, & dicit NVNQVID VIRERE POTEST SCIRPVS, iuncus paluſtris, ABSQVE HVMORE, AVT CRESCERE CARECTVM, paluſtrem intellige locum caricibus obſitum, SINE AQVA? experientia docet quod non, quia ſcirpus CVM ADHVC SIT IN FLORE, primitiuo ſuo vigore, NEC CARPATVR MANV, cuiuſpiam tranſeuntis, ANTE OMNES HERBAS, tanquam ſiccitatis plus patientes, mox vbi humore vel aqua deſtituitur, per ſe ARESCIT: SIC, ad eundem videlicet modum, VIÆ, induſtriæ, negotia, actiones, OMNIVM B QVI OBLIVISCVNTVR DEVM, ne faciant ipſius mandata; ET SPES HYPOCRITÆ, quo verbo pungitur Iob tanquam qui, quod etiam Eliphas ſuſtinere conatus eſt, occulta habuerit cum ficta ſanctitate peccata: Spes dico quam hypocrita de perpetuitate ſuæ proſperitatis temporalis habet, PERIBIT. Quod enim ſcirpo humor, id fælicitati huius ſæculi Dei timor, & quod carecto aqua, id proſpero ac fælici iuſtitia.

NON EI PLACEBIT VECORDIA SVA, quâ velut columba amens & non habens cor, ſperauit ſe ſine iuſtitia poſſe in priſtina fælicitate ſubſiſtere, nam poſtmodum contraria expertus de illa ſua veſania ſibi non gratulabitur.

ET SICVT TELA ARANEARVM, admodum fragilis, robur in quod confidit, ſiue, FIDVCIA EIVS. Declaro ſingulatim, INNITETVR tota fiducia incumbet SVPER DOMVM SVAM, quam in modum caſtelli exſtru- C ctam, & omnibus neceſſarijs, puta armentis, gregibus, agris, pratis, hortis, ſiluis, pecunijs, reditibus, clientibus, amicis, patronis, armis habet abunde inſtructam, ET NON STABIT, quia deficiente heri iuſtitia mox labaſcet. Contra quod, FVLCIET EAM, firmando quod labefactari, redintegrando quod cæperit proſterni, ET NON CONSVRGET, ad priſtinum robur aut integritatem.

HVMECTVS VIDETVR ANTEQVAM VENIAT SOL, quia ad permanendum prima facie videtur ſibi ſat habere ſubſidiorum, ſicut ſcirpus ante ortum ſolis ſat humorum: & IN ORTV SVO, editio regia & cum ea ex Hebræo Pagninus HORTO SVO ſatis conformiter ad ſeptuaginta qui legunt de *ſterquilinio ſuo*, GERMEN EIVS EGREDIETVR, quia principio bona temporalia ipſi ſuccreſcent.

Sed quid? SVPER ACERVVM PETRARVM RADICES, huius germinis D EIVS DENSABVNTVR, & ob id germen non erit ſtabile, ad modum feminis quod Dominus dicit cecidiſſe, *ſuper petram*, id enim natum aruit quia non habebat humorem, ET INTER LAPIDES COMMORABITVR, vt nihil ei fæliciter ſuccreſcat, non enim erit *tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet proſperabuntur.* SI, ſol oriens qui hic eſt Deus vindicans, ABSORBVERIT EVM DE LOCO SVO, vt rebus adhuc vtcumque integris repente moriatur; NEGABIT EVM locus eius, ET DICET: NON NOVI TE. Neque enim vt ſuperiore capite ô Iob per proſopopeiam verè dixiſti COGNOSCET EVM AMPLIVS LOCVS EIVS. Quod cum ipſe fieri poſſe non ignoraret, non per omnia contriſtabatur, HÆC EST ENIM LÆTITIA caducæ VIÆ EIVS, VT DE TERRA rurſum GERMINENTVR ALII,

Luc. 8. Pſal. 1.

Psal. 16. eiusdem fœlicitatis hæredes, Consolabatur enim se quod *saturatus filijs di-* A
mitteret reliquias suas paruulus suis, qui exinde easdem, perpetua successione,
Psal. 9. nepotibus; atque ita dicebat in corde suo, *Non mouebor à generatione in generationem vsque in sempiternum.*

DEVS, à protectione sua NON PROIICIET SIMPLICEM, de quo scri-
Prouer. 10 ptum est *fortitudo simplicis via Domini.* NEC PORRIGET MANVM, concursum quem vocant, cooperationem dico suam omnibus creaturæ motibus necessariam: hanc dico non porriget MALIGNIS, intendentibus simplici nocumentum inferre. Rigescent enim & obstupescent si voluerint simplici nocere. Id verò eo vsque, DONEC IMPLEATVR RISV, cachinno, OS TVVM, nam vbi videris malignorum conatus Deo frustrante inuali-
Psal 51. dari, deridebis eos sicut scriptum est, *Videbunt iusti & super eum ridebunt*; Ad laudandum verò desuper Deum, replebuntur LABIA TVA IVBILO.

QVI ODERINT TE, machinando tibi mala sic frustrati, insuper & de- B
lusi, INDVENTVR CONFVSIONE, ET, tametsi hæc fuerit lætitia malignorum vt de terra germinarentur alij, tamen TABERNACVLVM IMPIORVM, deficiente successore NON SVBSISTET. Quæ omnia Baldad accuratè magis digessit quam verè. Ignorabat enim consilium Dei & nimis
Psal. 91. profundas cogitationes ipsius quas teste Psalte, *Vir insipiens non cognoscet*
Epist. 120. c. 5. *& stultus non intelliget*; de quo consilio Augustinus. *Christus homo vt per eum commendaretur gratia noui Testamenti, quoniam non ad temporalem, sed ad æternam vitam pertinet, non vtique terrena fælicitate commendandus fuit. Inde passio eius, flagella, sputa, mors, vt fideles eius discerent quale pietatis præmium ab eo sperare deberent, ne abijcerent & conculcarent fidem suam æstimando eam mercede vilissima. Vnde beneficentissima prouidentia Deus terrenam fælicitatem concessit & impijs, ne pro magno quæreretur à bonis.* Hæc Augustinus.

C

CAPVT IX.

1 de interp. c. 4. ET RESPONDENS IOB ad verba vt benè obseruauit Ambros. oraculi quod capite quarto dixerat, *Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur?* AIT, VERE SCIO QVOD ITA SIT, quodque prima illa oraculi pars haberi debeat indubitatè vera. ET verè scio QVOD à delictis ac peccatis NON IVSTIFICETVR, immunis non deprehendetur HOMO COMPOSITVS, ad cominus disceptandum iuxta positus, aut, quod Tribunalia dicunt cónfrontatus DEO, ita vt sciam id quod Eliphæ est ostensum non solum ita se habere, sed in Dei iudicio manifestandũ fore. Dixi, non iustificetur A PECCATIS. A quibus hic iustificamur vel per innocentiã quam parit con- D
tinentia à peccatis, vel per pœnitentiam per quam transferimur à peccato ad
Rom. 6. iustitiam, à reatu ad veniam, de qua iustificatione Apost: *Qui mortuus est, iustificatus est à peccato* tanquam termino à quo: Dicimur & iustificari *gratiã* quam
4 ad Bon. c. 5. Aug. dicit propriè esse *infusionem charitatis*, tanquã iustitiæ causa formali, & iustificationis termino ad quem. Hic autem sermo est de iustificatione à peccatis per innocentiam, vt ex contextu declarabitur: propter quod dixi, non iustificabitur, id est, à peccatis immunis non deprehendetur homo compositus Deo. Quia SI homo, inquit August. Ambr. Thomas, in defensionem innocentiæ suæ VOLVERIT CONTENDERE CVM EO, Deo videlicet, NON
1 ad Marcell. c. 10. POTERIT, legit August. OBEDIRE EI, & 70. non obaudiet ei, id est, inquit, *Si iudicandus ostendere voluerit, non in se inueniri posse quod Deus damnet, non poterit*

obedire

A *obedire ei: Amittit enim illam obedientiam quâ obedire possit præcipienti confitenda esse* Ierem. 2.
peccata. Vnde quosdam increpat dicens, quid vultis mecum iudicio contendere? Quod Psal. 142.
ille præcauens, ne intres, inquit, *in iudicio cum seruo tuo, quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Ideo etiam dixit Iob, quis iudicio eius aduersabitur?* Hæc August. *Damnet*, inquit; Tu verò id non restringes ad damnationem æternam, quasi in singulis adultis inuenire posset Deus peccata æterna morte digna, quia addictio ad pœnam etiam temporalem vocatur damnatio apud Augustinum dicentem. *Quibus mortuis sacrificia altaris aut quarumcumque Elee-* Enchyr.
mosynarum prosunt, ad hoc prosunt vt sit plena remissio, aut tolerabilior fiat ipsa dam- 111.
natio, non ad æternam pœnam, quia Augustinus ibidem docet sacrificia altaris valde malis non prodesse, non solum non ad redemptionem pœnæ æternæ, sed ne quidem ad mitigationem ipsius, quod alibi probat ab Epu- in Ps. 111.
lone ne stillicidium quidem in suæ linguæ refrigerium impetrante. Re-
B linquitur ergo quod apud Augustinum damnatio subinde sit addictio ad pœnam temporalem, prout etiam obseruauit Adrianus sextus, quod lib. 8. quæst. 2. Ambrosius verò legit SI HOMO CUM DEO super innocentia sua Serm. 16.
VOLVERIT IVDICIO CONTENDERE, NON AVDIET ILLVM VT NON AD verf. 4. in
VNVM VERBVM EIVS MILLE SERMONIBVS CONTRADICAT, & vnum- Psa. 118.
quodque verbum contentionis siue defensionis ipsius, mille suis verbis refellat.

Quid verò? Deus igitur in iudicio contentionem cum homine inibit verbalem? arbitratus est id Lactantius qui proinde existimauit extremum iudicium per mille annos fore extrahendum, sed benè respondet D. Thomas ad contentionem verbalem in extremo iudicio nec mille suffecturos annos sed immenso opus fore tempore, proinde quod Ambrosius dicit. MILLE SERMONIBVS, non verborum multitudinem aut numerum, sed im-
C portat Dominicæ refutationis efficaciam, quæ tanta sit vt mille verbis exæquari non possit. Quam describens Augustinus. *Virtute*, inquit, *diuina* 20. de ci-
fiet vt cuique opera sua vel bona vel mala in memoriam reuocentur, & mentis intui- uit. c. 14.
tu mira celeritate cernantur. Et ipsas conuincet sine vlla sermonis prolixitate con- Cap. 16.
scientias, sine mora reuocaturus in memoriam vnde conuincat puniatque conscientiam: quod per Psalten declarans, *Arguam*, inquit, *te & statuam contra faciem* Psa. 49.
tuam.

Nostræ verò lectionis quæ est, NON POTERIT EI RESPONDERE VNVM PRO MILLE, sensus est, defendendo non poterit respondere vel iustificare vnum ex illis quæ Deus maximo numero posset irrefragabiliter objicere, *quia in multis offendimus omnes*. Maximo dixi numero, D. Thomas enim Iac. c. 3.
ponit MILLE, hic magnum numerum importare, sed indeterminatum, vt, In hunc locum.
quod communiter dicitur, hic sit certus numerus pro incerto. *Si enim cor* 1. Ioan. 3.
D *nostrum non reprehenderit nos*, prout frequenter non reprehendit, quia scriptum est, *Iniquitates meæ multiplicatæ sunt, & cor meum dereliquit me, & non* Psa. 39.
potui vt viderem. Deus maior est corde nostro, & nouit omnia, inquit Ioannes, 1. Ioan. c. 3
quæ nostram conscientiam fugiunt. Alibi proinde Ambrosius. *Quæ spes* Serm. 16.
hominibus certandi apud eum quem occulta non fallunt, quem latere peccata non verf. 4.
possunt?

Quantopere verò Deus maior sit corde nostro latius explicans atque adeo præmissæ suæ sententiæ eandem cum Ioanne dans rationem adiungit Iob. SAPIENS CORDE EST vt intelligat omnia opera hominum, ET FORTIS ROBORE, vt nemo manus ipsius euadat, quin & potenter puniat. QVIS per contradictionem vel sui defensionem RESTITIT EI ET PACEM HABVIT? tulit impune? Imò, pacatus fuit in semetipso? *Nam in ipsa misera inquietudine*

 defluen-

defluentium spirituum satis ostendisti quam magnam creaturam rationalem feceris, A
cui nullo modo sufficit ad requiem quicquid te minus est, ac per hoc nec ipsa sibi, inquit
13. confess. cap. 8. Augustinus.

1 de interp. cap. 4. QVI TRANSTVLIT MONTES. Ambrosius non ignarus per sequentia,
bona ex parte explicari fortitudinem vindicantis Dei in resistentes sibi, at-
Act. 7. tendens simul Iudæos à temporibus Patrum vsque ad Christum *semper resti-
tisse Spiritui Sancto*, exponit sequentia de vindicta quam in vltionem suæ pro-
teruiæ tandem sustinuit Iudæa & quidem in hunc modum QVI TRANSTV-
LIT MONTES Iudæos superbos & sublimes, quando à Sacerdotibus & Pha-
Matth. 21. risæis *abstulit regnum Dei, & dedit illud genti facienti fructus eius:* eademq; ope-
ra eosdem montes qui aduersus Christum locuti sunt superbiam SVBVER-
TIT IN FVRORE SVO, quia à Christo, structuræ spiritualis fundamento,
auulsi, funditus corruerunt. COMMOVET TERRAM DE LOCO SVO, intel-
lige continens pro contento. Id autem quando Israël transtulit de terra B
sua.

ET COLVMNÆ EIVS, quas Ambros. intelligit Moysen, Aaron aliosque
qui domum Israël sollicitudine & authoritate sua sustentauerunt, CONCV-
TIVNTVR pauore, ob tantam rerum mutationem, PRÆCIPIT SOLI ET
NON ORITVR, quando tempore passionis Christi implebatur illud Amos
ad Israël, *Occidet sol tuus meridie diffusis super terram tantis tenebris vt luci
stellarum præualuerint*, STELLAS CLAVDIT QVASI SVB SIGNACVLO. Quin
Sap. 5. & occidit Iudeæ sol suus, quando dixerunt, *Iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol
iustitiæ non est ortus nobis.*

Et hæc omnia NESCIERVNT HI QVOS SVBVERTIT IN FVRORE SVO,
Psal. 73. de quo Psalmus, *Vt quid Domine repulisti in finem iratus est furor tuus super oues
pascuæ tuæ?* quia Israël huc vsque nescit se ista passum esse & etiamnum pati
quia restitit Christo. Magis tamen videtur per sequentia doceri quam sit C
Deus SAPIENS CORDE ET FORTIS ROBORE, circa institutionem ac im-
mutationem creaturarum præsertim circa diem iudicij, de quo Author sub-
iungit QVI TRANSTVLIT, alij, TRANSFERT iuxta quod in sequentibus
etiam nos legimus, COMMOVET TERRAM, FACIT ARCTVRVM, quia omnia
quæ hic recensentur diuini roboris sunt siue iam facta siue sint facienda.
TRANSTVLIT itaque MONTES secundum D. Thomam quoad montium
partes deciduas, sed nescio an id rectè asscribatur diuinæ fortitudini. Com-
1. Cor. 13. memorat etiam D. Thomas Deum transferre montes per eos *qui habent fi-
dem ita vt montes transferant.* Ad propositum verò Authoris TRANSTVLIT
Psal. 96. MONTES, quando *montes sicut cera fluxerunt à facie Domini quoniam venit iudica-
re terram.* ET NESCIERVNT HI QVOS vna cum montibus SVBVERTIT IN
Isaiæ 13. FVRORE SVO, illo de quo Psalmus, *Tunc*, in die nimirum qui iuxta Isaiam erit
plenus indignationis, iræ, furorisque, ad ponendum terram in nihilum & peccatores D
Psal. 2. *conterendum de ea: Tunc* inquam, *in furore suo conturbabit eos* inopinatos, & ad
id vsque nescios, *quia cum dixerint pax & securitas, repentinus eis superueniet
1. Thess. 5. interitus.*

QVI COMMOVET TERRAM DE LOCO SVO, quando iuxta Apocalypsim,
Apoc. 6. *Omnis mons & insula de locis suis motæ sunt, & omnis insula fugit, & montes non
sunt inuenti.* ET COLVMNÆ EIVS, terræ CONCVTIVNTVR. Quæ autem eius
columnæ, nisi terræ fundamenta? præsertim quia Augustinus legit, QVI
COMMOVET TERRAM A FVNDAMENTIS, & sunt terræ quædam robora
partesque solidiores, quæ molem montium valent sustinere, quod multa
terrarum loca non valent, vt, quæ nisi impactis trabibus fistucata, valeant
sustinere sublime vel ponderosum ædificium. Hæ ergo COLVMNÆ CON-
CVTIVN-

A CVTIVNTVR, quando, vt dicit Pfalmus, Dei haud dubio virtute, *fundamenta montium conturbata sunt & commota*, sic, vt montes funditus concussi, disiecti sint ac dilapsi, ac insularum superficies suis radicibus auulsa, à fluctibus maris propulsetur ad continentem, QVI PRÆCIPIT SOLI ET NON ORITVR, quia tempore extremi iudicij, Deo iubente, *Sol in ipso ortu suo*, teste Isaia, *obtenebratus, non progredietur*, sed authore Abacuc *Sol & Luna stabunt in habitaculo suo*. *Psal. 17.* *Isaia 13.* *Abac 3.*

ET STELLAS CLAVDIT QVASI SVB SIGNACVLO, quia vt ibidem dicit Isaias *Stella & splendor earum*, non dicit obtenebrescent, inquit Basilius, *sed non expandent lumen suum*, obsistentibus enim tenebris terræ pænitus offusis, lumen suum ad terram vsque non diffundent. Eruntque tenebræ terræ offusæ, quasi quoddam operimentum & saccus quo intercipietur splendor stellarum, iuxta illud Isaiæ, *Induam cælos tenebris*, quod quasi exponens, *saccum*, *Cap. 50.*
B inquit, *ponam operimentum ipsorum*, vt non in semetipsis obtenebrentur, sed tenebris forinsecus offundantur, prout & Sol de quo Apocalypsis 6. *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus*, dicente Hieron. *non cælum sacco obducitur, sed intercluso cæli lumine aër qui subtus est nubis tenebris obscuratur*, sic vt, quod Sapiens cap. 17. dicit de tenebris Ægyptiacis, *nec syderum limpida flamma illuminare poterunt illam noctem horrendam*, Sic ergo Deus fortis robore in consummatione sæculi: *Quod tamen robur iustis auxilium erit non ruina*, inquit Ambros. ipsos enim proteget à malis quæ tunc superuenient vniuerso orbi, quibus præmonendo dixit, *Vigilate vt digni habeamini fugere hæc omnia*. Parem, his qui non creditur in virtute consummatus, virtutem exercuerat in constitutione mundi, dicente Ieremia, *Qui fecit terram in fortitudine sua*. Qui vt pellem siue cameram vel quoddam tentorium EXTENDIT COELOS SOLVS: quod significat vnitatem Trinitatis inquit Augustinus. Solus ergo, quia nemo *De interp. cap. 4.* *Luc. 21.* *Cap. 10.* *In hunc locum.*
C extra ipsum cum ipso, sed vnà cum ipso illi qui in ipso per identitatem substantiæ sunt. *Verbo enim Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*, vt obseruauit Cyrillus. *Solum enim diuinitas facit, quæ vt vna ita & sola*, inquit Ambrosius. *Psal. 32.* *10. Thezaur. c. 6.* *2 in Luc.*

ET, vt appareat etiam fortis in imperio super ea quæ creauit, *tanquam qui dominatur potestati maris & motum fluctuum eius mitigat*, GRADITVR SVPER FLVCTVS MARIS. Quod Augustinus allegoricè extendens, *firmat*, inquit, *Ecclesiam in sæculo: Vel, subijciendo sibi peccatores non mergitur, non cedendo tentationibus eorum*. ET hæc quidem facit SOLVS, sensu quem mox diximus, quia æterna Sapientia à Patre personaliter distincta in Prouerbijs dicit, *In fluctibus maris ambulaui*. *Psal. 88.* *Eccl. 24.*

QVI FACIT ARCTVRVM, ET ORIONA ET HYADAS. Hic Hieron. *In libro Iob Arcturum & Oriona & cætera astrorum nomina legimus, non quod eadem* *In cap. 5. Amos.*
D *apud Hebræos vocabula sint* (nam teste eodem. ARCTVRVS *apud Hebræos* CKIMA *dicitur*, ORIONA, CHESIL, ZODIACVS MAZOLOTH) *sed quod nos non possumus quæ dicuntur nisi consuetis vocibus intelligere*. Hæc Hieron. ARCTVRVS autem Diuo Thomæ est constellatio quæ vocatur vrsa maior, & habet septem stellas claras circa polum septentrionalem quæ nobis nunquam occidunt quem tamen Basilius ponens stellã vnam in medio Orionis colore subnigrescente. ORION inquit est quædam constellatio multum euidens in cælo propter sui magnitudinem & claritatem stellarum, quæ dicuntur esse in tauro & geminis cum qua oriri solent nimbi dicente Poëta,

Iam nunc nimbosus Orion.

Dicente in idipsum Basilio, *Liquet scripturam Oriona dicere id sidus quod & viginti stellas complectitur, à nonnullis boötes nominatur. Hic stellarum globus in aqui-* *In cap. 13. Isaiæ.*

lonari parte locatus est, qui Orion nominatur quod in vnum corpus compactus sit. Ad A
hunc globum qui dicitur præ se ferre speciem viri armati, pulchrè alludit
Scorp. c. 10. Tertull. respondens illis qui ad declinandum huius temporis martyria, dixerunt, præcepta Christi, Qui me confessus fuerit, & qui me negauerit, locum habitura tantummodo in cælestibus, dicit per ironiam. *Si ergo in cælestibus quispiam negauerit, profectò nec ibi deerit ipsi vltio. Nam vincula ei fient ex zonis*
Nat. hist. 2 cap. 66. *(quas astrologi,* teste Plinio, *quinque ponunt in cælis) Equuleus erit ipse axis. Si quis trucidandus erit, Orionis armati manus operabitur. Si bestijs finiendus, vrsas emittet Septentrio. Zodiacus tauros & Leones, &c. & Hyadas stellas* in pectore tauri,
In hunc locum. multum notabiles visu inquit D. Thomas mouentesque pluuias iuxta illud Poëtæ, *Pluuiasque Hyadas Septemque triones.*

Et interiora Avstri, stellas quæ sunt circa polum australem siue Antarcticum. Quas appellat interiora Austri, quia ad illas istorum collocutorum, prout nec noster, penetrabat aspectus. Visæ sunt autem à Lusitanis in B
prima nauigatione Indica cum æquinoctialem transnauigantes nimis excurrerent ad Austrum sic vt vrsa minor aliæque stellæ quæ circa polum Arcticum exiguum conficiunt orbem ipsis fuerint ad tempus inuisæ. A degentibus verò sub æquinoctiali vterque polus siue cæli vertex teste D Thoma conspicitur. Cum ergo Arcturus in cæli plaga septentrionali, interiora austri in parte opposita, Orion & Hyadæ sint in parte intermedia, per hæc insinuatur Deum stellarum extrema & media atque adeo omnes stellas à Septentrione ad Austrum vsque fecisse. Et quandoquidem Deus non sola fortitudine, sed etiam *sapientia fundauit terram & stabiliuit cælos prudentia*, adiungit
Prouerb. cap. 3. quædam quibus sapientia Dei à creatura mundi quam maximè relucet & dicit.

Psal. 110. Qvi facit magna, *magna enim opera Domini exquisita in omnes vo-*
Eccles. 8. *luntates eius* et incomprehensibilia, iuxta illud Sapientis, *Intellexi quod* C
21. de ciuitat. c. 5. *omnium operum Domini non potest homo inuenire rationem.* Propter quod August. arguit ratiocinatores, *quos* ironicè dicit *magnos, qui de omnibus rebus quas esse mirabiles constat, putant se posse reddere rationem. Quod nos non posse,* inquit, *confitemur, eo quod miris Dei operibus infirma mortalium ratiocinatio vincitur. Fixam tamen apud nos esse rationem, non sine ratione Omnipotentem facere, vnde animus in-*
Lib. 1. Hist. Ind. *firmus rationem non potest reddere.* Hæc August. Exemplum dat Mapheus scribens in Indiæ regionibus multa esse admiranda. *Illud,* inquit, *in primis omnium Physicorum ingenia superat quod apud Malabares in eadem cæli plaga pari solis accessu recessuque ijsdem anni mensibus, ab ortu trans Gatis iuga æstas ac siccitas, ab occasu cis Gatem hyems & assidua pluuiæ sint, vt in tanta locorum propinquitate, quod ad rationem tempestatum attinet, ijdem penè populi sibi mutuo Antipodes esse videantur.* Hæc ille.

21. de ciuitat. c. 4. Et mirabilia, quæ sunt naturæ miracula, inter quæ Augustinus reponit D
paleam, *cuius vis tam frigida est vt obrutas niues seruet, tam feruida vt poma immatura maturet.* Item carbones, *quorum tanta infirmitas, vt ictu leuissimo frangantur, pressu facillimo conterantur, & tanta firmitas vt nullo humore corrumpantur, nulla ætate vincantur.* Denique calcem viuam *quæ cum extinguitur tum incenditur. Vt enim occulto igne careat, aqua perfunditur, & cum ante sit frigida, inde feruescit, vnde feruentia cuncta frigescunt.* Quibus addit miraculum Adamantis, *qui non ferro, non igni, non alia vi, sed Hircino sanguine perhibetur vinci.* Et Magnetis, *raptoris ferri mirabilis, quod vt primum vidi, vehementer* inquit *inhorrui.* Admirabilia autem recensendo, cum videret Iob se non sufficere, addit, qvorvm non est nvmervs, sed Dominus infra cap. 38. supplet quibus enarrandis Iob hic defecerat.

Sequi-

A Sequitur aliud diuinæ Sapientiæ argumentum desumptum à subtilitate sapientiæ amica, *Est enim in omnium artifice sapientia, Spiritus subtilis* de quo dicit, SI VENERIT AD ME inhabitandum vel per gratiam visitandum sicut scriptum est *ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus* NON VIDEBO EVM. *Nescio enim quomodo tangeris & tangi te sentis, eum tamen qui te tangit non intueris. Dicuntur tibi quædam verba arcana intrinsecus quæ effari non sufficis, vt dubitare non possis quia iuxta te est, imo intra te qui te sollicitat, nec tamen sicut est se tibi videndum concedit*, inquit Cypr. Potest interim non dubijs notari indicijs aut effectibus non solum quis, sed etiam qualis adsit, dicente Bernardo: *Intellexi præsentiam eius ex fuga vitiorum, carnaliumque compressione affectuum aduerti potentiam virtutis eius, ex discussione occultorum meorum, admiratus sum profunditatem sapientiæ eius, & ex quantulacunque emendatione morum meorum expertus sum bonitatem mansuetudinis eius, & ex renouatione spiritus mentis meæ* B *percepi vtcunque speciem decoris eius, & ex contuitu horum omnium simul expaui multitudinem magnitudinis eius.* Hæc Bernardus. Itaque NON VIDEBO, aut percipiam eum vllo sensu exteriore, *Nec enim in loco videtur, nec oculis corporalibus quæritur, nec circunscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu*, inquit & repetit ex Ambrosio August.

Sap. 7. — Ioan. 13. — In prolog. de card. Christ ope. — Serm 74. in Cant. — Epist. 112.

ET SI ABIERIT NON INTELLIGAM, subaudies, ipsum eius abire, inde inferens accessum Domini ac recessum non solum non sensu, sed ne intellectu quidem cognosci posse, sic vt nemo scire possit an Deum habeat inhabitantem vel in se manentem. Sed Hebræa expresse legunt non intelligam EVM, quam lectionem quædam Latina habent Augustinus & Thomas. NON VIDEBO IGITVR NEC INTELLIGAM EVM, quia nec sensu attingi nec intellectu potest penetrari. Remanet autem quæstio qua ratione dicat SI ABIERIT NON INTELLIGAM EVM, non enim mirum quod non intelligatur ab- C iens, quandoquidem ad intelligendum, opus sit rei intelligibilis præsentia, saltem per species intelligibiles repræsentata. Proinde obseruandum quod Hebræa pro VENERIT, legant PERTRANSIERIT ME, & Augustinus pro ABIERIT, legit ALTIOR ME FVERIT, vel vt Pagninus, transibit super me, aut CELERITATE PERSTRINXERIT ME, vt sensus sit, Si venerit ad me in forma quapiam visibili ac transitoria prout venit ad Moysen de quo scriptum est, *Cum descendisset Dominus per nubem stetit Moyses cum eo quo transeunte coram eo, festinus Moyses incuruatus est in terram, &c.* Si ergo sic venerit ac transierit me, non videbo eum in propria forma, nec faciem eius, vnde & Eliphas capite 4. dixit, *stetit quidam cuius non agnoscebam vultum.* Si autem ABIERIT siue ALTIOR ME FVERIT, & ad propriam se receperit formam, tametsi rapido quodam sui corusco sensibiliter imperceptibili perstrinxerit me, non intelligam eum siue ESSE ipsius, sed tantum quid simile, propin- D quum vel in rebus humanis proximum. Sed & aliunde aduerte quam sit SAPIENS CORDE præsertim in iudicio extremo de quo cæpi verba facere.

Exod 34.

SI REPENTE, me imparato, INTERROGET, *impertiendo* inquit Ambrosius *examen*, quod D. Thomas exponit de examine conscientiæ de quo scriptum est, *Dominus interrogat iustum & impium*: sed, quandoquidem Hebræa legunt SI RAPVERIT, id est imparatum extraxerit ex hac vita, siue, vt legit Augustinus SI MORTI TRADIDERIT, atque adeò sic circa raptum instituerit transactæ conuersationis examen, exegeritque rationem: vnde intelligas mox à morte vniuscuiusque examen institui, in iudicio nimirum particulari, QVIS, dando rationem RESPONDEBIT EI, præsertim cum *de omni verbo otioso in die iudicij oporteat reddere rationem*, & ipse dicat per Isaiam: *Ego opera eorum & cogitationes eorum venio vt congregem, neq; enim Deus hominem particu-*

Serm. 16. — v. 4. — Psal. 10. — Matth. 12. — Cap. 66.

particulariter (de vno aut altero tantum particulari) *examinat, nam ego*, inquit, A
Hom. 22. *opera eorum & cogitationes coniunctim producturus venio*, inquit Basil. Quæ re-
6. confess. c. 11. spondendi difficultas videtur non latuisse August. cum exclamans dixit. *Vita hac misera est, mors incerta: Si subito obrepat, quomodo hinc exibimus?*

VEL QVIS DICERE POTEST EI CVR ITA FACIS? vt sic repentè, præcipites me, *Tu enim Domine iustissimè, moderator vniuersitatis, consulentibus consultisque nescientibus occulto instinctu agis, vt dum quisque consulit, hoc audiat quod oportet eum audire, occultis meritis animarum ex abysso iusti iudicij tui, cui non dicat homo*
7. confess. c. 6. *quid est hoc? aut vt quid hoc? non dicat, homo est* enim, inquit August.

DEVS CVIVS IRÆ NEMO RESISTERE POTEST, Septuaginta legunt cuius ira INFLEXIBILIS, Augustinus INVARIABILIS, nam vt dicit Ambro-
De Nab. c. 16. sius. *Nullo redimitur diuitis pretio, nullo flectitur potentis supercilio, quo plus alicui contulit, eo plus exigit ab ipso*, propter quod ad eum Psalmus, *Tu terribilis*
Psal. 75. *es, & quis resistet tibi?* & de eo Iob; SVB QVO, continentes os suum depreca B bundi, tremebundi, castigandi CVRVANTVR QVI PORTANT ORBEM, Re-
1. Reg. 2. ges nimirum & Principes, de quibus Anna, *posuit super eos orbem* sustentan-
Cap. 26. dum, dirigendum, conseruandum. De quorum incuruatione Isaias: *Incuruabit habitantes in excelso, ciuitatem sublimem humiliabit, humiliabit eam vsque ad terram, detrahet eam vsque ad puluerem, & triturabitur Moab sub eo sicut teruntur palea in plaustro, & extendet manus suas sub eo sicut extendit natans ad natandum, & humiliabit gloriam eius, cum allisione manuum eius.* His ergo verbis quadam ex parte declarauit Iob quam sit Deus fortis robore, non solum in mundi consummatione, sed etiam damnatione Principum & Regum.

Ex quo deductionem facit in hunc modum QVANTVS ERGO q.d. Si continentes os suum sub iudice Deo curuantur qui portant orbē, QVANTVS ERGO SVM EGO cui nullum onus portandi orbis incumbit, VT de omnibus quorum mihi danda erit ratio, RESPONDEAM EI? Cum ego regibus & princi- C pibus dignitate non sim comparandus ET LOQVAR VERBIS MEIS ab hu-
Exod. 4. mana ratione formatis CVM EO? Profecto continget mihi quod Moysi dicenti, *ex quo locutus es ad seruum tuum impeditioris & tardioris sum lingua.* Non enim quod mox ex Ambr. Audiuimus, *Audiet me Dominus vt non ad vnum meū verbum mille sermonibus suis contradicat,* præsertim quia, quod alibi dixit Ambr. *obmutescit facundia vbi ægra est conscientia*, atque ita implebitur illud Apostoli,
Rom. 3. *Vt omne os obstruatur & subditus fiat omnis mundus Deo.* Huius interim sententiæ posterior pars non tantum locum habebit quando danda erit transactæ conuersationis ratio, sed etiam quandocumque deferenda erit oratio iuxta
Matth. 6. quod dixit Dominus, *Orantes nolite multum loqui,* verbis nimirum vestris, *sicut Ethnici faciunt putantes quod in multiloquio exaudiantur, quia nos quid oremus sicut*
Rom. 8. *oportet nescimus, qui autem scrutatur corda Deus scit quid desideret spiritus*, proinde
De Orat. Dom. Cypr. *Deus de suo orandus est, & cum Christum habeamus aduocatum apud Patrem*, D *dum orare volumus, aduocati nostri verba promamus.* Et Basil. epist. 63. *Non hominis verbis quemadmodum vos soletis, sed oraculis spiritus Deum nostrum placamus.* Inter quæ oracula cum numerari debeant orationes scripturarum, & in pri-
ad Marcellum. mis Psalmi, de illis & præcipuè Psalmis dicit Athanasius, *Cauendum ne quis Psalmos sæcularibus ad eloquentiam verbis ornet, neque conetur dictiones immutare aut omnino aliud pro alio substituere, sed simpliter, vt scripta sunt, recites, & psallat quemadmodum dictum est, vt Sancti qui ista verba suppeditarunt, sua esse agnoscentes, comprecentur nobiscum; vel potius, vt Spiritus sanctus qui ita locutus est in Sanctis, conspiciens ibi sua verba resonare, nostram operam coadiuuet.* Hæc Athan. Coad-
Rom. 8. iuuet, inquit, insinuans Spiritum Sanctum ad orandum *adiuuare infirmitatem nostram atque adeo postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus* quos gemebundis verbis

A verbis & ardentibus inseruit, cum orationes à nobis recitandas formauit. Has enim cum recitamus, attendit Dominus non tantum ad gemitum quem excitant in nobis, sed potius ad gemitum quem verbis à se dictatis Spiritus Sanctus impressit & significâtum esse voluit. Sic ergo Spiritus dicitur pro nobis postulare, quia postulationes nostras in forma verborum gemebundas ipse nobis præformauit. Qui autem nouit omnium corda Deus, scit quid in suis verbis desideret quantumue desiderij in illis exponat vel expositum esse velit Spiritus.

Porro quemadmodum non respondebo fiducia mei principatus qui comparatione eorum qui portant orbem exiguus est, ita nec fiducia iustitiæ meæ, QVI, ETIAMSI in corde, verbo, opere HABVERO QVIPPIAM IVSTVM, NON RESPONDEBO tanquam plenè iustus. Dicit namq; Ambr. *Non vno facto seruus absoluitur, quia nemo seruum habens arantem aut oues pascentem dicit illi tran-* Serm. 18. v. 4.
B *si, recumbe: sed dicit, para quod cenem & pracinge te & ministra mihi, nunquid gratiam habet seruo si fecit quod imperatum est ei? Ergo & cum fecerimus quod nobis imperatum est, non statim nos exaltare debemus sed magis humiliare, quia non statim si aliquid fecimus* (siue, quod hic dicit Iob SI HABVERO QVIPPIAM IVSTVM) *impleuimus omnia seruitutis obsequia. Quis tanta natura munera, vita salutisque seruata diuina beneficia digno possit aquare seruitio? Quis potest soluere quod accepit?* Hæc Ambr. Quin & SI HABVERO QVIPPIAM IVSTVM NON RESPONDEBO, quasi ab omni culpa alienus: aut quasi aliquid culpæ, pro nullo habendum sit, eo quod pietati hoc non debeat imputari, quæ quorundam tempore Augustini fuit sententia, *cui inquit existimo non nimis reluctandum quanquam nec defendere valeam.* SED MEVM IVDICEM DEPRECABOR petiturus misericordiam potius quam audientiam, quoniam, quasi expleta omni iustitia, *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Quin & MEVM IVDICEM DEPRE- De perfect. iust. circa finem. Psa. 142.
C CABOR vt peccata mediocri quam dixi iustitiæ meæ intercurrentia dimittat eoque sensu procedit quod dicit Augustinus. *In fide quisquis ambulat aut peccatum non operatur aut si quid à deuiante committitur, propter viam non imputatur, & tanquam non fuerit operatus accipitur,* quia nimirum id ex fide deprecanti ignoscitur. DEPRECABOR autem, in hac vita vt mihi prosit in futura, sicut scriptum est, *Confiteberis viuus & valens, à mortuo enim tanquam qui non sit perit confessio.* Proinde si in illo iudicio hostis computans delicta nostra (illa enim etiam apud Deum deleta ipse de suo codicillo non delet aut accusare non desinit) & quærens quid obijciat, se interposuerit vi aut insidijs, cum B. Monica, Authore Augustino, *Non respondebo me nihil debere ne conuincar & obtinear ab accusatore callido, sed respondebo dimissa esse debita ab eo cui nemo reddet quod pro nobis non debens reddidit.* Conc. 3. in Psal. 118. Eccl. 17. 9. Confess. c. vlt.

ET CVM INVOCANTEM EXAVDIERIT ME, NON CREDO QVOD AV-
D DIERIT VOCEM MEAM. Quod non credere cum huius vitæ sit, palam euadet deprecari mox dictum huius vitæ esse. NON CREDO, inquit, QVOD AVDIERIT VOCEM MEAM, *quia existimo quod occultis de causis exaudiuit me, non merito deprecationis mea,* inquit August. Quas occultas causas tetigit Alexandrinus cum dicit. *Dabit Dominus copiosam gratiam praparabit antequam ab eo petatur: Nescimus enim orare & petere vt decet.* Quod ipsum alibi declarans exemplo, ait. *Dicit Dominus ad Petrum, Sathanas expetiuit vos, rogaui pro te: nam pleraque qua pertinent ad nos, occultè dispensantur cum Christus nobis prouideat.* Vel (nam Augustinus agnoscit hunc versiculum plurifariam exponi posse) NON CREDO QVOD AVDIERIT VOCEM MEAM, quia non experior vllum meæ orationis fructum. Tamen ea de causa id non credere improbat Bern. cum dicit; *Quoties de oratione loquor, quadam humana cogitationis audire mihi videor in corde* In hunc locum. 13 in Ioan. c. 13. 11. in Ioan. c. 14. Luc. 22. Serm. 5. de quadrages.

corde vestro quæ & ab alijs frequenter audiui & nonnunquam expertus sum in corde A
meo. Quid enim est, quod licet nunquam ab oratione cessemus, vix vnquam experiri videatur aliquis nostrum quis sit orationis suæ fructus? Sicut ad orationem accedimus sic redire videmur. Cæterum iudicium fidei sequere, non experimentum tuum: Vnum enim indubitanter sperare possumus quod Deus aut dabit quod petimus aut quod nouerit esse vtilius. Hæc Bernardus.

Contextus tamen alium appetit sensum, quia subiungens IN TVRBINE ENIM CONTERET ME & quæ sequuntur, exponit alias causas ob quas opinatur se exauditum non esse de quibus primo loco dicit, IN TVRBINE ENIM quoad res me spectantes CONTERET ME, prout contriuit domum in qua epulabantur filij mei & filiæ: ET, in proprio corpore MVLTIPLICABIT VVLNERA MEA ETIAM SINE CAVSA, *mihi cognitâ vel exploratâ*, inquit August. ea quæ extrinsecus sunt, NON CONCEDIT REQVIESCERE SPIRITVM Et præter MEVM nam spiritualia exercitia mea per terrores quos dixi Domini B
contra me militantes, inquietantur perturbanturque, vt mox ex August. audiemus: Quin &, non concedit requiescere spiritum meum, per afflictiones fortunarum mearum & corporis, *Nam & Apostolus non inuenit requiem spiritui suo eo quod non inuenisset Titum fratrem*. Quibus omnibus simul iunctis IMPLET ME AMARITVDINIBVS iuxta quod dicit Ieremias, *repleuit me amaritudine inebriauit me absynthio.* Ob hæc ergo etiam cum ORANTEM EXAVDIERIT, NON CREDO QVOD AVDIERIT VOCEM MEAM, *nam is qui tentat & non concedit in suis exercitijs requiescere spiritum meum, mihi indesinenter suggerit. Si Christianus esses & ad Christum pertineres, modo te desereret? non misisset tibi auxilium?* inquit August. Sed istud ex talibus causis non credere, humanæ est tentationis, *Nam medicus*, inquit ibidem Augustinus *secat & deserit, sed non deserit, quomodo Paulum ideo non exaudiuit. Nam dicit Paulus se non exauditum de stimulo carnis suæ propter quod Dominum ter rogauit vt eum auferret &* C
dixit Dominus, Sufficit tibi gratia mea tanquam medico diceretur posito forte Epithemate, molestum est mihi hoc emplastrum rogo te tolle illud. Et medicus, non est opus, diu ibi sit, non enim aliter sanari poterit. Ægrotum non exaudiuit medicus ad voluntatem, qui exaudiuit ad salutem. Hæc Augustinus.

SI FORTITVDO QVÆRITVR, ROBVSTISSIMVS EST, ad irroganda supplicia, quia de meretrice magna dicit Apocalypsis, *Vna die venient plagæ eius, mors luctus & fames & igne comburetur, quia fortis est Deus qui iudicabit illam.* Si ÆQVITAS IVDICII, NEMO AVDET PRO ME TESTIMONIVM DICERE quod ab ipso iudicante sim grauatus, non solum contra iustitiam, sed ne quidem contra æquitatem quæ iudicij quædam moderatio est & temperies, *Quia annunciauerunt cæli iustitiam eius, & exultauerunt filiæ Sion propter iudicia tua Domine, quia iudicabit orbem terræ in iustitia & populos in æquitate.* Quæ tamen authoris verba intellige de iudicio in quo iam lata fuerit sententia. Dum enim D
in iudicio etiam extremo inter se consultant iudices quidnam circa eum qui inuentus fuerit REVS IVDICIO pronunciandum sit, allegabunt quidam ex ijs qui cum Christo iudicabunt *quæ ad pacem sunt Hierusalem, vt recipiant in æterna tabernacula eos*, à quibus tempore mortalis vitæ ipsi misericordiam acceperunt. Illa verò allegatio *aget ne in ignem quisque mittatur æternum, non, vt cum fuerit missus inde eruatur*, inquit Augustinus.

SI IVSTIFICARE, iustitiâ Deo vllatenus æquare ME VOLVERO, OS MEVM, taliter memetipsum iustificans, CONDEMNABIT ME, quia illa ipsa iustificatio cum sit arrogans & superba, ipsi me statuet reum. Cuius loco legit August. OS MEVM IMPIE, vel vt 70. IMPIA LOQVETVR, hoc est, inquit, *Si me iustum dixero contra iudicium eius, vbi perfecta illa iustitiæ regula me conuincet iniustum,*

In hunc locum. 2. Cor. 2. Thren. 3. in Psa. 90. 2. Cor. 12. Cap. 18. Psal. 96. Psal. 97. Ps. 121. Luca 16. 20. de Ciuit. c. 4. 2. ad Marc. c. 10.

A *iustum, impiè loquetur os meum, quia contra Dei veritatem.* Quibus proinde verbis Iob iam satis fatetur se iustitiæ Deo nullatenus posse æquari. ET SI INNOCENTEM, absque noxa, absque peccato OSTENDERO, non solum defectuosum, sed insuper PRAVVM, alij inter quos Pagninus & Vatablus PERVERSVM, perperam agentem ac præuaricantem, sic, vt nulla cadat exceptio vel contradictio, ME COMPROBABIT, Vbi fatetur Iob se non posse contendendo cum Deo, respondere vnum pro mille peccatis admissis.

ETIAMSI SIMPLEX. Hebræa PERFECTVS. Chaldaica IVSTIFICATVS FVERO, cuius loco non imperitè noster interpres legit SIMPLEX, dicit namq; August. *Quomodo eris simplex? Respondet, si te non mundo implicaueris, si ex mundo explicaueris*, vt proinde simplex idē sit quod iustificatus aut perfectus, HOC IPSVM IGNORABIT ANIMA MEA. Neq; enim poterit hoc certa scientia cognoscere, vt proinde liquido scire non valeamus, nos etiam cum sumus, esse iustos. Septuaginta legunt, SI IMPIVS FVI. Dicitur autem impius fuisse cui impietas est ablata & peccatum mundatum. Hæc verò auferri censetur ablato inter cætera impietatis reatu: sensus ergo est, Si peccatorum veniam fuero consecutus, hoc ipsum ignorabit anima mea, *sic vt de propitiato peccato non sim sine metu.* ET TEDEBIT ME VITÆ MEÆ, ob hoc incertum mihi hic plenam tollens securitatē, non tamen inutiliter, quia piam & huic vitæ necessariam inducit sollicitudinem, tam iustitiæ quam reconciliationis probabilitate solandam. Tract. 23. in Ioan. B Eccl. 5.

VNVM EST QVOD LOCVTVS SVM, ET INNOCENTEM ET IMPIVM IPSE CONSVMIT: proinde ex malorum temporalium immunitate nemo ô Eliphas certò argui poterit esse iustus, nec ex eorundē perpessione conuinci poterit esse iniquus: Vt tandem deueniendum sit ad illud Sapientis, *Nescit homo an odio, an amore dignus sit, sed omnia in futurū seruantur incerta.* Innocentis interim dum afflictionibus continuis exercetur animum subit cogitatio, quæ dicit, SI FLAGELLAT, frequenti ac iterato verbere affligit, ad imponendum diutinis afflictionibus finē, vnico ictu OCCIDAT SEMEL: ET NON DE POENIS INNOCENTVM, tanquam qui illis delectetur, RIDEAT. Innocentem enim identidem affligere, quid videtur aliud quam ipsius afflictionibus per crudelitatē gaudere? Eccl. 9. C

TERRA DATA EST IN MANVS IMPII. August. terræ nomine intelligit corpus humanum quod impij possunt affligere, *animam autem non possunt occidere*, sed quandoquidem adiungitur VVLTVM IVDICVM EIVS (absque dubio terræ iam dictæ) OPERIT, Iudices autem dicuntur iudices terræ, quia per regiones orbis ad iudicandum præsident, conuenientiorem sensum alibi dedit ipse Augustinus, cum dixit, terra data est in manus impij, quando videlicet impij tenent terræ sceptra. Et, quandoquidem principes altero officio sunt etiam terræ iudices, adiungit VVLTVM IVDICVM EIVS OPERIT, quando videlicet non illuminat iudices, vt ex consequenti in eis impleatur illud Psalmi, *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant*, & sic aut ignoranter aut malignè ad cumulum miseriarum sub specie iudicis *opprimunt innocentem, conuertentes iudicium in absynthium.* Qua interim sententia cùm de manifestis Dei iudicijs iam dictum sit, insinuantur Dei deserentis iudicia occulta. QVOD SI NON ILLE, qui hactenus recensita facit, inuariabiliter & indefectibiliter EST, QVIS ERGO verè EST? Omnia enim hæc suis motibus peraguntur, omnis autē motus ab immoto dependere debet atq; procedere: *Non enim*, vt declarat August. *mouetur digitus nisi fixa palma, à cuius articulo velut immoto cardine moueatur, sic tota palma ab articulo cubiti, cubitus ab articulo humeri, humerus à scapula, & nullus membri motus omnino est, nisi ab aliquo articulari cardine quem motus voluntatis primitus figit, vt ab eo quod loci spatio non mouetur, agi valeat quod mouetur.* Hæc August. Ad eundem modum oportet omnia creata ac Epist. 120. c. 16. Matt. 10. in hunc locum. D Psal 81. Amos c. 5. 8. de gen. c. 21.

G per id

per id mota ab immoto processisse, cum proinde qui omnia creauit verè, A
Exod. 3. propriè, & vnicè ESSE, prout & ipse de semetipso professus est cum diceret Moysi. Dices Filijs Israel, *Qui est, misit me ad vos.*

Ad ipsius verò differentiã DIES MEI, non solum transitorij, sed VELOCIORES FVERVNT CVRSORE. Cursor enim subinde residet, pausat, aut quiescit, dies verò mei absq; intermissione procurrerunt. FVGERVNT, ET NON VIDERVNT BONVM, quia illud viderunt tantum per transennam, & non nisi raptim vt dixeris eos bonum non vidisse, accedente præsertim per succedentia
Thren. 3. vel intercurrentia mala bonorũ obliteratione, quam Ieremias vocat obliuionem cum dicit, *Repulsa est anima mea, oblitus sum bonorum.* Cum ergo dies mei velociores fuerint cursore, vt cursum eorum propria explicem similitudine, PERTRANSIERVNT QVASI NAVES, quia, *quemadmodum qui nauigat siue stet, sedeat, iaceat, vadit, quia impulsu nauis ducitur: ita & nos siue vigilantes, siue dormien-*
4. regist. *tes, siue tacentes, siue loquentes, siue ambulantes, siue volentes, siue nolentes, per momen-* B
Ep. 190. *ta temporum quotidie ad finem tendimus*, inquit Gregor. Et Ambr. *Sicut in nauibus*
Ambros. in Psal. 1. *dormientes ventis aguntur in portus, & si nullus quiescentibus sensus est, nauigandi, tamen cursus eos vrget ad finem & impellit ignaros, sic vita nostræ spatio defluente, ad proprium vnusquisque finem, cursu latente deducitur.* NAVES inquam POMA, optimos, inquit Chaldæus fructus PORTANTES, nam poma inter optimos fru-
Cap. 18. ctus aut saltem inter fructus desiderabiles & valde appetibiles recenset Apocalypsis cum dicit, *Et poma desiderij animæ tuæ discesserunt à te, & omnia pinguia & præclara perierunt à te, & amplius illa iam non inuenient.* Transierunt ergo dies mei, non simpliciter vt naues, sed VT NAVES POMA PORTANTES, quia vnà cum tempore non transijt quicquid in tempore benè gestum est, sed omne id cum Authore suo quasi transvehitur ad portum vt ibi præmium accipiat, iuxta illud Maximi Episcopi, *Eusebius plenam cælestibus diuitijs & æternis mercibus nauem optato in littore collocauit.* Transierunt item dies mei SICVT AQVI- C
LA VOLANS AD ESCAM, nam in velocissimo transitu dierum, intentione ac
Matt. 24. desiderio tendebam ad Christum, vt in carne mea viderem Deum saluatorẽ meum, iuxta illud Euang. *Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.*

CVM DIXERO: NEQVAQVAM ITA LOQVAR, vt loqui videbar cum dicerem, SI FLAGELLAT, OCCIDAT SEMEL &c. COMMVTO FACIEM MEAM, quia de talibus humanorum motuum & præsertim tædij ac impatientiæ verbis mihi impræmeditatè elapsis, recolligens me, rubore suffundor. ET, per pænitentiam DOLORE TORQVEOR.

VEREBAR OMNIA OPERA MEA, nam de operibus manifestè bonis cogitabam illud quod postmodum scripsit Beda, *Si quid boni te largiente fecero, quo fine id faciam quauè districtione à te pensetur ignoro.* Operibus non æquè manifestis, verebar subesse quippiam doli aut mali occulti: cogitationibus obrepti-
in Psal. 1. cijs quas Ambros. vocat *infusiones*, verebar subesse quippiam negligentiæ, D
dantis locum Diabolo suggerenti, quippiam dissimulationis, indulgentiæ, consensus: Verebar ergò hæc, SCIENS QVOD NON PARCERES DELINQVEN-
Isaiæ c. 21. TI. Verebar autem ad cautelam, *stans* cum Propheta *super custodiam meam*, ne quid obreperet mihi mali, ad quod hortabatur Dauid Salomonem, cum di-
3. Reg. 2. ceret, *Obserua custodias Domini Dei tui:* Quin & verebar eadem ad occultorum aliorumque lapsuum expiationem, VT QVI NON PARCIS DELINQVENTI, parceres innocenti aut saltẽ pænitenti. SI AVTEM ET SIC, dicendo quod amaritudo vel afflictio cordis suggerit idq; mox corrigendo ac reprobando, IMPIVS SVM, QVARE in recogitando, corrigendo, auertẽdo FRVSTRA LABORAVI, cum siue id fecerim siue non, impius existam, vel secundum Lutherum, magis
Psal 4. hypocrita? Non frustra autem dicitur, *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus*

vestris

A *vestris compungimini.* Et, *Cogitaui, obseruaui, consideraui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua,* ego igitur considerans & memetipsum auertens à blasphemia mihi suggesta, non frustra laboraui, & per consequens, id faciendo ob verba in quodam excessu mihi elapsa impius non fui. Psa. 118.

SI LOTVS FVERO QVASI AQVIS NIVIS, ET FVLSERINT VELVT MVNDISSIMÆ MANVS MEÆ, TAMEN SORDIBVS INTINGES, intinctum monstrabis, ME. Passim enim in operibus humanis inuenitur aliquis defectus vel ex ignorantia vel infirmitate, vel surreptione vetustatis; ET ABOMINABVNTVR ME VESTIMENTA MEA, signa iustitiæ meæ. inquit D. Thomas, vt quæ tantopere contaminato minimè congruant. Hæc ferè D. Thomas. Sed vt in diuino iudicio iustorum aliquis manifestetur multis sordibus inquinatus, non scio an ob id vestimenta siue indumenta iustitiæ ipsius abominarentur illum tanquam sibi peregrinum ac alienum, cum peccata iu- In hunc locum.

B storum tametsi permulta non exterminent iustitiam, quin potius contaminationibus illis deprehensis, *Iusti lauent stolas suas & dealbent in sanguine agni.* Attento itaque quod hic dicitur QVASI & VELVT, existimo verba hæc de simulatâ emundatione procedere, vt Iob de obiecta hypocrisi semetipsum purgans, his verbis exponat quid contra hypocrisin sibi soleat ob oculos ponere, & Deo dicere, SI LOTVS FVERO QVASI AQVIS NIVIS, ET FVLSERINT VELVT MVNDISSIMÆ MANVS MEÆ, vt appaream nitidus & absque sorde, TAMEN TV ô Domine meis in tuo iudicio me depingens coloribus, SORDIBVS INTINGES ME, ET, tanquam præ coloribus ementitis & fucatis, ABOMINABVNTVR ME VESTIMENTA MEA, opera dico in speciem emaculata & splendida, nam vel ipsa species iustitiæ authori hypocritæ nauseabit; Cogito igitur quid mihi tunc mea proderit hypocrisis, quando palam mihi ingeres illud Ieremiæ, *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam* Apoc. 7. Ierem. 2.

C *borith, maculata es in iniquitate tua coram me.* Tu inquam, manifestatione veritatis, sordibus hypocrisis intinges me, NEQVE ENIM quando in tuo iudicio mihi erit agendum, VIRO QVI SIMILIS MEI EST RESPONDEBO, NEC QVI MECVM IN IVDICIO, EX ÆQVO POSSIT AVDIRI, prout, quando in hac vita inter pares disceptatur, nec vnus valet efficaciter probare, nec alter refellere. NON EST, inter eos altercantes arbiter, QVI efficaciter VTRVMQVE VALEAT ARGVERE, & ratiocinando ostendere vter alteri debeat cedere. ET PONERE MANVM, potestatem vel authoritatem SVAM, IN AMBOBVS, vt si non ratione, saltem authoritate imponat altercationi finem; & ob id hypocritæ sæpenumero partem suam sustinent & obtinent in hac vita. Deus verò in suo iudicio manifestatione rerum hypocritam conuincet. Et quidem in præsenti disputatione possem ô amici me ostendere liberum ab hypocrisi: quod vt faciam, AVFERAT A ME VIRGAM SVAM, afflictionem

D mihi inferentem, nam illa vestro iudicio pænè peremptoriè arguit me esse saltem occultè peccatorem.

ET PAVOR EIVS, quem gero de Dei occultis circa me iudicijs, NON ME TERREAT, eo enim ablato LOQVAR ET NON TIMEBO EVM, quia tum dicam cum Apostolo, *Veritatem dico testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu Sancto.* Rom. 9.

NEQVE ENIM POSSVM METVENS RESPONDERE, quia timor de occultis ipsius iudicijs, cogit me os meum continere, vel trepidè ac tantum probabiliter hac in parte disserere. Nec tamen crede Prophetam hæc omnia tam de se dicere, quam ad informationem generis humani, quam prosequens confabulatur cum amaritudine animæ suæ, & dicit.

A

CAPVT X.

1. Cor. 1. TÆDET ANIMAM MEAM VITÆ MEÆ, quemadmodum & Apostolum dicentem, *supra modum grauati sumus, ita vt taderet nos etiam viuere*, secundum hominem videlicet, appetitum ac rationem inferiorem, DIMITTAM ELOQVIVM MEVM, laxando mihi loquendi habenas, sic tamen, vt sit eloquium meum ADVERSVM ME, idque mihi ponam ob oculos ad diiudicandum, ac si exorbitat, corrigendum.

LOQVAR IN AMARITVDINE ANIMÆ MEÆ; quidquid mihi afflictio suggesserit, Sed ad hæc dicenda indulgentiam implorando, DICAM DEO NOLI ME CONDEMNARE: me ob hæc quæ dimisso aduersum me eloquio dicturus sum, damnatione dignum censere, nam alij ex Hebræo vertunt NE ME PERAGAS REVM. In primis autem causas præsentis afflictionis scire cupiens, rogo te, INDICA MIHI CVR ME ITA IVDICES? *Vbi sanè non sententiam causatur, sed scrutatur causam*, inquit Bernardus. *Ad quem modum nos quoque quandocunque ab eo qui benigne sapienterque vitam nostram moderatur vapulamus, primum illud petamus, vt causam nobis indicet cur ita plectamur*, inquit Basilius. B

Serm. 34. in Cant. — Reg. fus. disp. c. vlt.

Causas autem has ad exercitium sapientiæ inuestigatione discere cupiens magis quam reuelatione, per varias quæ videantur posse subesse causas discurrens quærit primo, NVNQVID BONVM TIBI VIDETVR SI falso crimine imposito CALVMNIERIS ME, & impositi criminis prætextu, per potentiam OPPRIMAS ME, non obstante quod sim OPVS MANVVM TVARVM, quod vel hoc nomine deberet te & quemuis alium à calumnia & oppressione prohibere? ET CONSILIVM IMPIORVM, malignorum in primis spirituum tuo exemplo ac potentia ADIVVES? Illi enim calumnijs & oppressionibus gaudent prout & alij qui dixerunt, *Venite opprimamus eum quoniam contrarius est operibus nostris.* Aut si non exerces malignè iudicium, vt iudices Babylonis in Susannam, & concilium malignantium in Christum, NVNQVID OCVLI CARNEI TIBI SVNT, vt, quod Iudæis improperauit Christus, corrupto oculo secundum carnem iudices? AVT SICVT VIDET HOMO, ea tantum quæ foris patent ET TV VIDEBIS? vt cum hominibus iudices *secundum faciem?* aut *secundum visionem oculorum vel auditum aurium?* Absit, *Mundi enim*, inquit Abacuc, *sunt oculi tui ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris*, vt nimirum erroneè iudices. Quæro igitur tertio, NVNQVID SICVT DIES HOMINIS DIES TVI, qui à Propheta dicuntur *dies æternitatis:* ET ANNI TVI de quibus Psalmus, *anni tui non deficient*, SICVT HVMANA SVNT TEMPORA, successiua videlicet, vt nimirum QVÆRAS, indages INIQVITATEM MEAM, ET PECCATVM MEVM, inquirendo SCRVTERIS? sic, vt ad ipsius indaginem non nisi cum tempore deuenias? Absit, *Omnia enim nuda & aperta sunt tibi, cuius oculi in omni loco contemplantur bonos & malos.* ET, facta istiusmodi inquisitione, SCIAS QVIA NIHIL IMPIVM, Deo iniurium, vt est quoduis peccatum mortale FECERIM: nihilominus conscius quod SIT NEMO QVI DE MANV TVA POSSIT ERVERE, non desinas me affligere pro tuæ potestatis quadam tyrannide? Hæc enim sententia ab Ambrosio & Augustino per interrogationem legitur, Et admodum conuenienter, quia hoc loco Iob in inquisitione causarum suæ ac humanæ afflictionis versatur. C D

Sap. 2. — Dan. 13. — 2. Cor. 10. Isaiæ c. 11. — Cap. 1. — Mich. 5. Psa. 101. — Hebr. 4. Prou. 15. — 1. de interpret. c. 6. August. in hunc locũ.

Ad quas interrogationes responderi non poterit affirmatiuè, quia, MANVS

A NVS TVÆ FECERVNT ME secundum animam, ET PLASMAVERVNT ME, secundum corpus: *Hæc enim singula singulis verbis non ineleganter tribuuntur*, inquit Augustinus, quod etiam in spurijs locum habere author est Hieronymus. Plasmauerunt dico me, in primo parente tanquam humani generis radice, TOTVM IN CIRCVITV intus & foris, à planta pedis vsque ad verticem, à fronte & tergo; Quod valet contra Paternianos siue Venustianos qui teste Augustino dicebant hominem à lumbis vsque ad pedes à Diabolo factum. ET SIC REPENTE, nulla ex me causa interueniente, sed sola voluntate atque potestate tua in mortalitatem ac tot generis humani miserias PRÆCIPITAS ME? Absit. Septuaginta enim & ex ijs Ambrosius & Augustinus pro REPENTE legunt POSTEA, & pro PRÆCIPITAS legunt MVTATVS VEL TRANSMVTANS ME PERCVSSISTI, Et legunt hæc affirmatiuè, vt ipsorum lectio ad interrogationem nostræ lectionis quædam negatiua sit

(Conc. 8. in Psal. 118. Hieron. epist. 61. c. 6. Basil hom. 11. epist. Cont. Iul. c. 5.)

B responsio; Vt sensus sit: manus tuæ plasmauerunt me omnis miseriæ expertem. Sed POSTEA, me, inquit Augustinus, non multo post mutato, CONVERTISTI, vel, MVTATVS, vel TRANSMVTANS ME PERCVSSISTI, mortalitate, obnoxium me reddens multis miserijs, vt nimirum hæc primæ tuæ plasmationis transmutatio, non de antecedente tua voluntate facta sit, sed de voluntate culpam primi plasmatis consequente.

Quia tamen quod Augustinus alibi dixit, *Non destitit tua bonitas, hominum quamuis de propagine vitiata damnataque nascentium formare semina & animare, ordinare membra*; MEMENTO QVÆSO, QVOD à lapsu, SICVT LVTVM, sordida mortalitate indutum FECERIS ME, vt, nimirum, quia hæc Authore Augustino; *Fecisti bonitate creatoris, bonitate instauratoris ac redemptoris* id mihi facias prouenire in salutem. In hæc proinde verba Ambrosius. *Quanta deploratio viri Sancti pro communi infirmitate, quanta conuentionis authoritas,* (Enchi. c. 27. 1. de interpret. c. 6.)

C *quod Deus hominem manibus suis fecerit?* Hæc Ambrosius. Et profecto tam magna, vt Deus, adinstar mulieris *non potuerit obliuisci infantem suum, sed quo modo miseretur pater filiorum, misertus sit timentibus se, quoniam ipse nouit figmentum nostrum*, quo scilicet, deformando plasma ipsius, finximus nos, vt illud ad pristinam formam tanquam medicus sensim reuocaret, Memento etiam quod IN PVLVEREM REDVCES ME, quem vt lutum fecisti, *Recordatus quod puluis sumus, homo sicut fœnum dies eius, tanquam flos agri sic efflorebit, vt sit misericordia tua ab æterno vsque in æternum*, siue in vitam vsque æternam super eum. (Isaie 49. Psal. 102. Psa. 102.)

Ne autem credatur Deus nos in primo parente solummodò plasmasse, & propagationem generis à se institutam, suæ naturæ sic commisisse, vt ipse in propagatione non plasmet & formet singulos, subiungit Iob, NONNE SICVT LAC MVLSISTI ME, cum seminarer à patre? Profecto vs-

D que adeo sicut lac, vt Augustino teste, *Conceptio humana primis sex diebus perhiberi soleat habere lactis similitudinem.* ET SICVT CASEVM ME COAGVLASTI? in vtero matris, *nam materiam seminis constat sanguinis esse calorem, & dispumatione mutatum in coagulum sanguinis fœminæ, nam ex coagulo, in caseo vis est substantiæ quam medicando* (coagmentando) *constringit*, inquit Tertullianus. *Quæ nemo erubescat legere vel audire, Natura enim veneranda est non erubescenda*, inquit (ex Tertulliano capite vigesimo septimo de Anima) Hieronymus. Et quidem non sine causa Scriptura hæc tam particulatim Deo authori & cooperatori ascribit; *Ad cohibendam enim petulantiam tuam manus quasdam tui Authoris in vtero hominem formantis aduertis, quando dicit Scriptura Priusquam te formarem in vtero*, inquit Ambrosius. Petulantiam dico, à consideratione enim generationis humanæ & instrumentorum (83. quæst. 56. De carn. Christi cap. 19. in cap. 4 ad Gal. 1. in Luc. in fine.)

 ac vaso-

ac vasorum eius nihil æquè libidinem vel petulantiam abstergit, quam si A cogitetur omne id Deo authore institutum, Deo cooperatore transigi; apud illos præcipuè qui non omnino impij, reuerentia nominis ac cooperationis Dei tanguntur.

PELLE ET CARNIBVS VESTISTI ME, OSSIBVS ET NERVIS COMPEGISTI ME. Hyperbaton est, ordinandum in hunc modum. OSSIBVS tanquam quibusdam tignis in firmamentum corporis, ET NERVIS quasi eorundum vinculis & ligaturis, COMPEGISTI ME, ad ossium & totius corporis motum, ne alioqui ex vnico tantum Osse formatum, aut vinculis rigidioribus compactum corpus hominis inflexibiliter rigeret. His verò iuxta Eze-

Ezech 37. chielem, *Superinducens carnes & superextendens cutem*, PELLE ET CARNIBVS VESTISTI ME. Vestisti inquit, non enim coagulum quod diximus, in corpus humanum proficit, nisi cooperante & coædificante Deo, vt in compositione hominis locum habeat quod de semine in terram misso dicit Apo- B

1. Cor. 15. stolus, *Deus dat illi corpus sicut vult.* VITAM, per infusionem animæ rationalis, ET MISERICORDIAM TRIBVISTI MIHI in remissionem peccati origi-

5. Contr. Iul. c. 9. nalis: dicit namque August. *Parum erat vita quam nascendo sortitus est, ideo addidit*, ET MISERICORDIAM, *ne remaneret naturaliter filius iræ sicut cæteri.* Quæ

2. Mach. 7. omnia præ oculis habens mater Machabeorum, *Nescio*, inquit, *qualiter in vtero meo apparuistis, neque enim ego spiritum & animam donaui vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi, sed mundi creator qui formauit hominis natiuitatem quique omnium inuenit originem*, &c.

ET VISITATIO TVA, Septuaginta CONSIDERATIO siue, inspectio quâ nimirum protectioni meæ inuigilas, & ex ea per gratiam me frequenter visitas, protegis & instauras, CVSTODIVIT, conseruauit, protexit SPIRITVM MEVM: quem mihi, cum tribueres quam dixi misericordiam, infudisti, juxta

Cap. 36. illud Ezechielis, *Mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis spiritum nouum.* LICET HÆC CELES IN CORDE TVO, & cum affligis nos, horum rationem, & hæc præ oculis habere non videaris, præsertim, quia afflictio de ipsius authore durius quid suggerit, TAMEN SCIO, QVIA VNIVERSORVM, quæ circa creationem, generationem ac regenerationem humani generis recensui, MEMINERIS, nec aliquid eorum sit in obliuione coram te: Affligendo igitur non tibi bonum videtur calumniari & opprimere, me, cum præ oculis habere non desinas quod sim opus manuum tuarum, nec quæris iniquitatem meam, sicut dixit August. non exquiris delicta vehementer, nec, sciens quod nihil impium fecerim, opprimis tamen me per potentiam. C

Superest igitur quæstio SI PECCAVI propria voluntate, ET AD HORAM

Eccl. 5. PEPERCISTI MIHI, eo quod sis patiens redditor; CVR AB INIQVITATE MEA MVNDVM, immunem semper ME ESSE NON PATERIS? Ad quam quæstionem respondendo, duas adfert causas, & dicit de priore: ET SI IMPIVS FVERO VÆ MIHI EST, quia afflictio quæ obuenit impio, cedit illi in væ siue D

Cap. 3. vindictam, dicente Isaia, *Væ impio in malum, retributio enim manuum eius veniet illi.* ET SI IVSTVS, NON LEVABO CAPVT, non erigam cristas, non extollar, SATVRATVS AFFLICTIONE ET MISERIA. Proinde iustus à te affligitur ad deprimendum cor illius ne eleuetur in superbiam, & euanescat per inanem

2. Cor. 12. gloriam, prout & Paulus dicens, *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Sathanæ qui me colaphizet.* Quo attento

Serm. 9. v. 3. Ambros. *Humiliatio potest de aduersis plerumque intelligi, quæ tamen cum sit quædam deiectio perturbationis, non virtus est, virtutem tamen sæpè generat, & fit, non pœna, sed remedium delinquentis.*

ET

A Et propter svperbiam comprimendam, qvasi leænam, ferocem
& elatam capies me, arbitratus me perturbationum quodam vallo esse
sepiendum, inquit Ambros. quale quid & supra indicaui, cum dixi, *Nunquid* 2. de interpel. c. 2.
mare aut Cetus ego sum, quia circundedisti me carcere? Cui, vbi fuero inclusus,
ad instar prætoris vel iudicis captiuum examinis vel torturæ causa inui-
sentis, reversvqve, mirabiliter mirabilibus modis, vel enormiter
me crvcias.

Et si affirmem me tantis plagis aut dignum non esse aut ad comprimen-
dam superbiam non egere, instavras testes tvos contra me. Se-
ptuaginta, instavras in me examen mevm, suggerendo conscientiæ
meæ admissa, ob quæ agnoscam me tantis afflictionibus dignum, vt fratres Gen. 42.
Ioseph dicentes ad inuicem, *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem no-
strum, videntes angustiam animæ eius cum deprecaretur nos, & non audiuimus, en*
B *sanguis eius exquiritur.* Aut mihi ostendendo, quod nisi per tot afflictiones va-
leam à superbia contineri vel in virtute quantum expedit exerceri, iuxta
quod Paulo dictum est, *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* 2. Cor. 12.
Et mvltiplicas iram tvam, afflictionem adversvm me, prout patuit
in Apostolo qui fuit *in labore & ærumna, vigilijs multis,* & super omnia hæc,
traditus Angelo Sathanæ. Et poenæ militant in me, quia exerceor con-
trarijs inter se & compugnantibus malis. Hæ igitur sunt causæ cvr me ita
ivdices, peccata videlicet, compressio superbiæ, aut perfectio virtutis. Vi-
dens ergo Iob hæc præsentis vitæ mala, & cum Sapiente humanum homi- Eccl. 4.
numque iudicium describente, *indicans fæliciorem eum qui necdum natus est, nec
vidit mala quæ fiunt sub sole*, ex parte hominis taliter iudicantis subiungit,
qvare de vvlva edvxisti me, & non potius in vulua mortuus sum,
egressus ex vtero, non statim perij? siue vt alius dicit, *vt quid natus sum vide-* Ierem. cap. 20.
C *re laborem & dolorem?*

Qvi vtinam consvmptvs essem ne ocvlvs me videret, fvissem
qvasi non essem de vtero translatvs ad tvmvlvm. Quæ infirmi
hominis quærelæ in scripturis sacris exprimuntur, quia sic conqueri, infirmo
homini à Diuina humanitate clementer indulgetur, ad tristitiæ suæ non-
nullum leuamen. Quæ tamen quærela cum futuræ vitæ non multum pro-
sit, ad informationem infirmorum, Iob se mox conuertit ad planctum qui
prosit in futurum, & dicit, nvnqvid non pavcitas dievm meorvm,
puta septuaginta, aut paulo amplius annorum finietvr brevi, præser-
tim, quia iam processerim in diebus multis, sic vt ad complendum humanæ
vitæ curriculum pauci mihi suppetant dies? Vtique.

Dimitte ergo me, quietis nonnihil mihi indulge, aut potius, rigo-
rem ac stuporem impænitentis animi ac duri cordis mihi solue, vt plan-
D gam pavlvlvm, nam comparatione peccatorum, planctus huius vitæ et-
iam pœnitentialis ferè modicus est, non tamen de Dei clementia infru-
ctuosus. Dolorem mevm, peccatum & iniquitatem omnium dolorum
causam originem vel occasionem: In quem sensum accipitur dolor cum
dicitur, *Dolor meus in conspectu meo semper:* Hunc enim suorum verborum Psal. 37.
sensum aperiens Psaltes, subiungit, *quoniam iniquitatem meam annunciabo, &
cogitabo pro peccato meo.* Anteqvam vadam, ne vadam, *Est enim sermo si-
milis illi quo familiariter dicimus, Corrige te antequam damneris, id est, ne damne-
ris, Nemo enim cum se correxerit damnabitur,* inquit August. Vadam, inquit; et in hunc locum.
non revertar, quia eo eunti nullus reditus ad vitam, Vadam ergo ad
terram, infernum in corde seu centro terræ positum: Terram dico, per
absentiam luminis, *(Supercecidit enim ignis, & non viderunt solem)* tenebro- Psa. 57.

SAM, quem sensum confirmat Augustinus, legens TERRAM VBI NON EST LVX. Nec dico simpliciter tenebrosam, sed addo, ET OPERTAM secundæ MORTIS CALIGINE. In Apocalypsi autem *Mors secunda dicitur stagnum ignis*, & idipsum alibi dicitur *Clibanus fumans*, Mortis ergo caligine, nam illius terræ tenebras ex absentia lucis causatas, perpetuus illi loco inclusus fumus reddet tam densas, vt palpari queant, facietque vt sit ibi fletus, *Nam fumus & tenebræ, oculorum tormenta sunt*, inquit Tertullianus. Quem sensum confirmat Chaldæus legens TERRAM CVIVS VAPOR EST SICVT CALIGO. TERRAM MISERIÆ tantæ vt dicat Psalmus *In miserijs non subsistent:* In primis, Ardoris, dicente Isaia, *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Quin & frigoris, quia dicit Psalmus, *Ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* ET TENEBRARVM. Videretur tautologia redundans, nisi Septuaginta legerent TENEBRARVM SEMPITERNARVM, per id euadentes sermonis superfluitatem, quia facta quidem est mentio tenebrarum, sed non indicatum quod tenebræ illæ forent sempiternæ. VBI VMBRA MORTIS, nam illæ tenebræ cum sint tenebræ mortuorum, propriè dicuntur vmbra mortis, vt ex Irenæo in caput 3. diximus, ET NVLLVS ORDO. Quid? nunquid non ibi varij ordines Dæmonum, nunquid non fasciculi in quos colligenda sunt zizania D. Gregorio significant varias classes damnatorum? posses proinde istud accipere de ordine dignitatum humanarum iuxta illud Isaiæ, *Sicut populus, sic Sacerdos, sicut ancilla, sic & domina eius.* Et alibi, *Nobiles eius non erunt ibi:* Verum autem sensum aperit subsequens aduersatiua, quæ dicit, SED SEMPITERNVS, quo indicatur quod ibi nullus ordo, quia afflictionis & quietis nulla ibi vicissitudo. Sempiternus dico HORROR INHABITAT, assiduè incussus à gente illa Dæmonum de qua Abacuc, *Horribilis est & terribilis, facies eius ventus vrens*, nulla enim assuetudine desinent damnati præsentiam & aspectum malignorum spirituum exhorrescere.

Cap. 20. — Gen. 15. — Psa. 139. — Isa. c. 33. — Psa. 147. — Math. 13 — Isaie 24. — Isaie 34. — Abac. 1. — A — B — C

Porro cuiuis Christiano orandum est DIMITTE ME VT PLANGAM PAVLVLVM DOLOREM MEVM ANTEQVAM siue ne VADAM AD TERRAM TENEBROSAM. Quod habenti peccatum æterna morte dignum necessario faciendum esse in confesso est, quia nisi illud in hac vita saltem paululum planxerit, cum eo non poterit saluari: Modicum verò planctum diuina non spernit clementia. Idem insuper etiam illi faciendum esse qui à mortali quidem non tamen omni peccato immunis est, persuadet Dominus, dicens, *Si non lauero te non habebis partem mecum:* Nam in ijs, non quidem delinquentia, sed impænitentia præsertim peruicax damnabilis est, dicente Bernardo, *Nemo dicat in corde suo. Leuia ista sunt, non curo corrigere, non est magnum si in his maneam* (venialibus minimisque peccatis) *hæc est enim dilectissimi impænitentia, hæc blasphemia in Spiritum Sanctum, blasphemia irremissibilis.* Et alibi, *In multis offendimus omnes, veruntamen nemo contemnat, aut paruipendat. Impossibile est cum eis saluari, impossibile est ea dilui, nisi per Christum, & à Christo, nemo inquam perniciosa securitate dormitet, declinans in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, quoniam* (vt audiuit ab eo Petrus) *nisi lauerit ea Christus non habebimus partem cum eo*, Hæc Bernardus.

Ioan. 13. — Serm. de conuers. D. Pauli. — Serm. de ablut. pedum. — D

CAPVT

A

CAPVT XI.

RESPONDENS AVTEM SOPHAR NAAMATHITES, DIXIT, NVNQVID QVI MVLTA LOQVITVR, NON ET AVDIET? Vtique, id enim postulat æquitas. Vt itaque initio sui sermonis Eliphas, ita hic Sophar per æquitatem captat aures Iob. Qui ne de verborum ac sententiarum suarum grauitate præsumens, arbitraretur vlteriori replicæ locum non esse, & ob id audientiam denegaret, adiungit Sophar. AVT VIR VERBOSVS IVSTIFICABITVR? vt necessario habeatur tam veridicus quam inuenitur esse multiloquus? TIBI SOLI TACEBVNT HOMINES? sic vt nemo tibi obloqui audeat, sed verba tua haberi debeant oracula? Si interim id facerent amici, nihil admitterent insoliti, nec deferrent Iob supra quam ipsi
B detulerunt maiores, Infra enim pristinos suos dies ad memoriam reuocans, me, inquit, loquente, *Principes cessabant loqui & digitum superponebant ori suo.* Et infrà, *Qui me audiebant, exspectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium meum. Verbis meis addere nihil audebant & super illos stillabat eloquium meum.*

ET CVM CAETEROS Eliphas & Baldad IRRISERIS. Ambrosius attentis verbis cap. 19. vbi iuxta 70. dicit Iob, Ecce RIDEO opprobrio, scribit in hæc verba, *Iob ostendebat animi sui virtutem quem contumelia non mouerent; & conscientiæ innocentiam manifestabat qui obiecta non recognosceret, sed quasi aliena rideret.* Hoc animaduertens Sophar, irrisionem inanium obiectionum arbitratus est fuisse irrisionem amicorum, & ob id dicit CVM CAETEROS IRRISERIS; non obseruans aliud esse ridere calumnias tanquam sibi incompetentes, aliud ridere earum authores, qui potius sint miserandi. Cum ergò ô Iob cæteros irriseris, A NVLLO CONFVTABERIS, vaniloquij vel falsitatis conuinceris? Videtur enim Sophar præ se ferre quod plus cæteris ad conuincendum valeat, & cæteris efficacius conuincere possit. *1. de interpel. c. 2.*
C

Quibus præmissis venit ad rem & dicit, DIXISTI ENIM, PVRVS EST SERMO MEVS, quando cap. 6. dixisti, *Non inuenietis in lingua iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.*

ET, MVNDVS SVM IN CONSPECTV TVO. Hoc Iob absolutè non dixit, sed pro parte, quando affirmauit appensione facta, calamitatem *quam patiebatur apparituram longe grauiorem peccatis quibus meruerit illam*; Id enim erat affirmare, se maiore tantum pro parte mundum & à reatu liberum esse. Qua in parte sententiam Prophetæ Sophar oppugnans, dicit, ATQVE VTINAM DEVS LOQVERETVR TECVM, ET APERIRET LABIA SVA TIBI, VT OSTEN-
D DERET TIBI SECRETA SAPIENTIÆ, per quam sapienter arguere nouit quæ hominum iudicium effugiunt; ET QVOD MVLTIPLEX, multifariè se extendens, in hominum verbis, actibus, moribusque plurima vetans & requirens, ESSET LEX EIVS, ET INTELLIGERES QVOD MVLTO MINORA EXIGARIS AB EO, QVAM MERETVR INIQVITAS TVA. Nam Deus per labia sua declararet peccata tua plura & grauiora esse quam tibi potest in mentem venire. *Si enim cor nostrum non reprehenderit nos, Deus est maior corde nostro & nouit omnia.* Quod ergo dixisti CALAMITAS GRAVIOR APPARERET QVAM PECCATA QVIBVS IRAM MERVI, ignorantiæ EST, & illius qui *nec timet Deum nec iudicem veretur.* Loco autem, INTELLIGAS QVOD MINORA EXIGARIS QVAM MERETVR INIQVITAS TVA, Septuaginta & Augustinus legunt, TVNC SCIES QVIA DIGNE REDDITA *1. Ioan. 3.* *Luc. c. 18.*

SVNT

SVNT TIBI A DOMINO QVÆ PECCASTI. Quæ lectio conuenientior eſt, A
quia indicat diſputationem hanc procedere ſuper verbis QVASI ARENA MARIS HÆC GRAVIOR APPARERET: Quæ Sophar ſic reſpondendo, videbatur ſibi falſi conuincere & confutare.

Sed arbitraberis ô Iob, nõ eſſe opus vt ad ea quæ dixi, labia tibi ſua aperiat Deus, quia FORSITAN VESTIGIA DEI, per quæ diuina inueſtigantur ſecreta, COMPREHENDES, & per ea procedendo AD PERFECTVM OMNIPOTENTEM REPERIES, vt ipſius te nihil lateat? Nequaquam verò, quia EXCELSIOR COELO EST ET QVID FACIES? PROFVNDIOR INFERNO, ET VNDE COGNOSCES? LONGIOR TERRA MENSVRA EIVS, ET LATIOR MARI. Quocirca, tametſi celſitudo cæli veſtigium ſit vnde cognoſcas Deum eſſe excelſum; profunditas inferni argumentum ſit profunditatis diuinæ; longitudo terræ indicet Deo ſuam non deeſſe longitudinem, ſicut & latitudo maris
Sap.13. inſinuat creatorem ſuam habere amplitudinem; *à magnitudine enim creaturæ cognoſcibiliter*, ſiue, vt Græca melius legunt, analogos *poteſt creator videri:* vno enim ſuo verbo Græci docent non ſolum quod, ſed quo modo quaue ratione videlicet analogicè Deus per creaturam poſſit cognoſci: tametſi ergo hæc vera ſint, ex dictis tamen totius orbis dimenſionibus forſitan comprehenſis, liquere non poterit quanta ſit Dei longitudo latitudo ſublimitas atque profundum, quæque illa in ſe comprehendant aut quouſque ſe extendant; quia veſtigia Dei amplitudine ipſius longè ſunt arctiora, B
Lib.4.c.36 dicente Irenæo, *Magnitudinem Dei ex ijs quæ ab eo facta ſunt nemo enarrare poteſt*; ſed comprehenſio dimenſionum ipſius, ſi quæ in immenſo ſunt, ſeruatur
Ephes.3. reuelationi futuræ vitæ, de qua Apoſtolus, *Vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ longitudo latitudo ſublimitas atque profundum.*

Rectè igitur ô Iob dixi VTINAM DEVS APERIRET LABIA SVA TIBI, quia ſecreta ſapientiæ qua ſupra hominem nouit quæ hominis ſunt, nemo cognoſcit niſi cui ille, voluerit reuelare. C Nec ſolum eſt Deo omnipotentia ad ſui quatenus exiſtunt, veſtigia condenda, verumetiam ad eadem deſtruenda vel miris modis immutanda, ita vt non inueniat homo contra Deum iuſtas querimonias. Nam SI SVBVERTERIT, ad nihilum redegerit OMNIA, cælum videlicet terram, mare, inferna; VEL, ſaluis illis IN VNVM COARCTAVERIT, ſic vt ſuas quidem dimenſiones, earundem tamen non habeant extenſiones, QVIS CONTRADICET EI? Cum deſtruendo, non niſi ſuum è medio tollat; & coarctando, inuſitatam in ſua exerceat virtutem? Vbi aduerte, veteribus tametſi nullo exemplo inſtructis non fuiſſe incredibile dimenſiones corporum per Dei inuſitatam virtutem poſſe in corporibus eſſe, & tamen in illis & cum illis nullatenus extendi; quod tamen nunc incredibile videtur Caluiniſtis realem præſentiam corporis Chriſti, vel ea de cauſa in ſacra Euchariſtia negantibus. Quis ergo ipſi hæc facienti contradicet? D IPSE ENIM NOVIT HOMINVM contra ipſius iura ac virtutem diſpu-
Psal.93. tantium VANITATEM, ſicut ſcriptum eſt, Dominus nouit cogitationes hominum, dicentium, *Non videbit Dominus nec intelliget Deus Iacob, quoniam vanæ ſunt*, quia ſpecioſis ipſorum verbis videt nihil ſubeſſe rei aut veritatis.

ET VIDENS INIQVITATEM NONNE CONSIDERAT? ſed eam leui oculo perſtringit, & non potius quaqueverſum perſpicit?

Sap.13. VIR VANVS, cui nimirum non ſubeſt ſcientia Dei ſicut ſcriptum eſt, *Vani ſunt omnes homines quibus non ſubeſt ſcientia Dei*, IN SVPERBIAM ERIGITVR, quia veritatis vacuus, ſapientiæ quam oſtentat ſpeciem, ſolidam ducit veritatem.

ET TANQVAM PVLLVM ONAGRI, SE LIBERVM NATVM PVTAT, *Cupiditate enim*

A *enim libertatis impatiens est dominatoris ac domitoris*, inquit Augustinus, & ob id absque metu Superioris effutit quod vult, TV AVTEM FIRMASTI COR TVVM, cognitione veritatis, per quam *docuisti plurimos & vacillantes confirmauerunt sermones tui*, ET sacrificijs atque orationibus vacans, EXPANDISTI AD EVM MANVS TVAS, vt non sis vir vanus nec pullo Onagri similis. Non tamen per illa mundus es in conspectu Dei, quia vt bona sint & laude digna, non vetant tamen quo minus iniquitatem habeas & admiseris peccata, Quæ si cum calamitatibus tuis appendantur in statera, appareret quod MINORA EXIGARIS QVAM MERETVR INIQVITAS TVA.

Et hæc quidem dicit Sophar ex errore quem cum Eliphas & Baldad sustinet, nempe, ne Deus videatur supplantare iudicium, ponderi calamitatis necessario subesse debere par aut maius pondus iniquitatis, contra quam assumpserat Iob: cuius sententiam Sophar arbitratus hac sua ratiocinatione
B satis confutatam, transit confirmare alterum sociorum errorem, quo secus, quam ex Psalmo 31. allegauimus, Eliphas cap. 5. Baldad cap. 8. conati sunt probare calamitatem non nisi pari cum iniquitate vt putabant mensura immissam, hac correcta, mox auferri, & esse à Iob si se correxerit lege communi auferendam, & dicit, SI INIQVITATEM QVÆ EST IN MANV TVA, Iniquitatem dico propriæ actionis tuæ, per correctionẽ ABSTVLERIS A TE, ET NON MANSERIT, te colludente aut conniuente IN TABERNACVLO TVO, familia tua, INIVSTITIA, vt etiam expiaueris te à peccatis alienis: TVNC LEVARE POTERIS FACIEM TVAM ABSQVE MACVLA, & caput atq; adeò cristas erigere vt proinde cap. 9. gratis dixeris, *Si iustus fuero non leuabo caput, saturatus afflictione & miseria*, ET ERIS in illa faciei tuæ erectione STABILIS, ET NON TIMEBIS, ne aliquid interponatur vel alijs obijcientibus interueniat quod faciat te deijcere animum.

C MISERIÆ QVOQVE in qua nunc versaris, OBLIVISCERIS non quasi nulla illius animũ tuum subeat recordatio, sed eius, QVASI AQVARVM QVÆ PRÆTERIERVNT, RECORDABERIS, nam præterlapsæ calamitatis recogitatio te nullatenus cruciabit vt habeas quid simile cum beatis, de quibus August. *Anima*, inquit, *beata fruens indeficienter æternorum iucunditate gaudiorum, oblita erit culparum, oblita pænarum; nec tamen ideo suæ liberationis oblita, vt liberatori suo sit ingrata. Quantum ergo attinet ad scientiam rationalem memor præteritorum etiam malorum suorum, quantum autem ad experientiæ sensum, prorsus immemor.* Et infrà. *Secundum obliuionem quam posteriore loco posui, non erunt memores Sancti præteritorum malorum. Carebunt enim omnibus malis, ita vt penitus deleantur de sensibus eorum. Ea tamen potentia scientiæ quæ magna in eis erit, non solum sua præterita, sed etiam damnatorum eos sempiterna miseria non latebit. Alioquin si se fuisse miseros nescituri sunt, quomodo, sicut ait Psalmus, Misericordias Do-*
D *mini in æternum cantabunt?*

De ciuit. cap 30.

Psal. 88.

ET QVASI MERIDIANVS FVLGOR, rei familiaris splendor, CONSVRGET TIBI AD VESPERAM, ipsum etiam vitæ tuæ occasum, ET CVM TE CONSVMPTVM PVTAVERIS, vt redintegrandæ rei tuæ nulla tibi videatur superesse spes, iuxta quod infra cap. 19. dicturus es, DESTRVXIT ME VNDIQVE ET QVASI EVVLSÆ ARBORI, abstulit spem meam, ORIERIS VT LVCIFER, nam redintegratio rerum tuarum in ipso exordio suo splendida, procurret & procedet in augmentum velut Lucifer in splendorem meridianum. ET HABEBIS FIDVCIAM, quæ Ambrosio sperandi quædam authoritas, PROPOSITA TIBI SPE, quod, vt dixit Eliphas, IN SEPTIMO, futuro inquam sæculo, siue tribulatione septima, quam Bernardus dixit esse mortem, NON TANGET TE MALVM. Correctio enim tua, suppeditabit tibi materiam & quoddam

Serm 15. vers 4 in Psal. 118.

dam

dam animi robur ad exspectandum in sæculo vel morte, quem in verba A
Eliphæ diximus, euentum.

ET DEFOSSVS, in sepulchrum, SECVRVS DORMIES, secundum corpus vt diximus, tanquam à morte euigilaturus. SECVRVS inquam, quia nemo ossa tua mouebit, aut te sepulchro exturbabit: Quod magni boni loco haberi solere docet ille, qui sepeliri volebat *iuxta ossa viri Dei qui venerat de Iuda,*
3. Reg 13. vt ob viciniam inuiolabilis sepulchri, etiam ossa ipsius manerent immota.
4 Reg. cap. 24. Quibus verbis quies & securitas adscribuntur inanimatis, prout & spes cum
Infra c. 14 dicitur, *Lignum habet spem*, Et, *Caro mea requiescet in spe*, per prosopopeiam,
Psal. 15. quia nimirum inanimata in tali rerum suarum promittuntur fore statu, vt secura & absque timore essent, si tales affectus caperent. REQVIESCES, secundum animam in sinu Abrahæ, ET NON ERIT QVI EXTERREAT, nam ne terribiles quidem illi Dæmones tametsi loco vicini, poterunt sinum Abrahæ vllatenus inquietare. B

ET DEPRECABVNTVR FACIEM, præsentiam TVAM, PLVRIMI, quia erit concursus orantium ad sepulchrum tuum, qualem esse solere in Hebron ad
De tradit. Hebr. in 2. Reg. c. 15. sepulchrum Abraham, Isaac & Iacob, discimus ex Hieron. dicente, quod Absalon dicat se vouisse cum esset in Gessur ire in Hebron, orationem facturus in loco quo requiescunt Abraham, Isaac & Iacob. Et cur in illo loco, nisi vt preces ipsius saltem intercedentibus meritis Patriarcharum Deo commendarentur? Vnde intelligas orationem ad sepulchra Sanctorum in finem iam dictum rem antiquæ fidei esse & religionis. Alij tamen exponunt, DEPRECABVNTVR FACIEM TVAM PLVRIMI, quia optabunt te adhuc sæculo esse præsentem ad multiplicem reipubl. vtilitatem. OCVLI AVTEM IMPIORVM irreligiosorum, Deum præ oculis non habentium, DEFICIENT, quia rerum suarum iugem spectabunt defectum, alia longè quam tibi promisi forte, quia tibi promisi quod correctus, imò & ad primam correctionis tuæ instantiam orieris vt Lucifer, vt sicut tu orieris progrado, ita ipsi processu pereant retrogrado. C

ET EFFVGIVM PERIBIT AB EIS, quia mala huius vitæ quocumque se
Cap. 8. verterint non poterunt effugere iuxta quod dixit Isaias, *Caligo persequens, & non poterit auolare de angustia sua.*

ET, cum ad te saltem correctum dixerim, fiduciam habebis proposita tibi spe, SPES ILLORVM, siue, quod eos manet, ABOMINATIO ANIMÆ, per quam non malè intellexeris execrationem, quia omnes execrantur infernum: nec malè intellexeris fastidium, quia ob immunditiam loci & rerum quæ in eo sunt, omnes nauseant ad fœtorem sulphuris ac æternorum cadauerum, quæ ibi erunt, Corpora enim inferni tametsi rediuiua cadauerum
Isa. c. 34. non carebunt tabe nec fœtore. Iuxta illud Isaiæ, *De cadaueribus eorum ascendet fœtor, tabescent montes à sanguine eius.*

D

CAPVT XII.

RESPONDENS AVTEM IOB, DIXIT. ERGO VOS, tanquam præ reliquis mente ac ratione præditi, SOLI ESTIS HOMINES, cæteri verò amentes & absque ratione? ET VOBISCVM MORIETVR SAPIENTIA? quæ inuestigare nouit Deum, cumque inuenit incomprehensibilem eo quod excellior cælo sit? &c. Id foret necesse si vos soli essetis homines, quia sapientia hæc non inuenitur nisi ratione, & non apprehenditur nisi mente, si ergò non sit mens nec ratio nisi in vobis, vna vobiscum etiam sapientia excidit.

Absit

A Absit autem, nam ET MIHI, ad inuestigandum & intelligendum EST COR, SICVT ET VOBIS, NEC, hac in parte INFERIOR VESTRI SVM. Quibus in verbis non Iob sese extollit, sed amicos sese supra reliquos extollentes in ordinem redigit: Nec solum in vnum ordinem secum, sed cum omni genere hominum, nam subiungit.

QVIS ENIM HÆC, QVÆ NOSTIS, IGNORAT, cum hæc quæ de Dei inuestigabilitate & incomprehensibilitate allegastis, passim omni ordini hominum nota sint? In dictione enim, QVIS, magis latet distributio pro generibus singulorum, quam pro singulis generum.

QVI DERIDETVR AB AMICO SVO SICVT EGO à vobis, derisione qua ego velut stolidus derisus sum ab vxore, *quia rapinam bonorum meorum suscepi cum æquanimitate*, INVOCABIT DEVM, vt causam ipsius à præiudicio gentis non sanctæ discernat, ET EXAVDIET EVM, faciendo vt perueniat ad victo- ad Hebr. c. 12.
B riam sic derisi iudicium, *Quod cum sanctus ineptis consolatoribus suis responderet, nonnè in Dei confidebat auxilio?* inquit Prosper. DERIDETVR ENIM IVSTI SIMPLICITAS, vt auditum est, cum mulier diceret, adhuc tu permanes in simplicitate tua?

Interim est apud calamitosum in sua simplicitate permanentem LAMPAS, lux & splendor interioris hominis oleo diuinæ gratiæ fotus, quæ tamen lampas CONTEMPTA APVD COGITATIONES DIVITVM, illorum, videlicet, *qui non sunt diuites in Deum*. Hi enim interioris hominis splendorem Luc. c. 12.
nec vident nec videre curant. Sed lampas hæc, PARATA per oleum in vasis fictilibus reconditum, AD TEMPVS STATVTVM, vt ex oleo reposito tempore diuini iudicij, lampas, quod dicit parabola decem Virginum, ad- Mat. 25.
ornetur, & sic fulgeat vt qui eam contempserunt cum planctu dicturi sint. *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum & similitudinem improperij*. Non ergo Sap. 5.
C ex aduersitatibus simplicis, rectè ô Sophar cum tuis amicis colligis, ipsum esse debere peccatorem.

Sed nec rectè assumitis, quod sicut *scirpus non potest virere absque humore*, anu c. 8.
nec crescere carectum sine aqua, sic nec possit quispiam temporaliter florere aut crescere absque iustitia, quia ad oculum ostendo tibi contrarium. Vide enim, ABVNDANT TABERNACVLA PRÆDONVM, Sabæorum, Chaldeorum qui pecora mea violenter abegerunt, ET AVDACTER PROVOCANT DEVM, dicendo, *manus nostra excelsa, & non* Deut. 32.
Dominus fecit hæc omnia, CVM tamen IPSE DEDERIT OMNIA IN Cap. 1.
MANVS EORVM, nam ipse est qui permisit Sathanæ potestatem in possessiones & substantiam meam, propter quod & dixi, *Dominus dedit, Dominus abstulit*. In illis ergo ô amici videtis quod moraliter loquendo potest *virere scirpus absque humore*. Ad instar iam dictorum prædonum, et- Cap. 1.
D iam AVDACTER PROVOCANT DEVM qui Psalmo 72. dicunt, *Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso, Ecce ipsi peccatores & abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias*. Si enim quæ hic aguntur sciret Deus, nec peccatores tanquam indigni, nec abundantes in sæculo tanquam sat opulenti ditescerent, atque adeo cum Deus dederit omnia in manus eorum, qui sic argumentantur, ipsi non sine contumelia suis Deus oppugnant donis, *ipsumque irritant*, vt est secundi Esdræ 9. *quasi per contentionem*.

Sed vt tandem declarem verum esse quod dixi, QVIS HÆC QVÆ NOSTIS IGNORAT? INTERROGA IVMENTA ET DOCEBVNT TE, ET VOLATILIA COELI, ET INDICABVNT TIBI. LOQVERE TERRÆ, ET RESPONDEBIT TIBI: ET NARRABVNT PISCES MARIS. Id se fecisse scribit

10. confeſſ. Auguſtinus in hæc verba, *Interrogaui terram, mare, abyſſos, & reliquam creatu-* A
c.6. *ram, & dixerunt, Non ſumus Deus tuus, Quære ſupra nos. Interrogatio mea, inten-*
tio mea, reſponſio eorum, ſpecies eorum. Mundus enim viſibilium omnium pulcher-
rima ſpecie, tacitus quodammodo proclamat, & ſe factum eſſe, & non niſi à Deo in-
effabiliter atque inuiſibiter magno, & ineffabiliter atque inuiſibiliter pulchro fieri ſe
11. de ciu. *potuiſſe*, inquit idem alibi. Et quidem proclamatione tam celebri atque eui-
c.4. denti, vt ſubiungat Iob, QVIS IGNORAT QVOD OMNIA HÆC MANVS
Tract.106. DOMINI FECERIT? Nam, teſte Auguſtino, *Exceptis paucis in quibus natura*
in Ioan. *nimium deprauata eſt, vniuerſum genus humanum, Deum huius mundi fatetur Au-*
thorem. Non quaſi ad hanc profeſſionem omnes ex iumentorum & reli-
quæ creaturæ interrogatione & reſponſo peruenerint, ſed multi ex doctri-
na & teſtificatione ſapientum, ſic vt rectè dicit Iob, QVIS HÆC QVÆ NO-
Rom.1. STIS IGNORAT? quia omnes paſſim *nouerunt inuiſibilia Dei per ea quæ facta*
ſunt cognoſci potuiſſe, & à multis cognita eſſe, &, tamen ſi illam cognoſcen- B
di rationem non omnes attigerint, cognouerint tamen id quod dico
per doctrinam Sapientum vel per inſitum teſtimonium animæ. Dicunt
ergo iumenta cum Creatura reliqua, quod manus Domini fecerit hæc
omnia.

IN CVIVS MANV ANIMA OMMIS VIVENTIS. Si omnis viuentis, ergo
bruti & hominis, vt non ſit neceſſe, ſpiritum qui ſequitur pro anima rationa-
li accipere, Si enim hæc propriè appellaretur ſpiritus, non diceret Sapiens.
Eccleſ.3. *Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum de-*
ſcendat deorſum? Eſt ergo omnis anima in manu Dei, quia vt produci, ita
ab ipſo habet & conſeruari, prout etiam de Spiritibus Angelicis iam de-
fluxis in Enchiridio docuit Auguſtinus. ET, in eius manu eſt, SPIRITVS,
id eſt flatus, ſiue reſpiratio VNIVERSÆ CARNIS HOMINIS, vt ei commea-
cap.5. tum indulgeat vel deneget, iuxta quod Daniel dicebat Regi, *Deus qui habet* C
flatum tuum in manu ſua.

Hebr.1. Iob ergo his verbis in re idem docet quod Apoſtolus dicens: *Omnia in*
ipſo conſtant, portatque omnia verbo virtutis ſuæ, tametſi Iob expreſſam verbi
non faciat mentionem. Qui poſtquam aſtruxit Deum quidem, vt affirma-
uerat Sophar, per creaturam inueſtigari poſſe, & id, ne quaſi de ſingulari
rerum notitia Sophar extolleretur, omnibus ſat notum eſſe, tranſit decla-
rare non eſſe mirum quod à creatura mundi Deus non poſſit *ad perfectum*
reperiri, Id enim oſtendit à ſimili & dicit. NONNE AVRIS VERBA DIIV-
DICAT, ET FAVCES COMEDENTIS SAPOREM? quaſi dicat, Nunquid crea-
tura corporea experimentaliter vno tantum ſenſu & non diuerſis cognoſci-
tur, verbi gratia, ſonus auribus, ſapor faucibus? Vnde intelligas ipſis ſen-
ſibus ſuum ineſſe iudicium, in hominibus autem iudicium rationis ſen-
ſuum diſcretioni præſidere, vt de illorum iudicio altius, & ad altiorem fi- D
10. confeſſ. nem iudicet, dicente Auguſtino, *Menti renunciant omnes nuntij corporales*
c.6. *præſidenti & iudicanti de ſingulis reſponſionibus cæli & terræ, & omnium quæ in eis*
ſunt, dicentium: Non ſumus Deus, ſed ipſe fecit nos. Nonne omnibus quibus in-
teger ſenſus eſt, apparet hæc ſpecies? Cur non omnibus eadem loquitur? Anima-
lia puſilla & magna vident eam, ſed interrogare nequeunt. Non enim præpoſita
eſt in eis nunciantibus ſenſibus, Iudex ratio. Homines autem poſſunt interrogare,
vt inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciantur, ſed amore ſubdun-
tur eis, & ſubditi iudicare non poſſunt Hæc Auguſtinus. Si ergo creatura cor-
porea diuerſis ſenſibus cognoſcitur, & apprehenditur, quid mirum ſi Deus
à Creatura mundi, non ſolum quæ eſt, ſed etiam quæ de potentia in actum
reduci poſſet, ſola ratiocinatione *ad perfectum* non cognoſcitur, ſed ad ipſum
plenius

A plenius cognoſcendum opus ſit adhuc alio quodam interiore ſenſu, atque adeo auditu, qui ipſius informetur affatu?

Proinde vt ad perfectum quantum homini in hac vita licet omnipotentem reperias, fateor neceſſe eſſe, VT APERIAT DEVS LABIA SVA HOMINI, & ei reuelet arcana, quæ ratione nec indagari poſſunt nec inueniri. Ex qua reuelatione Prophetæ huic innotuerunt ſequentia, *in quibus omnes rerum humanarum profectus & defectus, omneſque mutationes ad iudicia Dei referuntur*, inquit Proſper. Quibus tamen præmittitur, quod Deum in ſeipſo *1 de voc.* concernit, & ratione inueſtigari non poteſt & dicitur, IN ANTIQVIS, tan- *gent. c. 14.* quam ipſis inhærens, EST SAPIENTIA, quæ ab Auguſtino definitur, *æter-* *lib. 12. de* *narum rerum cognitio intellectualis*, ET IN MVLTO TEMPORE, tanquam lon- *Trin. c. 14.* go temporis proceſſu comparata PRVDENTIA, quæ ſapientiæ exerendæ vel diſpenſandæ modum ponit & congruam menſuram; APVD IPSVM

B autem, Alij legunt CVM IPSO, vt ſit hic ſermo de æterna ſapientia de qua Sapiens ad Deum Patrem, *Tecum ſapientia tua per quam creaſti omnia.* Senſus ergo eſt, Apud Deum autem, tanquam ſedibus ipſius coaſſiſtens, & proinde tanquam res ſubſiſtens, non tanquam multo tempore comparata, ſed ei apud quem eſt coëterna EST SAPIENTIA. Eſt enim, immutabilitatem hic & alibi importat, atque æternitatem. Eſt apud eum ET FORTITVDO, A ſapientia re non diſtincta, nam Apoſtolus à Filij Dei incarnatione appellat Chriſtum *Dei virtutem*, omnia enim per ipſum facta ſunt, & Dei SAPIENTIAM. Quia priuſquam fierent, omnia ſunt per ipſum prudenter diſpoſita.

Ne autem Sapientia quæ apud Deum eſſe dicitur, credatur, quod Auguſt. *15. de Tri-* dicit, *Patrem facere ſapientem*, ſubiungitur, IPSE, apud quem dixi eſſe ſapientiã, *nit. c. 6.*

C HABET CONSILIVM ET INTELLIGENTIAM, quæ cum à ſapientia ſeparari non poſſint (quod enim conſilium, aut quæ intelligentia abſque ſapientia?) conſequens eſt apud Deum ſic eſſe ſapientiam ac fortitudinem, vt & Deus eam in ſe habeat eademque ipſe & ſit, vt proinde ſapientia quæ apud ipſum eſt, ſit ſapientia de ſapientia, paternæ mentis non forma, ſed minimè degener partus.

Declaro ſingula, & in primis quod ſit apud ipſum fortitudo, quia SI DESTRVXERIT, NEMO EST QVI ÆDIFICET, prout apparuit in Iericho: quin & in ſeptem gentibus terræ Chanaan, *quas deſtruxit Dominus ante faciem Iſraël*, Et in Idumæa, de qua apud Malachiam, *quod ſi dixerit Idumæa de-* *Cap. 1.* *ſtructi ſumus, ſed reuertentes ædificabimus quæ deſtructa ſunt: Hæc dicit Dominus exercituum, iſti ædificabunt, & ego deſtruam.*

SI INCLVSERIT HOMINEM in infernum, NVLLVS EST, non ſolum

D alius quis, ſed ne ipſe quidem QVI APERIAT. Vbi nota quod dicit HOMINEM: Hic enim cum Authore Tertulliano *duarum naturarum conſertarum ſit fibula*, ſenſus erit, ſi hominem cum corpore & anima incluſerit in infernum NVLLVS EST QVI APERIAT, Nam ſi hominem ſecundum animam tantùm eo detruſerit, ipſe tandem ſuo iuſſu carcerem illum aperiet, vt det infernus mortuos ſuos, iuxta quod Iſaias de animabus impiorum dixit. *Et* *Cap. 24.* *congregabuntur in congregatione vnius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere: & poſt multos dies viſitabuntur*, ad iudicium videlicet; ſequitur enim, *Et erubeſcet Luna, & confundetur Sol*, quod non habebit locum, niſi in die iudicij. Hic ſenſus videtur textui eſſe proprius, eo quod incluſio adſcribatur clauibus, Sapientia autẽ quæ eſt apud Deum, profiteatur *ſe habere claues mortis, & inferni:* *Apoc. 1.* & deſtruere quod dictum eſt, intelligatur fieri claue mortis, includere vero

claue inferni: Nam & Angelus includens Sathanam in abyssum describi- A
Apoc. 20. tur ad id *habuisse clauem putei abyssi.* Possunt interim hæc de alijs destructionibus inclusionibusque verificari. Nam Iudæi nunquam potuerunt reædificare templum, aut emergente ex fundo igne deterriti, aut eiectis fundamentis irritati. Ad eundem modum si Deus iudicio suo ac permissu incluserit
Luc. 11. hominem in atrium fortis illius, de quo Euangelium, non erit vllus hominum
Isaiæ 42. qui aperiat, *& educat vinctum de domo carceris illius, quia claudit, & nemo aperit:* Sicut & alligato forti, aperit claustra cordis ad primam attentionem salutiferæ prædicationis, & nemo claudit, vt apparuit in Lydia pur-
Act. 16. puræ venditrice.

infra c. 25. SI CONTINVERIT AQVAS elementares sicut scriptum est, *Qui ligat aquas in nubibus suis*, vel etiam si quod dixit Cyprian. *Nubila serena longa suspendant*, prout tempore Eliæ: vel etiam si continuerit aquas prædicationis saluti-
Psal. 67. feræ, de qua Psalmus, *Pluuiam segregabis hæreditati tuæ*, quod se facturum B
Isaiæ 5. minatur cum dicit, *Mandabo nubibus ne pluant super eam imbrem*: OMNIA SICCABVNTVR, prout tempore Eliæ experientia docuit. *Neque enim causæ*
in cap. 14. Ieremiæ. *secundæ aquas dabunt per se*, inquit Hieronymus iuxta illud Ieremiæ: *Nunquid sunt in sculptilibus gentium qui pluant, aut cæli possunt dare imbres? Nonne tu es Dominus Deus noster, quem exspectauimus? tu enim fecisti omnia hæc.* Similiter quod Domino continente aquas pluuiæ voluntariæ omnia siccentur, apparuit ex irrorato solo vellere, nam præ inopia cælestis irrigui, fuit tunc in omni terra siccitas. ET SI EMISERIT EAS, SVBVERTENT. Chaldæus, effundentioni quæ præcessit. tur in TERRAM, ad irrigandum videlicet eam, nam id opponitur exsicca-

Quandoquidem tamen Iob per hæc demonstrat fortitudinem Dei, dicit quod aquæ emissæ SVBVERTTENT TERRAM, quia post siccitatem fere tam abundanter, ac vehementer decidunt, vt montium partes de- C
fluere faciant, vias oppleant, ac valles. Ex his iam patet quod APVD IPSVM EST FORTITVDO.

Quod vero apud ipsum sit ET SAPIENTIA consequenter ostenditur in hæc verba, IPSE NOVIT ET DECIPIENTEM, qua nimirum verisimilitudine, quo astu fallat, ET EVM QVI DECIPITVR, cuius videlicet rei inanimaduertentia vel ignorantia, falsa pro veris amplectatur. quod vtique non nisi per sapientiam fieri potest, quia non nisi ex vero falsum, ex recto obliquum, ex simplici astutum, ex sincero deprehendes dolum, pro-
Eccle. 1. pter quod & Sapiens dicit, *Dedi cor meum vt scirem prudentiam atque doctrinam, erroresque & stultitiam: Cognitio enim veritatis omnia falsa etiam quæ prius inaudita erant, & diiudicare, & subuertere idonea est*, inquit Augu-
Epist. 56. stinus.

ADDVCIT CONSILIARIOS de negotijs accuratè & exquisitè consul- D
Luc. 1. tantes IN STVLTVM FINEM. Quod fecit quando *dispersit superbos mente cordis ipsorum*, nam per propria sua consilia Iudæi in dispersionem,
1. Cor. 3. quam euitare consultabant, deuenerunt, & sic *apprehendit sapientes in astutia eorum*. Quod argumento est apud Deum esse CONSILIVM. Nam consilium, in finem contrarium non nisi altiore consilio deduci,
Psal. 32. aperit illud Psalmi, *Reprobat consilia gentium, Consilium autem Domini in æ-*
Isaiæ 28. *ternum manet.* ET IVDICES IN STVPOREM, quando *desinit esse spiritus iu-*
sup. cap. 9. *dicij sedenti super iudicium*, &, *non illuminando, vultum Iudicum terræ operit*,
Psal. 81. vt in eis impleatur illud Psalmi: *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.*

BALTHEVM REGVM DISSOLVIT, ET PRÆCINGIT FVNE RENES EORVM,

A RVM, quando Reges bellicosissimos facit imbelles, Baltheus enim est virtutis militaris insigne, propter quod de Ioab Principe militiæ dicitur, *posuit cruorem Abner in baltheo suo*, Id Leuitici 26. euenit Israëli, è quo aliquando quinque persecuti sunt centum alienos, & centum, decem millia, & tandem vice versa ex hostibus Israël, vnus persequebatur mille, & duo decem millia. 3.Reg. 2.

DVCIT SACERDOTES INGLORIOS quando impleuit illud primi Regum 2. *Loquens locutus sum vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo vsque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus, absit hoc à me, sed quicumque glorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Quod ipsum euenit etiam Sacerdotibus noui Testamenti, quia per neglectum Sacerdotij & sacrificij, ducuntur non solum inglorij, sed loco gloriæ contumelia pleni, quò nunquam esset de-
B uentum, si debitis moribus ac religione suum sanctificassent altare, & sacerdotium.

ET OPTIMATES SVPPLANTAT pedibus tyrannorum aut potentiorum substernit, id enim supplantare litteraliter, quod allegoricè significat decipere. Patuit in Regibus septuaginta qui sub mensa Adonibezec colligebant ciborum reliquias, & in illo qui caueæ inclusus submittebatur pedibus Imperatoris, in cuius deuenerat potestatem; vt per talem gradum conscenderet equum. Iudic.1.

COMMVTANS LABIA VERACIVM. Nam Sacerdos Israël de quo scriptum est: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius:* De quo & dictum erat *Sacerdos, & Iudex qui pro tempore fuerit indicabunt tibi iudicij veritatem*, Hi inquam, falsam sententiam protulerunt contra Christum, & exinde *lingua eorum, & adinuentiones eorum con-* Malac.2. Deut.17. Isaie 3.
C *tra Dominum*, quæ quidem sic adscribenda sunt hominibus, vt ab ijs non excludantur superna iudicia, quibus illa hic, iuxta quod Prosper dixit, adscribit Iob. ET DOCTRINAM SENVM AVFERENS, An ab ipsis senibus, quemadmodum in senili ætate abstulit à Tertulliano, qui illa ætate in montanum dogma quod suo præscriptionum libro cap. 52. blasphemiæ damnauerat, delapsus est? An vero à populo sicut scriptum est, *Auferam de Iuda prudentem eloquij mystici?* Vtrumque certe diuini iudicij est. Isaie 3.

EFFVNDIT DESPECTIONEM SVPER PRINCIPES, EOS, QVI OPPRESSI FVERANT, RELEVANS. Apparuit in Roboam, de quo populus dicens, *Quæ nobis pars in Dauid, & quæ hæreditas in filio Isai, Nunc vide domum tuam Dauid*, & similia, ipsum notoriè despexit, & semetipsum à graui tributorum onere releuauit, Quod scriptura dicens, *Quia auersatus ipsum fuerat Dominus*, manifestè refert ad diuina iudicia QVI REVELAT PROFVNDA DE TENE- 3.Reg. 12.
D BRIS, per animam Samuelis, quæ à morte *notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltauit vocem suam de terra in prophetia.* Non inconuenienter tamen intelliges istud impleri quando in agnitionem sui producit, vel alijs palam facit eos, *qui profundo sunt corde, vt à Domino abscondant consilium, quorum in tenebris sunt opera, & dicunt quis nos videbit?* Et id præcipue in futuro iudicio, *quando illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Eccl. 46. Isaie 29. 1.Cor.4.

ET PRODVCIT IN LVCEM VMBRAM MORTIS, quia ex mortuorum tenebris, quas diximus vocari vmbram mortis, Samuelem hominibus conspicuum fecit. Quale quid & præstat, quando tenebrosas illustrat conscientias QVI MVLTIPLICAT GENTES, ET PERDIT EAS. *Gentes enim aliquot integræ, insulæ item ad eximiam vsque ac praeminentem potentiam progressæ,*

 post

post multa sibi terra marique erecta trophæa, post opes confertim aggestas, & cumulatas ex hostium exuuijs, manubijsue, vel tempore tandem attritæ sunt, & absumptæ, aut certè in captiuitatem abductæ. inquit Basil. A

Hom. 4.

ET SVBVERSAS IN INTEGRVM RESTITVIT, prout de populo Israël ipse testatur, *Sicut vigilaui super eos, vt euellerem, demolirer, dissiparem, disperderem & affligerem, sic vigilabo super eos, vt ædificem & plantem.* Quod & in gentilitate locum habere vaticinatur Ieremias alibi. *Hæc dicit Dominus super omnes vicinos meos pessimos, qui tangunt hæreditatem, quam distribui populo meo Israël, Ecce ego euellam eos de terra sua, & cum euulsero conuertar, & miserebor.*

Ierem. 31. Cap. 12.

QVI IMMVTAT COR PRINCIPVM, POPVLI TERRÆ, ET DECIPIT EOS VT FRVSTRA INCEDANT PER INVIVM. Id in Pharaone apparuit, cuius, prout & *seruorum eius, immutatum est cor super Israël*, iam Egypto egressum, Quos & Dominus, aperiendo viam in mari rubro, decepit, vt frustra irent per inuium, nam via maris rubri ipsis erat inuia. Decepit verò eos deceptione materiali, quia aperto Israëli per mare rubrum transitu, Ægyptij viam illam etiam sibi permeabilem rati, sua se opinione ac præsumptione deceperunt. Si verò Dominus per se suosque hortatus fuisset Ægyptios ingredi hiatum maris, & sic ingressos demersisset, verè decepisset eos. Hæc interim sententia subinde locum habet in illis qui ad tempus respublicas bene rexerunt: tunc enim plus audentes, sibique plus arrogantes, ineunt consilia quæ id sunt imperanti, quod inuium itineranti; sic vt tametsi multimodis conentur, sit ipsis impossibile institutum deducere ad effectũ: *Nam & effundit Deus contemptionem super Principes, errare facit eos in inuio & non in via.* B

Exo. 14. Ps. 106.

Quia tamen sequentes versiculi videntur eosdem denotare quos iste, vt illic, ita & hic conuenientius intelligitur describere Iudæos in hunc modum. IMMVTAT COR PRINCIPVM, POPVLI TERRÆ, VT FRVSTRA INCEDANT PER INVIVM, quia cum Principes populi Israëlitici Christum exspectassent, circa præsentem sic immutati sunt, vt Euangelicam viam repudiantes, per inuium legis nihil ad perfectum adducentis, voluerint sine Christo procedere in finem æternamque salutem. C

PALPABVNT SICVT CÆCI PARIETEM, ipsis Iudæis id fatentibus, cum dicunt per Isaiam, *Palpauimus sicut cæci parietem,* quia Christum in carne contrectauerunt, illi in primis, qui ipsum turmatim compresserunt, & tamen in eum non credendo ipsum attrectauerunt velut absque oculis, ET ERRARE EOS FACIET QVASI EBRIOS, dicente ad Iudeos Isaia *Obstupescite, & admiramini, fluctuate, & vacillate, inebriamini, & non à vino, mouemini & non ab ebrietate, quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros; Prophetas & Principes vestros qui vident visiones operiet.*

Cap. 59. Cap. 29.

CAPVT XIII. D

ECCE OMNIA HÆC, partim inquit D. Thomas, VIDIT OCVLVS MEVS, ET, partim inquit idem AVDIVIT AVRIS MEA. Nam iumenta, volucres, terram, pisces, totumque mundum à Deo esse, & ab ipso conseruari, ratione inuestigaui, & mente perspexi. Quæ verò à verbis APVD IPSVM EST SAPIENTIA, huc vsque subtexui, audiuit auris mea, illa enim non nisi Deo loquente, & insusurrante cognoui. ET INTELLEXI SINGVLA, vnde desumas argumentum, quod fuerit Iob verus Propheta: Hi enim nunquam acceperunt reuelationem, quam non etiam tandem saltem intellexerint teste Augustino.

Cont. Adimant. c. 28

SECVN-

A SECVNDVM SCIENTIAM VESTRAM, siue inuestigatam, siue reuelatam quam inter cæteros allegauit Eliphas, ET EGO NOVI, NEC INFERIOR VESTRI SVM, quod dicit vt vendicet se à contemptu: seruata interim modestia, non enim amicis se præfert, sed tantum non inferiorem affirmat.

SED TAMEN AD OMNIPOTENTEM LOQVAR, ET, ad inuestigandam rationem occultorum Dei iudiciorum, sub quibus omnes illæ quas recensui rerum varietates decurrunt, CVM DEO, ratiocinando, replicandoque DISPVTARE CVPIO: quod tamen non esse omnium, docet Augustinus in hæc verba: *Iustum occidit impius. Quæris quare hoc permittit Deus? vide ne prius illud debeas facere, frange esurienti panem tuum. Hoc enim tibi præcepit qui dicit, lauamini, mundi estote, & venite disputemus. Disputare vis, antequam facias vnde dignus sis cum Deo disputare.* Hæc Augustinus. *in Ps. 61.* *Isaia 58.*

PRIVS, antequam videlicet cum Deo disputationem meam ineam, VOS
B OSTENDENS FABRICATORES, inuentores, concinnatores, MENDACII, mendacis sententiæ, quam de afflictionum humanarum obuentione, euasione, immunitate hactenus deduxistis & sustinuistis: ET CVLTORES PERVERSORVM DOGMATVM: Dogmata enim à vobis inuenta reddere nitimini varijs rationibus, & ostensionibus plausibilia, persuasibilia, & bene exculta. Id autem oportet de vobis ante omnia ostendere, magis enim necessaria destructio erroris, quam inuestigatio occultæ veritatis.

ATQVE VTINAM TACERETIS VT PVTAREMINI ESSE SAPIENTES. *Stultus enim dum non loquitur sapiens putatur: nam quod non loquitur non sensus inopiæ sed humilitatis creditur custodia*, inquit Bernard. Excusabitis fortasse vos dicentes dogmata vestra Deum in suis iudicijs ac inflictionibus iustificare? Sed AVDITE ERGO CORREPTIONEM MEAM, ET IVDICIVM LABIORVM MEORVM ATTENDITE. NVNQVID DEVS INDIGET VESTRO MENDACIO, *Prouer. 17* *Epist. 78.*
C VT PRO ILLO, in defensionem iustitiæ ipsius, LOQVAMINI DOLOS? fallacias ad decipiendum compositas vt apprehendantur falsa pro veris, quasi iustitia Dei non possit nisi mendacio defendi, prout defendere conati sunt, qui docuerunt differentias corporum descendere ex meritis ab anima ante corpus comparatis, de quibus August. *Dum volunt humanis coniecturis iustitiam Dei defendere, ignorantes altitudinem gratiæ, fabulas improbabiles texuerunt.* *1. ad Marcell. c. 22.*

NVNQVID vitio acceptionis personarum, FACIEM EIVS ACCIPITIS, ET PRO DEO ex fauore magis quam vero IVDICARE NITIMINI? AVT, ad gratiam loquendo nitimini PLACERE ILLI, QVEM CELARI NIHIL POTEST, sicut celari potest homines, quod amici loquantur ad gratiam, incurij veritatis ac sinceritatis, propter quod sequitur AVT DECIPIETVR ad vos amandum, vel habendum in pretio, VT HOMO VESTRIS FRAVDVLENTIIS? Qui fauorabilibus, tametsi non veris, ac merè adulatorijs ad amorem ac fauo-
D rem induci solet? multum autem abest, quia IPSE VOS non solum non amabit, sed ex aduerso, manifestatis consilijs cordium vestrorum ARGVET, QVONIAM IN ABSCONDITO, fallaci consilio, per vitium acceptionis personarum FACIEM EIVS ACCIPITIS, vt nimirum ipse vos vicissim absque rerum veritate in gratiam fauentium sibi personarum iudicet, secus quam scriptum est, *Patrem inuocatis eum qui absque personarum acceptione iudicat vnumquemque.* Proinde STATIM VT SE COMMOVERIT, ad reddendum vnicuique secundum opera sua, TVRBABIT VOS, quia pro gratia, quam exspectabitis, inuenietis in vos ipsius indignationem. ET TERROR EIVS, qui in illo die apparebit terribilis, horribili impetu IRRVET SVPER VOS. *1. Petr. 1.*

MEMORIA VESTRA quæ à morte vobis, vt huius quam proponitis ac sustinetis quasi celeberrimæ sententiæ authoribus in seculo forte supererit,

COMPARABITVR CINERI, tanquam rei ex incendio residuæ ac in auras A
dispergendæ: Atque adeò eueniet vobis quod de Philosophis antiquis &
Epist. 56. recentioribus scribit August. *Nempe, ipsorum cineres illo tempore non tantum caluisse, vt ex ijs contra fidem Christianam aliqua scintilla excitaretur.* ET REDIGENTVR IN LVTVM, turpiter emollitæ, CERVICES, pertinaciæ VESTRÆ. Inuenientur enim non correctæ sed debellatæ, atq; confractæ, quod turpe est ac infame. Ex quibus liquet, quam verè allegato Apostolo dicente: *Si*
1. Cor. 15. *Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides vestra, inuenimur*
Epist. 8. *& falsi testes Dei,* ad D. Hieron. scripserit August. *Si quis Apostolo diceret, quid in hoc mendacio perhorrescis, cum id dixeris quod etiamsi falsum sit, ad laudem Dei maxime pertinet? nonne huius detestatus insaniam quibus posset verbis & significationibus, in lucem penetralia sui cordis aperiret, clamans non minore aut fortasse etiam maiore scelere, in Deo laudari falsitatem, quam vituperari veritatem?* Et infrà. *Cognoscis fluctuare autheritatem scripturarum diuinarum, vt in eis quod vult quisque credat, quod non vult non credat, si semel fuerit persuasum aliquos illos viros per quos no-* B
de mendacio c. ult. *bis hæc ministrata sunt, in scripturis suis officiose potuisse mentiri?* Et alibi. *Non est mentiendum in doctrina pietatis, magnum enim scelus est, & primum genus detestabilis mendacij.*

Hactenus ergò amicos suos fabrificatores mendacij Iob quidem affirmauit, & excurrendo, in talia mendacia inuectus est, nunc retrahit se ad propositum, & postulans silentium, prauorum, quæ dixerat, dogmatum ostendit falsitatem, dicitque. TACETE PAVLISPER, ET LOQVAR QVODCVMQVE MIHI, non caro, non passio, sed cui immediatè præsidet Deus, MENS SVGGESSERIT. Est autem istud: QVARE LACERO CARNES MEAS DENTIBVS MEIS? Quod vbi fecerit Iob, non inuenio, nisi quando bestiolas è sua foraminosa carne subinde decidentes, in eosdem specus ad pastum reposuit, vt ex Tertulliano in caput secundum diximus. Quod enim ver- C
miculi suis dentibus carnes Iob lacerauerunt id ipse sibi tribuit qui bestiolas in suæ carnis specus reposuit, eo sermonis genere quo Psalmus 26. dicit. *Dum appropiant super me nocentes vt edant carnes meas*, cum tamen Goliath nec Philistiim appetiuerint carnes Dauid comedere, sed eas auibus cæli & bestijs terræ vorandas exponere. Allegata itaque verba Tertulliani hæc verba Iob illustrant, & ipsa sententiam ipsius vicissim confirmant.

ET ANIMAM vitam MEAM temporalem PORTO IN MANIBVS MEIS, eam inter afflictiones has fouendo & conseruando: Portari enim dicitur quod in progressu sustentatur & fouetur, sicut scriptum est de Israël, ex
Deut. 32. Ægypto deserta transeunte, *Assumpsit eum atque portauit in humeris suis*: ET,
Num. 11. *porta eum sicut nutrix infantem.* Quærit ergo Iob, cur isthæc facio? & respondet, ETIAMSI OCCIDERIT ME, q. d. vsque dum occiderit me is qui est Dominus vitæ & mortis, IN IPSO SPERABO. Mihi enim vita fouenda est etiam in summis doloribus, vsque dum Dominus ei finem imposuerit; qui D
docuit acerba mitiganda & sufferenda spe futuræ retributionis: sicut scri-
Sap. 3. ptum est. *Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes tamen illorum immortalitate*
2. Mach. 7 *plena est.* Et Mater Machabæorum æquo animo ferebat internecionem *filiorum videre, ipsosque sua subire supplicia, propter spem quam in Deo habebat repositam.* Hunc sensum confirmat quod 70. & Græci pro ETIAMSI, legunt CERTE. Quod non conditionaliter, sed quid certo euenturum significat, ac si diceret Iob, Certe occiderit me, in ipso sperabo, Per id indicans spem
Psal. 68. hanc ad mortem vsque extendendam, sicut & Christus dicit. *Defecerunt oculi mei dum spero in Deum meum*, quia nec in morte in qua clauduntur oculorum lumina, spes Christo defecit.

VERVN-

A VERVNTAMEN, tametsi affirmem me tantam spem retributionis & coronæ sustinere, non ob id assero me à peccatis per omnia esse immunem, quia nihilominus, VIAS MEAS IN CONSPECTV EIVS ARGVAM, agnoscens & accusans quod coram illo in multis offenderim. Quod ipsum præ oculis habentes Machabæi in passionibus peccata sua confessi sunt, dicente Cypriano: *In sexto (* ex Machabæis fratre *) non virtus sola, sed & humilitas prædicanda est, nihil sibi martyrem vindicasse, nec confessionis suæ honorem superbis vocibus ventilasse, peccatis potius suis adscripsisse, quod persecutionem à Rege pateretur. Docuit debere Martyres esse verecundos & nihil in passione iactare: Nos inquit propter nosmetipsos hæc patimur peccantes in Deum nostrum.* Quocirca & alij Martyres Psalmo 65. singillatim dicentes, *Offeram tibi boues cum hircis*, proposuerunt se passiones suas oblaturos Domino in sacrificium innocentiæ, quod significatur in bobus, vt qui in passiones illas deuenerint propter iustitiam: B & in sacrificium pro peccatis sine quibus non vixerant. Quod significatur in hircis. *de exhort. mart. c. 11.*

ET IPSE, memor eius quod scriptum est, *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate*, ERIT SALVATOR MEVS, mediante remissione peccatorum, saluans me salute æterna. NON ENIM VENIET IN CONSPECTV EIVS, vt ipsum facie ad faciem videat, OMNIS siue vllus HYPOCRITA. Hypocritarum autem vnum genus est, quod præ se fert viuere, aut vixisse absque omni culpa. In illo igitur locum habebit quod dicitur, *Quæ spes hypocritæ si auarè rapiat, & non liberet Deus animam eius? Tollatur impius vt non videat gloriam Domini.* *1. Ioan. 1.* *infra c. 27.*

Ne tamen in hac materia silentio prætereatur prærogatiua Christi, qui, vt infra audiemus, passus est *absque iniquitate manus suæ, habens ad Deum mun-* *infra c. 16.*
C *das*, non autem à proprijs ipsum peccatis emundantes preces, adiungit Iob. AVDITE SERMONEM MEVM, ipsa interruptæ orationis exhortatione insinuans, se quippiam singulare dicturum, cui tam à dicente quam audiente præparanda sit peculiaris attentio, & dicit, AVDITE SERMONEM MEVM, ET ÆNIGMATA PERCIPITE AVRIBVS VESTRIS, obscuras allegorias meas, *AEnigma enim est obscura Allegoria*, inquit August. *Aut parabola*, inquit alibi. Saltem authore Hieron. indicat obscurum esse quod dicitur. Proinde Iob postquam dixit AVDITE, quod, iuxta distinctionem quam in primum caput Isaiæ dat Hieron. est, intelligite SERMONEM MEVM, ne forte amici non animaduertes ipsum hic loqui velle in persona Christi, aut ipsam ignorantes, arbitrarentur Iob ea quæ dicit, de se dicere, & omnimodam innocentiam sibi arrogare, adiungit, ÆNIGMATA PERCIPITE AVRIBVS VESTRIS, vt saltem sciatis me parabolicè, vel allegoricè loqui, & sic si non perueniatis ad D intelligentiam, saltem verba mea non intelligatis perperam. Ænigma autem quod dico istud est. *15. de Trin. c. 9. in Psa. 46. in cap. 17. Ezech.*

SI FVERO IVDICATVS, ab eo cui dicitur, *Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta*, reputante me ob peccata mea passum, sicut in persona Iudæorum dicit Isaias, *Nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum*, SCIO QVOD IVSTVS, ab omni peccato immunis INVENIAR. Quod nemo dixerit nisi Christus qui peccatum non fecit, & id de se per semetipsum euidentissime nouit. Prouocat proinde aduersarios hac in parte suos, & dicit: QVIS EST QVI IVDICETVR, siue vt Chaldæus legit CONTENDAT MECVM, Ausus mecum ad iudicium properare, & accusatoris partem contra me sustinere? Quod alijs verbis apud Isaiam dicens Christus, *Quis est*, inquit, *aduersarius meus*, qui nimirum audeat sustinere *Psal. 42.* *Isaiæ 50.*

nere me ob peccata mea pati? prout exponit Hieron. VENIAT, siue vt est A
apud Isaiam, *accedat ad me*, & coram iudice stemus simul.

QVARE TACENS, huiusmodi calumnias dissimulans, & in Dei iudicium non producens, CONSVMOR? Chaldæus EMORIOR, in fide nimirum & hominum existimatione. *Si enim est iniquitas in manibus meis, decidam merito*
Psal. 7. *ab inimicis meis*, redemptionis *inanis*, quia passio mea mihi cesserit in supplicium non in pretium. Est autem Christus iudicatus iustus per Isaiam, qui allegatis prius verbis accusatorum dicentium, *Putauimus eum leprosum & per-*
Isaie 53. *cussum à Deo, & humiliatum*, super ijs ex ore Iudicis Dei sententiam pronuncians, dicit, *Propter scelus populi mei percussi eum.* Et in tertia, sed Deum denotante persona, *Dabit impios pro sepultura, & diuites pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Quæ Dei iudicis sententia ne absque promulgatione maneret ignota, & sic tacitè consumeretur, vel fidei hominum emoreretur Christus, in primis palam facta est à Pilato dicente, B
Matt. 27. *Innocens ego sum à sanguine Iusti huius.* Exinde à latrone profitente, *Nos digna*
Luc. 23. *factis recipimus, hic vero nihil mali gessit*, & recepta est à populo fideli, in cuius
Isaie 53. persona proclamat Isaias, *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque nostrum in viam suam declinauit, & posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrum.* Huc vsque Ænigma.

Redit igitur Propheta ad propositum: nam locutus de spe, confessione,
1. Petr. 4. ac deprecatione Martyrum, eorumque, qui, quod Petrus dixit, *patiuntur secundum voluntatem Dei*, assumit personam peccatorum, ostendens qua formula illi damnationem debeant deprecari: Et quidem EORVM: Quomodo enim suo nomine diceret SCELERA MEA ATQVE DELICTA OSTENDE MIHI? qui tantum habet suæ innocentiæ testimonium, imo, contra amicos innocentiam suam constanter defendit? Peccatorum igitur nomine C dicit. DVO TANTVM NE FACIAS MIHI, ET TVNC A FACIE TVA, contuitu vultus tui, NON ABSCONDAR.

Primum est MANVM TVAM, æternùm castigantem, LONGE FAC A ME, ET FORMIDO TVA, quam incutiet vultus super facientes mala, NON ME
Luc. 22. TERREAT, ne cogar cum permultis, dicere montibus, *Cadite super nos, & col-*
Apoc. 6. *libus, operite nos, & abscondite nos à facie sedentis in throno, & ab ira agni.* Hæc ergo NE FACIAS MIHI. Inter ea vero, quæ rogo vt facias, est, VOCA ME,
Matt. 25. dicendo, *Venite benedicti Patris mei percipite regnum.*

ET EGO RESPONDEBO, mox adero TIBI, prout supra de resurrectione corporum paria verba exposuimus. Nisi malueris hæc referre ad responsionem quam commemorat Euangelium dicens: *Respondebunt illi iusti dicentes: Domine quando te vidimus esurientem*, &c. *& ministrauimus tibi?* Hoc ergo facias mihi: AVT CERTE, quandoquidem id prius factum oportuit, in hac vita, LOQVAR, ET TV, in conscientia mea, RESPONDE MIHI. QVANTAS D HABEO INIQVITATES, quæ Ambrosio sunt habitudines mentis iniustæ, ET PECCATA iniqua, vel iniusta opera. Quæ cum admittant discrimen SCELERA MEA, peccata commissionis, ET DELICTA, peccata omissionis in or-
Psal. 12. dine ad agendam de illis pœnitentiam, OSTENDE MIHI, *ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus præualui aduersus eum.* Frustra enim orauero, MANVM TVAM LONGE FAC A ME, ET FORMIDO TVA NON ME TERREAT, nisi ab his fuero te adiuuante expiatus.

Cum autem qui hæc petiuerat postulata, mox non acciperet, ad maiorem instantiam se conuertens, pulsare incipit, & dicit, CVR FACIEM TVAM tenebras nostras illuminantem & producentem de tenebris vmbram mortis, non

A mortis, non ostendendo mihi scelera atque delicta mea, ABSCONDIS: ET id agendo, ARBITRARIS ME INIMICVM TVVM? quia agis mecum quod cum tuis inimicis, magna enim ira tua non intelligere delicta; cum tamen in ordine ad pœnitentiam postulans, memetipsum mihi manifestari, ab inimicitia recedere incipiam.

Iniquitatibus vero atque peccatis meis mihi ostensis, *cum mihi de pristinis deprecandum sit vt dimittantur*; in deprecatione vero ex me nihil offerre valeam remissione dignum, conuerto me ad allegandum tibi infirmitates atque miserias meas, nam & illæ vocem suam habent auribus tuis non incongruam, & dico, CONTRA FOLIVM, QVOD VENTO RAPITVR, *Cecidimus enim quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos*: Contra rem itaque tam exiguam imbecillem & tantopere mobilem OSTENDIS POTENTIAM TVAM vindicatiuam, de qua scriptum est, *Videbis potentiam* Eccl. 21. Isaie 64. 2. Mach. 7.
B *eius qualiter te & semen tuum torquebit*; cum potentia non reddatur illustris per hoc quod exerceatur in infirmum, sed quod in potentem. ET STIPVLAM SICCAM, quæ ob leuitatem itidem vento rapitur dicente Isaia, *Dabit quasi stipulam vento raptam arcui eius*. Hominem ergo confitentem *quod ossa sua sicut cremium aruerunt*, atque adeo ipse medullitus, arueritque cor eius sicut fœnum: Talem dico stipulam, ad extremam vsque damnationem *in qua conuiuium pariter potantium*, inquit Nahum *comburetur, sicut stipula ariditate plena*; PERSEQVERIS: Sicut scriptum est, *Deus meus pone illos vt rotam & sicut stipulam ante faciem venti*, quasi dicat. Decet hoc tuam clementiam? Nequaquam. *Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur*. Isaie 31. Psal. 101. Naum. 1. Psalm. 82. Sap. 6.

His itaque verbis, quod capite sequenti dicet Ambrosius. *Excusatur culpa infirmitatis prætextu, atque illo titulo imploratur misericordia*. Quale quid & Da- 1. Reg. 24.
C uid fecit cum diceret Sauli, *Quem persequeris Rex Israël canem mortuum & pulicem vnum?* Persequeris inquam, SCRIBIS ENIM in libro tuo qui est vitæ vniuscuiusque, CONTRA ME in malum mihi AMARITVDINES, ex calice retributionis *cuius fæx non est exinanita* omnibus peccatoribus propinandas, de quo Isaias, *Amara erit potio bibentibus eam*. ET, iam in quadam animi tui præparatione, interitu sempiterno CONSVMERE ME VIS PECCATIS ADOLESCENTIÆ MEÆ. De qua Ambrosius. *Pulchrè id ætatis arripuit ad querelam, quæ magis lubrica esse consueuit. Habet enim pueritia innocentiam, senectus prudentiam, vicina adolescentiæ verecundiam delinquendi: adolescentia sola inualida est viribus, infirma consilijs, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa delicijs. In tanto igitur confragoso & scopuloso mundi huius turbine, cur tam crebra naufragia improuidæ adscribuntur ætati? vnde præclarè Dauid totius temporis illius veniam sibi à Domino postulauit, dicens: Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne* Psal. 74. cap. 24. Psal. 24.
D *memineris Domine*. Hæc Ambrosius, cui conformis Augustinus. *Crebra*, inquit, *peccata*, *Paucissimi enim sunt tantæ fælicitatis, vt ab ipsa ineunte adolescentia, nulla damnabilia peccata committant, vel in flagitijs, vel in facinoribus, vel in noxio errore, sed magna spiritus largitate opprimant, quidquid in eis possit carnali delectatione dominari*. 21. de ciu. c. 16.

His ergo verbis ad impetrandam clementiam allegatur lubrica ætas. Sed est & aliud quod auget miseriam, & prouocat miserationem, istud videlicet, POSVISTI, quia vt supra ex Bernardo diximus, non impediuisti IN NERVO, Augustinus legit compede, iuxta quod Ieremias in compedes missus, dicitur *missus in neruum*: Qui hic significat concupiscentiam: sicut & per PEDEM MEVM, designat suum affectum. Est enim concupiscentijs varijs, à quibus se expedire non valet, irretitus, &, teste D. Thoma magis Ierem. 20.

corru-

corruptus quam potentia intellectiua, propter quod facilius bona discimus A
quam præstamus. Et actionum nostrarum ob id nihilominus non incurius, OBSERVASTI OMNES totius conuersationis SEMITAS siue vias MEAS, ET VESTIGIA PEDVM MEORVM quæ semitis meis in scandalis aut non bonis exemplis impressa reliqui: Hæc dico CONSIDERASTI tanquam illa ad pœnam exacturus, *Væ enim mundo* non solum à personalibus peccatis verum etiam *à scandalis*. *Matt. 18.*

Quod ergo folio, stipulæ, similis factus sim, ætate lubricus insuper neruo compeditus, rigorem iudicij tui lentescere faciat, & mihi misericordiam prouocet: Accedente simul corporis corruptione, ratione cuius subiungitur, QVI QVASI PVTREDO in semetipsa tabescens, & vt cancer serpens, CONSVMENDVS SVM, ET QVASI VESTIMENTVM QVOD COMEDITVR, sensim corroditur A TINEA. Ad hunc enim modum à varijs ægritudinibus ipsum corpus sensim absumitur, vt animam diutius continere non B
valeat. Quæ omnia sequenti capite prosequens, ipsum Propheta orditur in hunc modum.

CAPVT XIIII.

HOMO NATVS DE MVLIERE, in ipso conceptu & ortu per tot vitiatæ naturæ contumelias volutatus, BREVI VIVENS TEMPORE, prout infrà latius declarabitur, REPLETVR MVLTIS MISERIIS, *eo quod laboriosa miseria destinata sit propago mortalium, non autem ita esset si humana natura in quo statu primum condita est, perstitisset*, inquit Augustinus. Caro enim quæ primo facta est, non erat caro peccati, in qua noluit homo inter delicias paradisi seruare iustitiam: *Vnde statuit Deus vt post peccatum propagata caro peccati, ad recipiendam iustitiam laboribus & molestijs niteretur*, inquit idem. C

6 cont. Iul. c. 9.

2. ad Marcell. c. 34.

QVI QVASI FLOS EGREDITVR. *Germinat enim vita viriditatem in specie, non in fructu soliditatem; hilarioris vitæ quasi flos prætendens iucunditatem:* ET CONTERITVR: *Quæ enim firmitudo in carne, quæ salubritas potest esse diuturna? Hodie videas adolescentem validum, pubescentis ætatis virtute florentem, grata specie, suaui colore, crastina die tibi facie, & ore mutatus occurrit: & qui pridie tibi lautissimus decore formæ visus & gratia, alio die miserandus apparet, ægritudinis alicuius infirmitate resolutus. Plerosque aut labor frangit, aut inopia macerat, aut cruditas vexat, aut vina corrumpunt, aut senectus debilitat, aut eniratos deliciæ reddunt, luxuria decolorat. Nonnè verum est quod flos decidit?* inquit Ambros. Similiter Hieron. *Pulchra mulier quæ adolescentulorum post se trahebat greges, arata fronte contrahitur: & quæ prius amori, postea fastidio est. Quod & egregius apud Græcos scribit Orator: speciem corporis aut tempore deficere, aut languore consumi*, hæc Hieron. D

3. Hexam. c. 7.

in cap. 40. Isaiæ.

ET FVGIT, per horarum enim momenta crescimus, & decrescimus, *ipsumque quod loquimur, dictamus & scribimus de vita nostra parte, præteruolat*, inquit ibidem Hieron. VELVT VMBRA, de rebus præsentibus plus fælicitatis imaginatus, quam assecutus, sicut scriptum est *in imagine*, quam sibi de rebus huius sæculi fingit & commentatur, *pertransit homo*. *Psal. 38.*

ET NVNQVAM IN EODEM STATV PERMANET. *Neque enim mente, neque corpore ijdem continuo & similes nobis existimus. Sed corpus quidem nostrum semper fluxum ac deciduum ex assidua redditur motione & immutatione, quam Angeli non patiuntur. Nullus enim apud illos puer, neque adolescens, neque senex, sed in quo ab initio creati sunt statu, in hoc perpetuo remanent, seruatâ simplici, & eadem immutabili*

A *tabili propria natura substantia: nos autem mutamur, quod quidem secundum corpus ostendimus, secundum vero animam & interiorem hominem, continuo etiam vna cum accidentarijs rerum euentibus sententias mutamus. Alij namque sumus lætitia & gaudio perfusi, dumque res cuncta ad vitam hanc expetenda proueniunt secundiore flatu: Alij calamitatis tempore. Mutamur iracundia, mutamur concupiscentijs, astutia, impudentia. Viden', quam variegata sit ac multiformis nostra immutatio?* inquit Basilius. Contra quam animi mutabilitatem attendenda sunt verba Ambros. *Sicut Deus vnus est, & sibi semper similis, ita tu assuesce vnus esse.* Interim Bernardus alio trahit hanc sententiam, ex ea probans fieri non posse, quin homo fiat aut melior, aut deterior, *quia qui in medio statu vult permanere, conatur,* inquit, *quod fieri non potest, quia de homine peculiariter scriptum, Nunquam in eodem statu permanet.* Præfat in Psalm. 34. & in Psal. 39. Epist 3. Epist. 254.

ET DIGNVM DVCIS SVPER HVIVSCEMODI, *qui est deciduus*
B *vt folium, siccus vt stipula, lubricus adolescentia, compeditus concupiscentia, complexione tabidus, miseria plenus, affectu mutabilis,* APERIRE OCVLOS TVOS, ad perscrutandam ipsius iniquitatem, ET ADDVCERE EVM TECVM IN IVDICIVM, secundum rigorem tuæ iustitiæ iudicandum, & non magis multiplex ipsius infirmitas tuam circa ipsum implorabit clementiam, & impetrabit misericordiam? Quem sensum in his verbis latere obseruauit Ambrosius dicens: *Excusatur culpa infirmitatis prætextu.* Quod & circa verba capitis superioris allegauimus. Opponit autem Cyrillus. *Dicet opinor ad hoc quispiam. Quid? Criminisnè loco impingis Deo quod eius qui deliquit non miseretur? Culpasnè legislatorem quod peccatorum meminit? Etiam inquit, Etenim si fieri potest vt nullo pacto mens humana præuaricetur, inquirat exactissime Iudex, obsignet iniquitates velut in crumena, deneget obliuionem ijs qui ipsum aliquando inopinatò offenderunt. Si enim plurimum impingimus omnes, &*
C *prorsus inculpabilem esse ipsi competat soli, delictorum obliuionem largiatur ijs, qui imbecilles esse consueuerunt: Decet namque supremas excellentias vt sereno sint, & placido animo.* Hæc Cyrillus. 1. de interp. c. 6. Apol. ad Theos.

Quantopere autem impingimus omnes explicant Septuaginta cum subiungunt QVIS MVNDVS ERIT A SORDE? SED NVLLVS, SI ET VNVS DIES VITA EIVS IN TERRA: Quod non nisi ratione peccati originalis iuxta expositionem Augustini, intelligere necesse est. Quomodo enim cuius vnius diei vita est super terram propria actione peccabit? Proinde idem alibi expresse legit, neminem mundum à sorde, nec infantem cuius est vnius diei vita super terram. Si ergo tantopere impingimus omnes, & prorsus inculpabilem esse soli competat Deo; apud ipsius clementiam venia superest fragili vniuersitati. Et eo magis, quia, QVIS POTEST FACERE MVNDVM DE IMMVNDO CONCEPTVM SEMINE? NONNE TV QVI SO-
D LVS immutabiliter & indefectibiliter ES? Si ergo id nemo potest, restat vt tu per clementiam tuam non solum ignoscas peccatori si pæniteat, sed insuper adiuues vt pæniteat, & mundetur ab omni tam orginali quam actuali peccato, IMMVNDO, inquit, SEMINE. *Ex quo manifestè accipi potest, quod ex immunditia humani seminis, aliqua immunditia ad hominem ex semine conceptum perueniat,* inquit Diuus Thomas. Sed eludebat Pelagianorum Demosthenes, inquit per ironiam Hieronymus, exponendo verba Prophetæ de sordibus pannorum infantilium, non vitijs peccatorum, eo quod dicat Iob, Quis mundus A SORDE, non autem A PECCATO. Quam elusionem tametsi Hieronymus tantummodo dicat ridiculam, eo quod ob tales sordes, non rectè dixeris Deo, Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine nonne tu qui solus es? quia 1 ad Marcell. c. 10. 5 cont. Iul. c. 9. 4. cont. gent. c. 50. 2. adu. Pelag. c. 2.

à corporalibus ſordibus abluit atque emundat obſtetrix & quæuis alia A fæmina.

2. de nupt. & conc. c. 29. Nihilominus Auguſtinus probat verba Iob intelligi debere de ſorde peccati, *quia id ipſa*, inquit, *lectio indicat, vbi prorſus apparet, vnde loquitur.* Quod etiam Thomas obſeruauit ex eo quod præceſſit, dignum ducis adducere eum tecum IN IVDICIVM? In iudicium enim non vocantur ſordes pannorum, aut corporum, ſed peccatorum. Subiungit in idipſum Auguſt. *Apud* *Cap. 3.* *Prophetam Zachariam vbi auſertur à Sacerdote veſtis ſordida, dicitur ei, ecce abſtuli peccata tua.* Quibus verbis explicatur per SORDES peccata debere intelligi. *eiuſdem lib. c. 8.* Et alibi, *Neque nunc agitur de natura ſeminis humani, ſed de vitio, illa quippe habet Authorem Deum, ex iſto autem trahitur originale peccatum. Nam ſi ſemen ipſum* *Sap. 12.* *nullum haberet vitium, quid eſt quod ſcriptum eſt in libro Sapientiæ: Non ignorans quoniam eſt nequam natio illorum, & naturalis malitia ipſorum, & quoniam non poteſt mutari cogitatio illorum in perpetuum, ſemen enim illorum erat maledictum ab* B *initio? Nempe de quibuſcumque dicat iſta, de hominibus dicit: Quomodo eſt ergo cuiuſlibet hominis malitia naturalis, & ſemen maledictum ab initio, niſi ad illud re-* *Rom. 5.* *ſpiciatur quod per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & ita in omnes ho-* *6. cont. Iul. cap. 4.* *mines pertranſijt in quo omnes peccauerunt?* Si, vt apud Auguſtinum, dixerit Pelagianus, Qui fieri poteſt vt res arbitrij miſceatur ſeminibus? Reſpondebo rem arbitrij, cuiuſmodi eſt peccatum completè dictum, non miſceri ſeminibus, Iam enim ante infuſionem animæ rationalis, peccatum originale reſideret in Embrione. Sed, quemadmodum peccante quolibet homine caro & corpus ipſius contaminatur peccato, diciturque caro, & corpus peccati, idipſum de ſemine tenendum eſt, quod videlicet ad modum quo corpus & membra in peccantibus ſingulis, ita in primo peccante, vt humani generis principio, etiam ſemen infectum ſit, habeatque in ſe vim *1. de nupt. & concup. cap. 33.* quandam occultam vnde ſeminetur oleaſter, inquit Auguſtinus. Vnde ni- C mirum peccatum ad animam, in qua peccatum tantummodo formaliter & principaliter reſidere poteſt, perueniat. Et ſic anima Embryoni indita, *5. cont. Iul. cap. 3.* in eo, quod dixit Auguſtinus, *tanquam in vitioſo vaſe corrumpitur.* Non quaſi in ſemine huiuſmodi corruptionis ſit aliqua vis peccati effectiua, tanquam *in cap. 5. ad Rom. lect. 4.* cauſa per quam, ſed tanquam cauſa ob, ſiue propter quam, dicente Thoma: *Licet in ſemine non ſit anima, eſt tamen in ipſo virtus diſpoſitiua corporis ad animæ receptionem, quæ cum corpori infunditur, etiam ei ſuo modo conformatur, eo quod omne receptum eſt in recipiente per modum recipientis.*

Quibus verbis non obſcurè ſignificat Aquinas axioma illud phyſicorum; atque adeo illam naturæ legem locum habere in generationibus rerum non ſolum quoad qualitates naturales earumue defectus aut corruptelas, ſed æquè quoad qualitates ſpirituales tam in malum quam in bonum. Cum igitur ante lapſum per rectitudinem totius hominis ſemen eſſet mundum & ſanctum, vt, cum animandus foret fœtus, receptum eſſet D in recipiente per modum recipientis, creanda erat in corporali materia anima munda & ſancta. Poſtquam verò ſemen à lapſu factum eſt immundum, pro qualitate recipientis creatur in materia præparata, anima originali iuſtitia deſtituta. Iuſtitia autem originalis requirit rectitudinem interioris & inferioris hominis quæ quoad interiorem hominem, cum inhabitante Spiritu Sancto conſiſtit in charitate ipſiuſque fructibus: quoad hominem verò inferiorem conſiſtit in naturalium affectionum ſubordinata temperie, quia iuſtum erat vt homo à Deo conditus nihil haberet inordinatum aut tumultuoſum, ſed ſicut ipſe erat ſubditus Deo, ita inferiora ipſius non coactè ſubderentur vnius & eiuſdem ſuppoſiti ſuperioribus:

Admiſſo

A Admiſſo igitur primo peccato, *Spiritus Sanctus*, quod docuit Cyrillus, *à natura humana receſſit & coharenter iuſtitia hominis interioris*. Sed quia iuxta Auguſtinum Deus non ſic punit iniquitatem, vt naturæ perimat dignitatem, naturales appetitus & cupiditates humanæ naturæ puta generandi atque paſcendi non abſtulit; ordinem tamen quem per iuſtitiam originalem habebant ad ſuperiora non conſeruauit, & ſic euenit vt cupiditates ſeu affectiones Deo deſerente conuerſæ ſint in concupiſcentias. Concupiſcentia autem eſt appetitus inordinatus, per quem, vt Auguſtini verbis vtar, ſuperiora inferioribus turpiter ſeruiunt, aut inferiora ſuperioribus contumaciter reluctantur. Hac itaque ratione Auguſtinus & Aquinas dicunt, concupiſcentiam eſſe peccatum originale, non quaſi ratio peccati illius tota conſiſtat in concupiſcentia, ſed tantum pro parte hominis inferioris, cum pro parte hominis interioris ſtet in priuatione Spiritus Sancti & iuſtitiæ B ſupernaturalis. Quocirca peccatum originale conuenienter dicitur iuſtitiæ originalis priuatio, quia ſermo ille complectitur totum illius peccati ambitum: nuditatem nempe hominis interioris & vitium inferioris. Vtrumque autem iuſtitiæ originali repugnare iam declaratum eſt. Non igitur concupiſcentia homini lapſo ſuperadditur aut forinſecus infunditur, ſed appetitus hominis à principio ordinatus, manente ipſius ſubſtantia, ablato ordine in concupiſcentiam conuertitur, & quidem iuſtè, imputatur homini in peccatum, eo quod infectio, quam diximus, ſeminis, originem habeat ex malo vſu liberæ voluntatis, proinde quidquid vitij inde ſequitur, per reſpectum ad voluntatem originantem, pro vitij diuerſa ratione, vel peccati, vel pænæ rationem ſortitur; Nec obſtat quod vitium non ſit vnicuique perſonali voluntate voluntarium, quia contractum eſt, cum adhuc omnes eſſent in vno: Proinde quemadmodum ſingulatim vnaquæque voluntas domina-B tur animæ viribus, & corporis membris, eaque mouet, & per quandam redundantiam ac communicationem ſanctitate, vel iniquitate imbuit; ita in primo generis humani principio vna illa voluntas dominabatur virtuti, quâ, Adam iuxta Sapientem, *continebat omnia*, in ſemine nimirum ac ſeminali virtute, vt proinde quidquid vitij in ſemine aut propagatione, à voluntate illius qui virtute continebat omnia, cenſeatur omnibus qui in illo erant, voluntarium: dicente Apoſtolo, quod ex illo vno omnes non ſolum peccatum acceperint, ſed etiam in ipſo peccauerint, nec dico id prouenisse ab extrinſeca quapiam conſtitutione Dei, quaſi ipſe conſtituiſſet & protoplaſto prænunciaſſet ſe ipſo peccante omnes poſteros ipſius habiturum peccatores tanquam qui in illo omnes peccauerint: nam præterquam quod talis conſtitutionis ac denunciationis nullum extet in ſcripturis vel veteribus veſtigium, omne peccatum, vt tale ſit, debet à cauſa peccanti intrinſeca atq; D adeo à peccatore, non tantum Deo imputante procedere. *Alioqui enim quomodo iudicabit Deus hunc mundum, aut ſe à tyrannide vindicabit?* Itaque peccatum originale conſequitur inſtitutum naturæ, dicente Auguſt. *quod natura in Adam vitiata per omnes iam naturaliter cucurrit, & currit.*

Qua explicatione poſita, quæritur cur ergo peccata proximorum parentum non tranſeant in poſteros? reſpondetur, quia in naturam non habet actionem niſi principium quod vniuerſam naturam in ſe continet, ſic vt omnes ex illo; Quod obſeruaſſe videtur Ambroſ. ſcribens, *Peccatum ab Adam: ex illo culpa ex quo & Eua, ex illo præuaricatio, ex quo & humana conditio*: vſque-adeo, vt ne quidem Eua tametſi mater omnium viuentium, fuerit abſolute generis humani principium, & ob id ex ipſa, tanquam virtute vniuerſam naturam non continente & ea de cauſa actionem in naturam non habente,

De incarn. ving. c. 1.

Sap c. 10.

ad Rom. cap. 3.

2. de nupt. & concup. c. 9.

De Tobia c. 23.

habente, non potuerit traduci originale peccatum. An dicturi sunt quod A
saltem posteriora Adæ peccata, potuissent inficere posteritatem, vel corruptionem naturæ primo peccato contractam aggrauare? quale quid D.
Sent. 306. Prosper tribuit peccatis proximorum parentum cum dicit; *Sicut quidam Parentes aggrauant originale peccatum, ita quidam releuant.* Respondebit D. Tho-
in cap. 5 ad Rom lect. 3 mas, *quod licet primum peccatum primi parentis per originem traducatur in posteros, alia tamen eius peccata vel etiam aliorum hominum in filios non traducuntur, quia per solum primum peccatum sublatum est bonum naturæ quod erat per originem naturæ traducendum.*

Pergit autem Iob particulatim explicare, quàm homo natus de muliere breui viuat tempore, & dicit. BREVES, numero, DIES HOMINIS humani generis SVNT, in illis nimirum qui vno aut altero tantum viuunt die. Qui sensus videtur litteralis, eo quod Septuaginta hæc verba verterint, si fuerit VNIVS DIEI vita super terram: Inde enim claret breuitatem hic ab vno die B
dici debere. Quin & BREVES DIES HOMINIS SVNT, in illis qui tantum per horas aliquot vnius diei vitam trahunt.

NVMERVS MENSIVM EIVS, in ijs qui per menses viuunt, & non per annum, APVD TE, in præfinito, EST. Quin & si vita complurium anno-
Psal. 89. rum ipsi fuerit, ad summum, *dies annorum nostrorum septuaginta anni, & si in potentatibus octoginta anni*, vsque adeo vt siue vno die, siue aliquot mensibus, siue compluribus annis vixerit homo, inueniatur breui vixisse tempore.

CONSTITVISTI *in complexione corporis ipsius, causisque naturalibus*, inquit
in hunc locum. Thomas, TERMINOS vitæ temporalis EIVS, QVI PRÆTERIRI NON POTERVNT. *Poterunt autem ex aliqua causa accidentali*, inquit Thomas, *præueniri.* Nam dicit Augustinus, *quod potuerit corpus Christi, senescendo venire in*
2. ad Marcell c. 29. *mortem, nisi iuuenis fuisset occisus.* Et dicit Psaltes, *Impij non dimidiabunt dies* C
Psal. 54. *suos.* Et monet Sapiens, *Noli esse impius multum, ne moriaris in tempore non*
Eccl. 7. in cap. 38. Isaie. *tuo.* Hieronymus autem hos terminos non in complexione humanorum corporum ponit, sed in voluntate Dei, ait enim, *fati quæstio soluitur & necessitatis vincula atque causarum, quod nequaquam dies mortis singulis præstituta sit: sed voluntate Dei, & ignotis mortalibus causis, vel viuat aliquis, vel moriatur.* Hæc Hieronymus. Iuxta cuius sententiam termini vitæ, nec præueniri poterunt, nec præteriri, dicente Thoma, Terminos præstitutos secundum diuinam prouidentiam sub qua omnia cadunt, nec in plus, nec in minus vita hominis potest præterire.

RECEDE ERGO, attenta videlicet vitæ humanæ breuitate in qua comparanda erit beatæ vitæ æternitas. Recedere autem est manum affligentem
1. Reg. 6. auferre, dicentibus diuinis Philistinorum, *Scietis quare non recedat manus eius à vobis.* Cum ergo hic dicit RECEDE PAVLVLVM AB EO, idem est, D
quod, mitiga præsentis vitæ ærumnas, & plagas; nam eas per omnia auferendas non esse habet sibi persuasum. Recede inquit, VT QVIESCAT, & ab intemperie malorum nonnihil ferietur, *Asperrimi enim iugi pondera non ita in Adæ filios irruerunt, vt diuina iustitia nihil eis suæ dimensionis adhiberet, quæ defectionum legibus ita defectura subiecit, vt ab eis moderationum suarum non auerterit potestatem. Ideo omnia omnes inciderent mala, quia per communem conditionem omnes omnibus subiacerent: Sed vt generali necessitate variata, causas sibi Dominus indulgentiæ, correptionisque seruaret, essetque in vno omnium debito, quod*
De vocat. gent lib. 2. cap. 12. *& misericors remitteret, & iustus exigeret*, inquit Prosper. Quam suam doctrinam hausisse videtur à Beato Augustino scribente: *Non vultis, ô Pe-*
3. contra Iul. c. 4. *lagiani, fateri genus humanum ex initio quo deseruit Deum, trahere damnatæ*

originis

A *originis noxam omnibus dignissimam pœnis, nisi vbi parcit ratione dispositionis occultæ, inscrutabilis sapientia conditoris.* Itaque hæc oratio coincidit cum illa Ieremiæ, *Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore*, id est, *consideratione, atque mensura fructuosi palmitis*, inquit Alexandrinus, quantum videlicet mihi expedit ad fructificandum, ne fortè, per intemperiem malorum, ad nihilum redigas me, *quia in diluuio aquarum*, siue immodica inundatione tribulationum multarum, *ad eum non approximabunt.* Id autem, non ad horam, aut tempus aliquod definitum, sed DONEC OPTATA futuræ quietis dies VENIAT, quæ quandoquidem *retribuet vnicuique secundum opera sua*, simul dicitur, DIES MERCENARII illius nimirum qui ex denario diurno conductus, spe, inter cætera, mercedis, *sustinuit pondus diei & æstus.*

Cap. 10. *10. in Ioa. c. 14.* *Psal. 31.* *Mat. 20.*

Cæterum præter hoc quod termini, vt dictum est constituti non poterunt præteriri, Accedit, quod vita sic terminata, humana virtute, aut industria nullatenus repeti poterit, aut recuperari. Qua in parte deterioris conditionis homo est arboribus, quia, LIGNVM HABET SPEM, quia de ligno hominibus superest spes, quia SI PRÆCISVM FVERIT à radice, RVRSVM VIRESCIT, nam quas in sua radice reseruarat vires, & viuacitatis reliquias, iterum exerit, ET, per id, RAMI EIVS PVLLVLANT. Vnde si, præ vetustate, SENVERIT IN TERRA RADIX EIVS, ET etiam absque vetustate, IN PVLVERE, gleba arida & infæcunda, EMORTVVS FVERIT TRVNCVS ILLIVS, AD ODOREM AQVÆ GERMINABIT, quia, humore vel modicè percepto, vires resumit, ET, humectatione perseuerante, tandem FACIET in suis folijs COMAM QVASI CVM PRIMVM PLANTATVM EST.

B

B Quod quidem simpliciter verum est de ligno per ariditatem suæ terræ penè emortuo, non tamen habet locum in radice, quæ emarcuerit vetustate, nam vt reuiuiscat eget quidem irriguo, sed id non sufficit, nisi per nouellationem altius defossum nouas egerit radices, & tum accedente irrigatione iterum excrescit, Et sic quidem tot modis alteratum, aut penè emortuum reuiuiscit lignum: HOMO VERO, CVM ante terminos sibi in naturæ complexione præfinitos per violentiam occisus, MORTVVS FVERIT velut lignum à radice præcisus; aut præ ætate, vt antiquata radix in terra, per semetipsum emortuus; aut præ egestate, & inopia vt lignum in puluere arefactum, fuerit extinctus, ET NVDATVS, nudus reuersus in terram tanquam maternum ventrem omnium, ATQVE, in terra, CONSVMPTVS, VBI QVÆSO EST? An adhuc in ipsius ossibus, cineribusque quippiam superest animæ, vt adhibita cura, & ope possit ad vitam reuocari,
D prout lignum variè debilitatum posse, iam declaratum est? nequaquam. Quia homo mortuus non potest vel vlla in parte comparari ligno, de cuius varia amortisatione iam audiuimus.

Sed QVOMODO SI RECEDANT AQVÆ DE MARI, ET FLVVIVS VACVEFACTVS ARESCAT, talis est causa demortui hominis. Nam sicut aquæ de mari, vacuefacto & arefacto flumine, recedunt omni ex parte, nullo in alueis vnde reparari queant humore relicto, ita in morte hominis à corpore ipsius quasi quodam alueo anima recedit tota, sic vt nihil ipsius immaneat demortuo corpori, vnde vita temporalis humanitus possit reparari. Per quæ destruitur sententia Democriti, cuius meminit Tertull. qui teste Plinio asseruari voluit defunctorũ corpora, eo quod reuiuiscenda promitteret, opinatus animas, aut saltem animarum reliquias à morte corporibus inhærere: *De anim. cap. 51.* *Plin. l. 7. c. 55.*

quale quid & Platonem fuisse opinatum, refert ibidem Tertull. ex eo, quod A cuiusdam insepulti cadauer longo tempore sine vlla tabe *præ animæ*, inquit, *indiuiduitate, fuerit seruatum.*

Quid ergo? Nunquam resurget homo? Nunquam, ex residuis sibi à morte viribus, vel animæ reliquijs, quantacumque hominum industria adhibita. Imo ne quidem per eum qui resuscitat mortuos, & quos vult viuificat resurget homo, DONEC ATTERATVR COELVM NON EVIGILABIT, NEC CONSVRGET DE SOMNO SVO. *Neque enim quotidie resurgunt mortui, sed in vnum illum diem decreta est resurrectio*, inquit Epiphanius. Atteratur inquit cœlum, per quod significat cœlum non substantia, sed figura alterandum: quod enim atteritur, salua substantia quibusdam adhærentibus defricatur.

In ancora-tu.

Cognito autem per Spiritum Sanctum, quod Filius Dei non solum veniret in terras, sed etiam descensurus esset ad inferos, & mortuos resuscitaret, inquit Ambros. *tanquam suæ resurrectionis*, inquit Tertull. *appendices*, & *reparatæ quædam liba naturæ*, inquit Ambrosius: Ne alioquin resurrectio reponeretur inter prærogatiuas Christi non transitura ad cæteros, sed vt resuscitatio Patrum foret exemplum, reliquorum in fine mundi resuscitandorum, conuersus ad Dominum, ait Iob, QVIS MIHI HOC TRIBVAT, VT IN INFERNO PROTEGAS ME, à supplicijs & igne damnatorum, vt tametsi in eiusdem nominis, & tractus loco, non sim tamen in damnatorum igne, atque profundo; *Donec enim veniret desideratus ille qui sanguine suo deleret chirographum damnationis nostræ, & flammeum accingens gladium, aperiret credentibus regna cælorum, nullus omnino cuiquam sanctorum ad ea patebat accessus, sed prouiderat eis Dominus in inferno ipso locum quietis & refrigerij chaos magnum firmans inter sanctas illas animas, & animas impiorum. Quamuis enim vtraque in tenebris essent, non vtraque erant in pœnis, sed cruciabantur impij, iusti vero consolabantur. Hunc ergo locum obscurum quidem, sed quietem, sinum Abrahæ Dominus vocat, pro eo vt arbitror, quod in fide, & exspectatione quiesceret Saluatoris*, inquit Bernardus. B C

1. de inter-pret. c. 8. De anim. c. 55. Serm. 74. Luc. 16. Serm. 4. de omnibus Sanct.

ET ABSCONDAS ME, in illo animarum receptaculo, ab hominum aspectu, accessu, atque congressu secluso: Cuiusmodi animarum receptaculum factum est cœlum post Christi ingressum, nam de illo dicit Isaias. *Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum donec pertranseat indignatio.* Per quæ cubicula Tertull. quidem intelligit sepulchra: Sub his tamen oportet etiam comprehendere mansiones cœlestes, in quibus vsque ad manifestationem diei iudicij recluduntur animæ, quæ meruerunt censeri in populo Dei, Ire enim, ostia claudere, mandatum id faciendi accipere, animabus competunt, non corporibus, quorum est in cubicula sua deferri. Quas cœlestes mansiones rectè etiam appellaueris CELLAS PROMAS, nam vt cineres, & ossa ex sepulchris, ita ad resurrectionem depromendæ sunt animæ *electorum à summis cælorum vsque ad terminos eorum.* Attento itaque quod cellis istis per scripturas asscribatur absconsio, Augustinus scribit animas, per tempus quod inter hominis mortem & vltimam resurrectionem intercurrit, *abditis receptaculis contineri*, sicut vnaquæque digna est vel requie vel ærumna. Abditis, inquit, non quasi incognitis, & à cœlo atque inferno celebriter noto distinctis, sed abditis quia aspectui & gressui nostro inaccessis, ex quibus tempore iudicij ad resurrectionem prodibunt, & se rediuiuos in viuentium aspectum & consortium dabunt. Sub quibus tamen receptaculis etiam purgatorium comprehendi manifestat illud August. *Qui agrum non coluerit & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, & post hanc vitam* D

Cap. 26. De resurrect. c. 27. Mat. c. 24. Enchrid. c. 109 & ad Dulcitum, quæst. 2. & in Psal. 36. concl. 1. 2. De Gen. cont. Manich. c. 15.

A *vitam habebit, vel ignem purgationis vel pœnam æternam.* Abſcondas itaque me, DONEC, te per mortem filij tui tanquam per cauſam ſatisfactoriam & meritoriam reconciliato, PERTRANSEAT FVROR TVVS, qui ad id vſque tempus in mundo deſeuierit.

ET CONSTITVAS MIHI TEMPVS IN QVO, ante communem reſurrectionem RECORDERIS MEI, per temetipſum deſcendendo ad infernum, & me cum reliquis ad immortalitatem ſuſcitando, & è clauſtris illis, educendo. His enim verbis Iob prophetat quod in paſſione Domini reſuſcitandus foret, inquit Ambroſ. De qua recordatione Irenæus allegat Ieremiæ verba hæc: *Recommemoratus eſt Dominus ſanctus Iſraël mortuorum ſuorum qui prædormierunt in terra defoſſionis, & deſcendet ad eos vt euangelizaret eis ſalutare ſuum ad ſaluandum eos.* Quæ quidem verba nunc apud Ieremiam non inueniuntur, eo quod ſi Iuſtino credimus, *Iudæi arguantur illa reſecuiſſe*, attamen coincidunt cum verbis Petri. *His qui in carcere erant ſpiritu, per animam corpore, ſolutam prædicauit, quia illis ſuum aduentum euangelizauit, remiſſam peccatorum exiſtentem his qui credunt in eum* inquit Irenæus. Quod enim nos legimus PRÆDICAVIT Irenæus legit EVANGELIZAVIT, & à Iuſtino exponitur idem eſſe quod læto eis ſignificauit nuncio ſalutare ſuum. Cauſam autem ob quam Propheta hæc tantopere exoptet aſſignans Ambroſ. dicit, *Sanctus in iudicium mauult reſurgere, quam in tempus diuinæ iracundiæ, quæ terribilis etiam innocentibus eſt.* Nam dicit Baſil. *Terram omnem terror vndique occupabit. Angore, & horrore corripietur omnis creatura, ſudorque anhelus & inexplicabilis coorietur. Ipſi etiamnum iuſti prætrepidi & anxij pro ſententia quæ tandem proferetur. Abraham & ipſe tum aderit non ſine agonia, non quaſi veriturus ne in gehennam condemnetur, verius, quemnam inter iuſtos ſortiturus ſit ordinem, primumue, an ſecundum, an tertium.* Quam ſanctorum ſententiam commemorans Hieron. dicit, *Alij aſſerunt quamtumuis ſanctos viros morte terreri propter incertum iudicij, & ignorationem ſententiæ Dei, quam ſedem habituri ſint.* Pergit vero Iob, PVTASNE, ſecundum hominem loquor, MORTVVS HOMO RVRSVM VIVAT? Tantum abeſt, vt Athenienſium quidam auditam à Paulo reſurrectionem mortuorum irriſerint, dicente de illis Tertull. *Nationes præconium reſurrectionis inaudita retro, ipſa nouitate percuſſit. Alij vero dixerunt, Audiemus te de hoc iterum,* de quibus ſubiungit Tertell. *Digna incredulitas rei tantæ, quæſtionibus fidem torquere cepit.* Cæterum, tametſi ſecundum hominem reſurrectio mortuorum, aut omnino, aut penè incredibilis habeatur, poſito quod votum quo dixi, Conſtituas mihi tempus in quo recorderis mei, mihi non cederet in rem, reſurrectio ſaltem generalis, quæ fiet quando attereturcœlum, mihi certo exſpectatur. Quia, CVNTIS DIEBVS, QVIBVS NVNC MILITO, vitam duco quæ eſt militia ſuper terram, EXSPECTO DONEC VENIAT, non dico reſurrectio, quid enim mihi prodeſſet reſurrectio de qua vnus ſeptem Machabæorum carnifici, *tibi reſurrectio ad vitam non erit*, cum ſit quidem bonum naturæ & totius vniuerſi, ſed in ſupplicium extendatur filijs mortis ſecundæ? Exſpecto igitur in ſubleuamen laborioſæ militiæ meæ, donec veniat IMMVTATIO MEA, reſurrectio nimirum cum immutatione coniuncta de qua Apoſtolus, *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur, vt quod ſeminatum fuerit in ignobilitate ſurgat in gloria, & corpus animale tranſeat in corpus ſpiritale.* Hæc enim ſpes alit agricolas. VOCABIS ME, per tubam nouiſſimam dicente Chriſto, *omnes qui in monumentis ſunt audient vocem filij Dei:* ET EGO RESPONDEBO TIBI, quia *in momento in ictu oculi* mox adero rediuiuus, quemadmodum apud Baruch *ſtellæ*, ad eſſe *vocatæ*, abſque cunctatione *dixerunt, adſumus.*

[Margin notes: 1. de interpret. c. 8. — l. 4. c. 39. — 1. Petr. 3. — ibid. c. 45. — aduerſus Tryphon. — 1. de interpret. c. 8. — Hom. 11. Hexam. — in cap. 38. Iſaiæ. — Act. 17. — De reſurrect. c. 39. — 2. Mach. 7. — 1. Cor. 15. — Ioan. 5. — Cap. 3.]

OPERI MANVVM TVARVM, de quibus suprà, Manus tuæ fecerunt me, A
PORRIGES, reformatricem & perfectricem DEXTERAM. *Grandis enim prærogatiua est in rebus humanis, vt aliquis operibus & beneficijs faueat suis: Nec meritum spectet alienum, sed in sua gratiæ munus intendat, ne videatur abrogare quod ipse donauit*, inquit Ambrosius.

Serm 10. verf. 1. in Psa. 118. Heb. 12.

TV QVIDEM GRESSVS MEOS DINVMERASTI, SED quia multis partibus non impleui quod dicitur, *Gressus rectos facite pedibus vestris*, per indulgentiam PARCE PECCATIS MEIS.

1 de interpret. c. 8.

SIGNASTI QVASI IN SACCVLO loculo clauso & mihi non perspecto DELICTA MEA quæ sunt peccata omissionis siue ignorantiæ: nam Ambros. legit signasti si quid INSCIVS prætermisi. SED indulgendo & sanando CVRASTI INIQVITATEM MEAM. Qui sensus lectioni nostræ obuius est, præsertim cum aduersatiua SED inter signare & curare requirat oppositionem & quandam aduersitatem. Cæterum pro CVRASTI 70. legunt ANNOTASTI. B Cum vero oporteat diuersas interpretationes quantum fieri potest in vnum & eundem sensum deducere, vt id hoc loco fiat, opus est CVRARE, huius loci intelligere, vt idem sit quod ACCVRATE OBSERVARE, atque adeo idem quod SIGNARE, Non tamen in sacculo, quia id ignorantijs tribuitur. Hæc vero particula procedit de transgressionibus conscientiam non fugientibus. Curasti ergo siue cum cura obseruasti INIQVITATEM MEAM, per transgressiones admissam, non solum eas quas corde pleno & animo volente admisi, sed & SI QVID INVITVS, legunt 70 TRANSGRESSVS SVM. Cui non obstat aduersatiua, nam SED, aliquando accipitur copulatiuè, idemque est cum ET. In primis apud Apostolum dicentem, *Hoc ipsum secundum Deum contristari quantam in vobis operatur sollicitudinem sed defensionem, sed indignationem*, &c. Non enim recenset ibidem Apostolus ea quæ sollicitudini aduersantur, sed quæ ei adhærent atque comitantur. Vnde & Oecumenius in C his Pauli verbis annotauit, SED poni pro ET, atque ita vertit interpres Syrus. ANNOTASTI inquiunt 70. SI QVID INVITVS TRANSGRESSVS SVM. *Ex quibus apparet etiam ista peccata iustè imputari, quæ non delectationis illecebris committuntur, sed causa deuitandæ molestiæ alicuius, doloris, aut metus, cum omnia superanda sint amore & delectatione iustitiæ*, inquit Augustinus

2. Cor. 7.

2. ad Marcell. c. 10.

De spir. & lit. c. 30.

Quomodo autem iustè imputantur quæ committuntur ab inuito? Docet Augustinus, *etiam quod quisque inuitus facere cogitur, si facit, voluntate facit, sed quia malit aliud, ideo inuitus, hoc est, nolens facere dicitur: Malo quippe alieno facere compellitur, quod volens euitare, vel à se remouere, facit quod cogitur. Nam si tanta voluntas sit vt malit hoc non facere, quam illud non pati, cogenti proculdubio resistit, nec facit. Ac per hoc si facit, non quidem plena & libera voluntate, sed tamen non facit nisi voluntate*, hæc Augustinus. Ambrosius vero legit Annotasti, si quid INSCIVS PRÆTERMISI, per quod indicatur peccata ignorantiæ ac D omissionis à Deo annotari & imputari, Etiam illa inquit Cyrillus, *quæ inopinato committuntur*, illa nimirum in quibus homo nec intendit, nec arbitratur se delinquere.

1. de interpret. 8.

MONS CADENS DEFLVIT. Hic iterum hyperbaton. Cum enim Iob per attritionem cœli, quam dixit, cœperit verba facere de consummatione mundi, tanquam in qua futura sit resurrectio generalis, interposita mentione resurrectionis quibusdam obuenturæ resurgente Christo, & immutationis quam resurrectio adducet iustis, & consolationis quam in media huius vitæ militia præbet exspectatio resurrectionis, in momento, in ictu oculi obuenturæ, redit ad plenius, & velut per omnes partes explicandam mundi consummationem, & de cœlo quod atterendum dixerat, descendens

A dens ad terram, ait, MONS CADENS DEFLVIT, nam de consummatione mundi dicit Psaltes, *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini.* Psal. 96.

ET SAXVM TRANSFERTVR DE LOCO SVO. Dicente Isaia, *Munimenta sublimium murorum tuorum concident, & humiliabuntur, & detrahentur in terram vsque ad puluerem.* Isaie 25. LAPIDES EXCAVANT AQVÆ, per flumina, quæ tunc concurrent duriter, vt etiam rupes excauare valeant, easque sibi peruias facere. ET ALLVVIONE PAVLATIM TERRA CONSVMITVR præ allisione fluctuum maris. ET HOMINEM ERGO SIMILITER PERDES, sicut scriptum est. *Cæli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur*, ET HABITATORES EIVS SICVT HÆC INTERIBVNT. Isaie 51. Nam verisimile est quod per defluxum montium, decidua saxorum, concursum fluminum, insolitam alluuionem maris illo tempore multi absumendi sint. Videntur tamen homines adhuc alia ratione cum illis SIMILITER perdendi, Nam ad instar B montis defluentis *tunc incuruabitur altitudo virorum, & infirmabitur altitudo populi terræ*, inquit Isaias. Et vt saxum transfertur de loco suo, ita si quem *superbia cordis extulit habitantem in scissuris petrarum exaltantem solium suum, & dicentem in corde suo, Quis detrahet me in terram?* inde detraham te dicit Dominus. c. 24. Abd. v. 3. Et sicut lapides excauant aquæ, *ita dura corda* nullo prius timore percita, *percellentur, præ confusione sonitus maris & fluctuum, & exspectatione eorum quæ superuenient vniuerso orbi.* Nahum. 1. Luce. 21. Et quemadmodum alluuione terra paulatim absumitur, sic dies Domini, post multas clades & attritiones præuias, *ponet tandem terram in solitudinem & conteret peccatores de ea.* Isaie 13.

ROBORASTI EVM, hominem dico habitatorem terræ, firmans ei terram & ipsum in terra, idque, PAVLVLVM, pro tempore videlicet vitæ ac inhabitationis ipsius, & id hoc fine VT inde IN PERPETVVM perpetuitatem, æternitatemque TRANSIRET, dicente Irenæo, *Vnus est & idem Deus qui plicat* 4. c. 10. C *cælum quemadmodum librum, & renouat faciem terræ, qui temporalia fecit propter hominem vt maturescens in eis fructificet immortalitatem, & qui æterna supra ducit* (super inducit) *propter suam benignitatem, vt ostendat sæculis superuenientibus inenarrabiles diuitias benignitatis suæ*, IMMVTABIS FACIEM EIVS per mortem, alia enim facies demortui, alia viui, ET EMITTES EVM ex hoc loco tentationis & corpore mortis, ad iam dictam perpetuitatem.

Qua immutatione facta SIVE NOBILES FVERINT FILII EIVS, SIVE IGNOBILES, NON INTELLIGET. Alij, non aduertet eis, quia cura rerum mortalium ab ipso cum ipsa morte transierit sicut scriptum est, *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum*, & respiciens retro dicet irridens. O curas hominum? Psal. 145.

ATTAMEN etiamsi paululum in terra roboretur, CARO EIVS DVM VIVET varijs debilitatibus afflicta DOLEBIT: ET ANIMA ILLIVS SVPER SEMETIPSO, miserias suæ carnis deplorans LVGEBIT.

D

CAPVT XV.

RESPONDENS AVTEM ELIPHAZ THEMANITHES, DIXIT: NVNQVID SAPIENS RESPONDEBIT QVASI IN VENTVM LOQVENS? vt nimirum inueniatur tantum dare verba, & voces? Id enim esse in ventum loqui testantur Israëlitæ, dicentes apud Ieremiam: *Prophetæ fuerunt in ventum locuti.* Ierem. 5. Nam id velut exponentes, subiungunt, *& responsum non fuit in eis*, neque enim credebant ipsos Deo inspirante aut ex Deo esse locutos. Cuius loco cum alij legant, *Verbum non fuit in eis*, sensus erit, nil dederunt

derunt præter voces. Verbum enim, enunciabilis rei verum conceptum A
Cap. 37. esse docet illud Ecclesiastici: *Ante omnia opera verbum verax præcedat te.*
Eccl. c. 21. Sed in ventum loqui absit à Sapiente. *Verba enim prudentis, staterâ ponderabuntur. Nam Sapiens ad mensuram sermones profert librâ examinatos iustitiæ, vt sit*
1. offic. c. 3. *grauitas in sensu, in sermone pondus, in verbis modus,* inquit Ambrosius.

ET IMPLEBIT ARDORE, Thomas, iracundia, STOMACHVM SVVM, vt loquatur tantum stomachabundus, prout ô Iob locutus es cum dixisti: *Audite correptiones meas*, & quæ eodem pertinent. Alij tamen inter quos Vatablus & Pagninus pro ARDORE, vertunt, VENTO, & peculiariter EVRO, vt nimirum Sapiens tantum det verba ventosa? nihilominus non abs re nos legimus ARDORE: Obseruabat enim Eliphaz Iob feruidè loqui, nec id ad-
Eccle. 48. scribebat eloquio Domini ignito, quo pollebat Elias, *cuius verbum quasi facula ardebat*, sed feruori cuidam iuuenili & hominis inferioris, ratione cuius
In hær. 34. dicit Epiphanius: *Mulier dulci sermone Marci Hæresiarchæ emollita, & animo calefacta, præ spe vaticinandi, corde plus, quam decet palpitante delira loqui audet, & omnia prout incidunt vanè, ac confidenter, vtpote ab inani spiritu calefacta: quemad-* B
lib. 1. c. 9. *modum quidam præstantior nobis* (Irenæum intellige tale quid dicentem) *de talibus dixit, Audax & impudens res est anima quæ inani aëre calescit.*

ARGVIS VERBIS: quidam dicunt disputando, eò quod cap. 13. dixerit Iob, Cum Deo disputare cupio, quem sensum recentiores Vatabl. & Pagn. eliciunt ex Hebræo, Nec inconuenienter, nam etiam disputantes arguere dicuntur. Omni tamen circumstantiâ attentâ magis probabiliter ARGVIS hic idem erit quod reprehendis, EVM QVI NON EST ÆQVALIS TIBI, ET
Eccl. 5. 1. LOQVERIS QVOD TIBI NON EXPEDIT, Nam dixit Sapiens: *Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo, Deus enim in cælo, & tu super terram.*

Huic tuæ temeritati accedit ô Iob aliud inconueniens, quia QVANTVM IN TE EST, EVACVASTI TIMOREM Domini, tanto enim se maiorem reprehendere, audaciæ est, & inuerecundiæ, vtraque opponitur debito timori. Quem dico te euacuasse, siue è medio abstulisse, tuo enim exemplo in posterum etiam alij in aduersitate positi, audebunt Deum procaciter incusare. Quod si non eueniat, id saltem fecisti quantum in te est, quia in id exemplum dedisti, & scandalum. Hoc non intelligenti apparuit in verbis capitis 9. nam quod ibidem dicitur. *Terra data est in manus impij, vultum iudicum eius operit, quod si non ille est, quis ergo est?* Dei reprehensionem prima facie sonat. Et quod ibidem præmittitur, *Si flagellat, occidat semel, & non de pænis innocentum rideat*, præter implicitam Dei reprehensionem, sonare videtur, eum qui id dicit tædio malorum victum procaciter velle ab illis eripi. Quo respiciens adiungit Eliphaz, ET TVLISTI PRECES CORAM DEO. Dedisti enim exemplum vt omnes, quos afflictionum tæduerit, ab ijs erui instent proterua improbitate, non humili, aut amabili prece. C D

In his ergo, & similibus verbis tuis non fuit responsum in te; DOCVIT ENIM INIQVITAS TVA OS TVVM, ET IMITARIS LINGVAM BLASPHE-
Luc. 23. MANTIVM: Nam & latro qui pendebat à sinistris Christi dicendo, *si tu es Christus saluum fac temetipsum, & nos*, conuitio vrgens liberari, scribitur blasphemasse. Nec abs re dixi, te, quantum in te est, EVACVASSE TIMOREM Domini, de ijs enim, qui blasphemando ponunt in cælum os suum, scri-
Psal. 72. ptum est: *Lingua eorum transiuit in terra*, nam eorum exemplo blasphemia passim in consuetudinem versa est.

CONDEMNABIT TE OS TVVM, ET NON EGO, condemnabo te, secus quam tu, *qui ostendere volens nos fabricatores mendacij, & cultores peruersorum dogmatum,*

A *gmatum, verbis tuis condemnasti nos,* ET LABIA TVA RESPONDEBVNT TIBI, nam sine accusatore aut teste sermo tuus clamat se damnatione dignum. Ob id hac in parte non opus est pluribus.

Cæterum, quia hæc attentasti, NVNQVID PRIMVS HOMO TV NATVS ES, vt sapientiam à Deo immediatè acceperis, sis proinde nobis sapientiâ maior eo quod primitiua, & omnia à Deo propius emanata, sint potiora? Dicit vero NATVS ES, quia primus homo de terra terrenus, terra autem mater omnium, ergo terrigenus rectè dicitur de terra tanquam de matre natus. Attento tamen quod terra plasmationi primi hominis suppeditauerit quidem materiam, non autem propriè dictam genituram, sit proinde ibi quædam natiuitas quoad propriam rationem incompleta, Paraphrasis Chaldaica vertit, nunquid primus homo, ABSQVE PATRE, ET MATRE, tu natus es? Aut si non es primus homo natus, nunquid es ANTE COLLES, *1. Cor. 15.*
B mundi constitutionem, iuxta quod à parte designans totum dicit æterna Sapientia, *ante omnes colles generauit me Dominus:* Nunquid, inquam, es ante colles in hominem de nihilo formatus? Vt quandoquidem consilium Dei mundi creationem præcessit, de te possim quærere, NVNQVID CONSILIVM DEI, de quo scriptum est, *Ego Sapientia habito in consilio:* & alibi, *Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ:* Nunquid inquam hoc consilium Dei AVDISTI? vt parum tibi sit rerum humanarum mutabilitatem cap. 12. à te accuratè recensitam in rebus ipsis & euentis nosse, sed etiam scire præsumas, quo tanta varietas consilio instituta, permissa, aut directa sit, & sis velut Cicero, quem Iuppiter, vt ipsi exprobratum est, in concilium Deorum admisit? Absit autem. *Quis enim cognouit sensum Domini, aut cum quo iniit consilium?* *Prouerb. 8.* *Eccles. 1.* *Ephes. 1.* *Rom. 11.*

Sed vt ita sit, NVNQVID INFERIOR TE ERIT EIVS SAPIENTIA, vt eam,
C disputando vel reprehendendo, valeas arguere, aut quidpiam potioris, aut defæcatioris sapientiæ in medium adferre? Nequaquam, *Quis enim adiuuit spiritum Domini, aut ostendit ei? Cum quo iniit consilium, & instruxit eum, & docuit eum semitam iustitiæ, & erudiuit eum scientiam, & viam prudentiæ ostendit illi?* Tantum abest, vt ne quidem nobis sapientia antecellas. *Isaiæ 40.*

QVID enim rerum inuestigabilium NOSTI QVOD IGNOREMVS? QVID INTELLIGIS QVOD NESCIAMVS? Aut si in traditione vel doctrina à Patribus accepta gloriaris, ET SENES, ET ANTIQVI SVNT IN NOBIS, MVLTO VETVSTIORES QVAM PATRES TVI, vt si, prout dixisti, IN ANTIQVIS EST SAPIENTIA, nos quo antiquiores, etiam potioris doctrinæ, & vberioris sapientiæ habeamus præceptores.

NVNQVID GRANDE, res magna aut difficilis EST VT ablata afflictione CONSOLETVR TE DEVS? SED VERBA TVA PRAVA HOC PROHIBENT,
D vsqueadeò vt si Deus peccatis tuis propitius à malorum quæ pateris, pondere, te vellet releuare, vel ob solam verborum tuorum indignitatem procederet affligere te.

QVID TE ad altiora, & fortiora te, ELEVAT COR TVVM, cum scriptum sit, *Altiora te, ne quæsieris, & fortiora te, ne fueris scrutatus.* ET QVASI MAGNA COGITANS, ATTONITOS, magnitudine visorum quasi perculsos, HABES OCVLOS? Quasi inquit, Iudicabit enim Iob oculos sibi in talem obtutum de industria componere, vt videretur magna cogitare. *Eccles. 3.*

Accedit & aliud, QVID opinione mundissimæ iustitiæ inflatus TVMET CONTRA DEVM, Dei sententiam atque iudicium, SPIRITVS TVVS, VT PROFERAS DE ORE TVO HVIVSCEMODI SERMONES? Quos quæso aut quales? Ex subsequenti refutatione intellige, in qua qui dicit QVID EST

HOMO,

HOMO, VT IMMACVLATVS SIT, ET VT IVSTVS APPAREAT NATVS DE A
MVLIERE? Profectò non aliud refellit quam quod dixerat Iob: Cum iudicatus fuero scio quod iustus inueniar, suamque illam sententiam probat dicens, ECCE INTER huius vitæ SANCTOS EIVS, NEMO IMMVTABILIS. Cum enim Eliphaz id supra dixerit de Angelis ante confirmationem, valde probabile est, ipsum hic idem affirmare de sanctis hominibus ante mortem: Ante quam saltem vt plurimum nemo sanctorum immutabilis, quin possit in diuersa, & deteriora mutari.

Philip. 3. ET CÆLI ijdem sancti, ob conuersationem de qua Paulus, *Nostra conuersatio in cælis est*, appellati Cælestes, NON SVNT MVNDI immaculati IN CONSPECTV EIVS, cuius oculi nôrunt, quæ ipsimet non nôrunt. QVANTO MAGIS, mundus non est, sorde malorum operum ABOMINABILIS, ET, absque bono opere INVTILIS HOMO, qualis est Iob QVI BIBIT QVASI AQVAM INIQVITATEM? malis enim, & inutilibus operibus sic sese ingurgitat, *vt iniquitas intret velut aqua in interiora eius*, & omnia viscera eius peruadat, & obsideat prout de Iudæis Christum reprobantibus dicit Psalmus. B
Psa. 108.

Sed hac in parte præterquam quod Eliphaz enormiter inuehitur in Iob, etiam in eundem male mouetur, Quod enim dixit Iob, *cum iudicatus fuero scio quod iustus inueniar*, in ænigmate, vt auditum est, dixit non de se, vt opinabatur Eliphaz. Qui vt Iob cap. 13. dicendo: *Prius vos ostendens fabricatores mendacij*, & quæ sequuntur, disputationi quam proponebat, præmisit correptionem, ita hactenus Eliphaz seriem disputationis propheticæ æmulatus, præmisit, tametsi immeritam, in Iob increpationem.

Venturus igitur ad rem, quæ dicturus est, ante omnia probare nititur, Ostensione, de qua dicit OSTENDAM TIBI, AVDI ME, ostendam dico ab exemplo, quia, QVOD VIDI NARRABO TIBI. Ostendam item de communi sensu sapientum, de quo subdit, SAPIENTES CONFITENTVR. Denique B
ex traditione maiorum, nam sequitur, ET NON ABSCONDVNT PATRES SVOS. Nam sapientes amant profiteri se id quod docent à maioribus accepisse *eo quod nolint plures magistri fieri*. Sapientes inquam QVIBVS SOLIS DATA EST TERRA. Prima facie intelligas, ad regendum, vt Eliphaz hic contradicat illi quod supra dixit Iob TERRA DATA EST IN MANVS IMPII, Sed quia sequitur ET NON TRANSIVIT ALIENVS PER EOS, quod de terra morientium nemo vel imaginetur, rectius hæc intellexeris de terra viuentium, vbi *manifestabit Deus sapientiam, quæ hic fuit abscondita in mysterio, & prædestinauit in gloriam nostram: Vbi & ille qui prius sapiebat vt paruulus, euacuatis illis, quæ erant paruuli, Sapiens erit vt vir*, De qua dicit & Isaias, *non adijciet vltra vt pertranseat per te incircumcisus & immundus*: Et in forma verborum Ioel, *Alieni non transibunt per Ierusalem amplius*.
Luc. 3.
1. Cor. 2.
1. Cor. 13.
Isaias 52.
Ioel. 3.

Assertiones vero suas Eliphaz orditur in hunc modum. CVNCTIS DIEBVS SVIS IMPIVS SVPERBIT, quia omnibus se præfert, pro imperio agit & potestate, in quocumque demum fuerit authoritatis gradu; ac in eo gloriæ suæ, reputationi, ostentationi potentiæ studet: Quæ cum sint tyrannidis aptè subiungitur, ET NVMERVS ANNORVM INCERTVS EST TYRANNIDIS EIVS, propter quod vanissimè sibi persuadet illud Psalmi, *Non mouebor à generatione, in generationem*, sed permanebo, *sine malo*. D
Psal. 9.

SONITVS TERRORIS SEMPER IN AVRIBVS ILLIVS. Quod de Ægyptijs Sapientia declarat in hæc verba: *Siue spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos auium sonus suauis, aut vis aquæ decurrentis nimium, aut sonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium cursus inuisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus Echo, deficientes faciebant illos præ timore.*
Cap. 17.

ET

A ET CVM PAX SIT, ILLE SEMPER INSIDIAS SVSPICATVR, Omnia
tuta timens, *Semper enim præsumit sæua, perturbata conscientia, & timida dat testi-* Sap. c. 17.
monium condemnationis suæ, inquit Sapientia ibidem. NON CREDIT, QVOD
REVERTI POSSIT DE TENEBRIS peccatorum, AD LVCEM, iustitiæ, CIR-
CVMSPECTANS VNDIQVE GLADIVM, mortem secundam sibi intentantem.
Circumfusis enim quaquauersum terriculis, & præsagijs mortis futuræ, Dia-
bolus vrget, ac penè concludit peccatricem animam in desperationem.
CVM SE MOVERIT AD QVÆRENDVM PANEM, quamuis huius vitæ susten-
tationem, aut refocillationem, NOVIT QVOD PARATVS SIT IN MANV
EIVS TENEBRARVM DIES, quia vel inter medias epulas profitetur se certo
scire, quod ob mala opera iturus sit in æternam damnationem, Id tamen
quod interim solatio est acceptat quamdiu licet.

TERREBIT EVM TRIBVLATIO, obuentura, ET ANGVSTIA imminens
B VALLABIT EVM, SICVT REGEM QVI PRÆPARATVR AD PRÆLIVM, cui
se agnoscit imparem, prout *Saul qui videns castra Phylistim timuit nimis.* Ista 1. Reg. 31.
ergo & tanta animi inquietudo in hac vita consequitur impium superbien-
tem. Cuius superbiam vt vberius explicem, TETENDIT ADVERSVS DEVM
MANVM SVAM, *contumeliosè aduersaria faciendo quam præcepit*, inquit Augusti- in hunc
nus. Manus enim aduersus Deum tendi in ipsius contumeliam, ostendit locum.
Iulianus Apostata per hoc quod proprium sanguinem manibus ex inflicto Theodoret.
cælitus vulnere acceptum, in cælum extulit dicens vindici Christo, Vicisti lib. 3 c 20.
Galilæe. Et Amalechitæ, de quibus Hieronymus ex traditione Hebræo- Niceph. lib. 10.
rum scribit quod *Israëlitas, in exitu de Aegypto vel ob lassitudinem, vel ob* c. 35.
legalem immunditiam extra castra degentes, occiderunt, & eorum circumcisionem in Regum.
amputatam in subsannationem Dei, proiecerunt in cælum, ET CONTRA OMNI- c. 15.
POTENTEM ROBORATVS EST, prout Antiochius, cui exprobratur *quod con-* 2. Mach. 7.
C *tra Deum pugnare tentauerit:* Et illi qui in Apocalypsi dicuntur pugnaturi cum cap. 17.
agno. Sed quid? An æmulamur Dominum? Nunquid fortiores illo erimus? 1. Cor. 10.
Quocirca de his dicitur, *quod agnus vincet illos:* ad Antiochum vero, *ne existi-*
mes tibi impunè futurum.

CVCVRRIT ADVERSVS EVM ERECTO COLLO significante superbiam
& animositatem. Quod authore Augustino, *facit qui se ponit extra culpam &* in Psal.
Deum in culpa. ET PINGVI CERVICE ARMATVS EST, siue vt August. cum 70.
& Hebræa legit, in crassa ceruice scuti sui cucurrit, quia se erigit, defendit,
non elidit oculos ad terram, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori,* sed iactat Luc. 18.
se de meritis (atque adeo viribus) suis tanquam vbere ac pingui thezauro.
Nunquid non tale quid apparuit in Roboam, qui dicens, *Minimus digitus*
meus grossior est lumbis patris mei, aduersus consilium quod ex Deo Seniores 3. Reg. 12
dederant, pingui ceruice quasi armatus est?

D OPERVIT FACIEM EIVS CRASSITVDO, tanta, vt penè claudat ipsius
oculos, imo totam faciei formam sic occupet, vt solita lineamenta vix
appareant iuxta quod 70. legunt, *Abscondit vultum suum in adipe suo.* ET
DE LATERIBVS EIVS ARVINA, adeps in massam concretus,
DEPENDET.

HABITAVIT IN CIVITATIBVS DESOLATIS à consortio
& commercio Sapientum, ET IN DOMIBVS ab earundem consue-
tudine DESERTIS, & ob id ferocia ipsius nullo arguente siluosè in-
creuit, vt inde tandem prodeat *quasi catulus Leonis educatus in abditis:* QVÆ Ps. 16.
tamen ciuitates & domus, vt sunt res impiorum, cum tempore IN TVMV-
LOS SVNT REDACTÆ. Nam ex opinione amicorum Iob nulla hic
apud impios rerum stabilitas.

K NON

NON DITABITVR, & si fortè, NEC PERSEVERABIT SVBSTANTIA diuitiarum EIVS, NEC MITTET IN TERRA RADICEM SVAM, vt possit firmari & amplificari, ad hæc enim radix valet frutici. A

NON RECEDET DE TENEBRIS tribulationum, de quibus ipse Eliphaz supra ad Iob, Putabas te tenebras non visurum, siue in tribulationem non deuenturum: Conuenit verò verba cuiusuis authoris in illum sensum accipere, in quem ipse illis vti consueuit, & eò magis hic, quia tenebrarum tribulationis Isaias expresse meminit.

Isai. c. 5.

ET RAMOS, amplitudinem EIVS, quaqua versum in ampla substantia se extendentem, AREFACIET FLAMMA ardor nimius ex siccitate & nimio æstu exortus.

ET AVFERETVR SPIRITV ORIS SVI, quo spirans iactantiam, extollentiam, præsumptionem, minas & vindictam, linguam suam ab his, malis edoctus continebit, vt improperetur ipsi illud Iudicum; *Vbi nunc est os tuum?* B

c. 9.

NON CREDET FRVSTRA, sine iustis argumentis, imo contra iusta argumenta ERRORE DECEPTVS, QVOD ALIQVO PRETIO REDIMENDVS SIT, Vel quia ignorat mediatorem, vel si eum agnoscat, præ grauedine conscientiæ non credit pretium illud sibi applicandum, sed dicit cum Cain, *Maior est iniquitas mea quam vt veniam merear.*

Gen. 4.

ANTEQVAM DIES EIVS IMPLEANTVR, PERIBIT, Impij enim non dimidiabunt dies suos. ET MANVS EIVS ARESCENT redditæ ad benè operandum inualidæ, iuxta illud Zachariæ, *Gladius super brachium eius: Brachium eius ariditate siccabitur.*

Psal. 54.
Zach. 11.

LÆDETVR QVASI VINEA IN PRIMO FLORE BOTRVS EIVS, quia prosperitas ipsius temporalis in ipso arridente, & spem præbente exordio, obueniente aduersitatis turbine destruetur, & excutietur ipsi è manibus. Imo si fortè non, QVASI OLIVA præ defectu virium, PROIICIENS FLOREM SVVM, C recenter enatum, vt quem vltra fouere, & promouere non possit, res ipsius sponte succident.

CONGREGATIO ENIM, alij COMITIVM, Chaldæus TVRMA, HYPOCRITÆ STERILIS, vt in idem redeat, cum illo Ecclesiastici, *Stuppa collecta Synagoga*, Synodus, *peccantium:* Sed contextus magis requirere videtur, vt congregatio hic potius sit apparatus hypocritæ vndequaque comparatus, qui dicitur esse sterilis, quia fœtum, aut emergentem florem ad fructum fouere, vel etiam viribus flaccescentibus perducere non potest.

cap. 21.

Nec mala hæc, aut eiusmodi tantummodo obuenient impijs, superbis Antitheis, Quin ET IGNIS præsentis calamitatis, DEVORABIT TABERNACVLA EORVM QVI MVNERA LIBENTER ACCIPIVNT. Nam isti versipelles omnibus tamen plausibiles, ædificant tantum *ligna, fœnum, stipulam,* ignis, & incendij amica receptacula, & fomenta.

1. Cor. 3.

CONCEPIT congregatio hypocritæ DOLOREM, alij LABOREM, quia re- D ipsa minime fauente imo refragante, laborat vt specie tantum, & verbis satisfaciat, de quo Psalmus, *Labor labiorum ipsorum operiet eos*, ET omni studio suo PEPERIT INIQVITATEM, de qua dicitur Simulata æquitas, duplex iniquitas, ET VTERVS EIVS quo opera ipsius concipiuntur, & parturiuntur PRÆPARAT DOLOS, nam *dolosè egit in conspectu Domini, vt inueniatur iniquitas eius ad odium*, sitque, ob dolum summo odio digna.

Psal. 139.
Psal. 35.

CAPVT

A

CAPVT XVI.

RESPONDENS AVTEM IOB, DIXIT: AVDIVI FREQVENTER, alij MVLTOTIES, TALIA quæ de impiorum aduersitate, & euersione ô Eliphaz dixisti. Nam eadem à principio Tu Baldad, & Sophar identidem inculcastis, & penè ijsdem argumentis, & verbis: Nam cum Eliphaz cap. 5. diceret, *vidi stultum firmâ radice, & maledixi pulchritudini eius statim,* quid aliud dixit, quam quod mox, *non perseuerabit substantia eius.* Et quod dixit, *lædetur quasi vinea in flore*, quid differt ab eo quod cap. 8. dixit Baldad, *cum adhuc sit in flore nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit?*

Cum autem accesseritis me ad consolandum, in euentu, CONSOLA-
B TORES ONEROSI OMNES VOS ESTIS. In primis, eorundem superflua repetitione; Id enim vt onerosum prohibet Ecclesiast. Cum dicit: *Noli verbosus esse in multitudine Presbyterorum, & an iteres verbum in oratione tua.* cap. 7. Cui morem gerens Diuus Gregorius expositionem cuiusdam Euangelij Hom. 13. in Euang. ita temperauit, vt *altitudo ipsius sic fieret nescientibus cognita, vt tamen scientibus non foret onerosa.* Iterum ONEROSI ESTIS VOS, ob insipientiam discursus vestri, & imbecillitatem argumentorum, *Narratio enim fatui quasi sarcina in via.* Eccle. 21.

NVNQVID HABEBVNT FINEM VERBA VENTOSA, inani, vt ante diximus, spiritu efflata? AVT ALIQVID TIBI MOLESTVM EST SI LOQVARIS? Alij ex Hebræo, AVT QVID ROBORABIT TE SI RESPONDERIS? q.d. Nihil, verba enim ventosa euacuant animam, non roborant. 70. verò, AVT QVID MOLESTVM ERIT TIBI, subaudi si apud te finem acceperint verba
C ventosa; QVONIAM RESPONDES, & per id videris tibi subiturus molestiam, si non responderis, sed scire velim quænam futura sit illa molestia.

POTERAM ET EGO SIMILIA VESTRI LOQVI, & arguendo, atque increpando onerare vos: ATQVE VTINAM, in occasionem & materiam ostendendæ meæ in vos humanitatis, & commiserationis: ESSET ANIMA VESTRA PRO, eo loco quo, ANIMA MEA: CONSOLARER ET EGO VOS SERMONIBVS, sicut venistis vos ad consolandum me, ET MOVEREM CAPVT MEVM SVPER VOS. Addunt 70. CVM PLANCTV, dantes intelligi, quod cum MOVERE CAPVT subinde sit acerbè irridentium, hic condolentium sit, & ipsa condolentia nonnihil consolantium. ROBORAREM VOS ORE MEO ad sufferentiam, quod fecit Mater Machabeorum cum diceret, *Fili sustine patienter*, *Ecce Iudex ante ianuam assistit.* Quomodo autem, si iudicium differendum erat in finem? Agnouit igitur iudicium particulare, quod cum 2 Machab. 7. Iac. 5.
D exerceatur *in die obitus vniuscuiusque*, & Martyri huic obitus immineret, verissimè dixit, Iudex ante ianuam assistit.

Præterea si in aliquo essetis reprehensibiles, MOVEREM LABIA MEA ad corrigendum QVASI PARCENS VOBIS, Cauerem enim mihi à verborum aculeis; sed placidè, & leniter indicarem quod res est: Quod vos certè non fecistis: Nam Baldad increpans dixit, VSQVEQVO LOQVERIS TALIA? Et Sophar, CVM CÆTEROS IRRISERIS A NVLLO CONFVTABERIS? Et Eliphaz, LABIA TVA INIQVA HOC PROHIBENT, Et id genus complura, & acerbiora quæ supra audita sunt.

SED QVID AGAM? SI LOCVTVS FVERO aduersus errores vestros, NON CESSABIT DOLOR MEVS, condolens vestro errori, inclementiæ, improbitati, & quia verbis meis non adhibebitis fidem: *Non enim recipit stultus*

 verba

Prou. 15. *verba prudentia, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde eius,* ET SI TACVERO, NON RECEDET A ME, quia muta condolentia, ac compassione cruciabor: Ab altercatione itaque hactenus audita, vertam sermonem ad Christum, (*Nam credimus Iob diuinitus inspiratum, vt præsciret Christum ad passionem esse venturum*, inquit Augustinus:) & passionibus ipsius configuratus dicam in ipsius persona, NVNC AVTEM, q. d. Dicendo, *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perficiatur?* Satis significaui me contemplatione futuræ passionis fuisse frequenter in cordis angustias redactum, prout de facto declaraui, cum factâ mentione passionis iam aduentantis exclamarem: *Nunc anima mea turbata est, & quid dicam?* &c. Et illæ quidem angustiæ contraxerunt, & compresserunt mihi cor; NVNC AVTEM, in horto positum, acrione angustia & horrore, me sinente, OPPRESSIT ME DOLOR MEVS ex tanta propinquitate imminentis passionis: *Tunc enim, tristis facta est amina mea vsque ad mortem*, sic vt sola tristitia illa potuerit me extinguere, prout declarat Basilius. ET, præ labore, quo caro mea exsudabat velut guttas sanguinis decurrentis in terram, fatigati, eneruati, euirati, IN NIHILVM REDACTI SVNT OMNES ARTVS MEI. Non credis? RVGÆ MEÆ, quibus facies, & cutis mea vniuersa exarata cernitur, TESTIMONIVM DICVNT CONTRA ME. Nam rugæ istæ agoniæ superstites, ipsius transactæ fuerunt indices. A B

2. ad Marcell. c. 11. Luc. 12. Ioan. 12. Luc. 22. Hom. 4.

ET, ab ijs, qui promissis ac pollicitationibus inducere quærebant si quos poterant ad dicendum falsum testimonium aduersus me, SVSCITATVR FALSILOQVVS, falsi testimonij causidicus, ADVERSVS FACIEM MEAM, me coram astante, CONTRADICENS MIHI. Christus enim vt benè obseruauit August. dixerat, *Soluite templum hoc:* falsiloqui vero dixerunt, hic dixit, *Ego dissoluam templum hoc,* Quod erat contradicere Christo, quia contrarium eius quod dixerat, asseuerare, & sacrilegium ei impingere, cum, si de templo Ierosolymitano fuisset sermo, Christus suis verbis non promisisset templum destruere, sed ab ipsis forte destructum quantocius reparare. C

in Ps. 65. Ioan. 2. Marc. 14.

COLLEGIT FVROREM SVVM IN ME, Congregatio Pontificum & Seniorum, quia omnem quam varijs, vt putabat de causis conceperat indignationem, in vnum sibi congessit, conformiter congregans super me flagella, vt multiplici inflictione furori coaceruato satisfaceret.

ET COMMINANS MIHI, INFREMVIT CONTRA ME DENTIBVS SVIS, prout & Psalmus dicit, *Frenduerunt super me dentibus suis, quod solet esse indignantis, & ad iracundiam efferuescentis amini*, Authore Ambrosio. Iob vero interpretatur id fuisse comminantis, & ostentantis se paratum ad dilaniandum dentibus. Contra quod orabat Christus, *nec dicant deuorauimus eum.* D

Psal. 34. in Ps. 36. Psal. 34.

HOSTIS MEVS in eadem congregatione TERRIBILIBVS, minacibus itidem ac furore flammantibus OCVLIS ME INTVITVS EST. Quapropter etiam Ecclesia in officio Dominicæ passionis in persona Christi canens TERRIBILIBVS OCVLIS plaga crudeli sæuientes, aceto potabant me, hæc verba in Christo impleta esse intelligit.

APERVERVNT, ministri, qui me iam à concilio malignantium condemnatum in lucem proximam asseruabant, SVPER ME ORA SVA quando *tentauerunt me*, vt habet Psalmus dicendo: *Prophetiza quis est, qui te percussit:* quando & illudendo, opprobando, *subsannauerunt me*, & obiurgando, quod dicit Isaias, *Increpauerunt me*, ET EXPROBRANTES, quod velatis oculis ignorarem quis me percussisset, PERCVSSERVNT MAXILLAM MEAM, alij

alapis,

A alapis, auersâ nimirum manu, alij pronâ manu dederunt palmas in faciem meam. SATIATI SVNT PÆNIS MEIS, quia ludibrijs ac afflictionibus meis semetipsos ad satietatem vsque oblectauerunt.

CONCLVSIT ME DEVS APVD INIQVVM, quando dissoluto concilio Sacerdotum ac Seniorum, me, vsque ad crepusculum sequentis diei cum iniquis Sacerdotum ministris in conclaui asseruari permisit. Manè verò facto cum traderer manibus Pilati per ipsum *tradendus gentibus ad illudendendum. flagellandum, crucifigendum*, implebatur quod sequitur, MANIBVS IMPIORVM, gentilium qui ad summum impietatis, sunt sine Deo in hoc mundo, ME TRADIDIT.

EGO ILLE QVONDAM OPVLENTVS. Accommodaueris & istud Christo, qui vsque ad passionem *authoritate, & gratia diues fuit apud plebem:* In passione verò REPENTE CONTRITVS, quia etiam vniuersus populus in
B necem ipsius conclamauit. TENVIT CERVICEM MEAM, cum me in potestatem redegit, & præsertim cum crucem mihi baiulandam imposuit. CONFREGIT ME, sic vt ferendæ cruci vltra non sufficiens, necesse illis fuerit crucem imponere Simoni ferendam post me. ET POSVIT ME SIBI QVASI IN SIGNVM, *cui*, iuxta vaticinium Simeonis *contradiceretur.* Videtur tamen in his versibus Iob more Prophetico descendere ad historiam, & de seipso dicere, EGO ILLE QVONDAM OPVLENTVS, vt capite 1. auditum est, REPENTE CONTRITVS SVM, nihil enim remansit mihi vnde damnum repararem. *Luc. 2.*

ET POSVIT ME SIBI QVASI IN SIGNVM, in quod suas Sathan collimet sagittas, propter quod & dixi, *sagittæ Domini in me sunt*. Qua excursione facta redit ad propositum, & dicit, CIRCVMDEDIT ME crucis pendulum LANCEIS SVIS. Centurio enim cum lancearijs custodiebat Iesum, nam & vnus
C militum lancea latus eius aperuit. CONVVLNERAVIT LVMBOS MEOS cum per flagella in lumbis Domini vulnera condensauit, vnde intelligas flagella non tam secuisse pectus Christi, quam dorsum, & lumbos, vnde apud Isaiam Veteres legunt, *dorsum meum dedi ad flagella*, NON PEPERCIT quo minus ad extremum sæuiret, ET EFFVDIT IN TERRA VISCERA MEA, per flagra enim hæc sulcatâ cute & carne Christi, ab ea altè eductus est sanguis, & in terram effusus.

CONCIDIT ME VVLNERE SVPER VVLNVS, quia flagris itentidem repetitis, non iam membra, sed accepta ex prioribus inflictionibus vulnera lacerauit. Quale quid de Martyribus scribens Cyprianus, Inexpugnabilem inquit fidem superare non potuit sæuiens diu plaga repetita, quamuis ruptâ compâge viscerum torquerentur in seruis Dei, iam non membra, sed vulnera. *Epist. 9.*

D IRRVIT IN ME QVASI GIGAS, quia tortor immanis omnibus viribus flagra mihi incussit, quo alludit Ecclesia itidem cantans in persona Christi, Quasi GIGANTES steterunt contra me.

SACCVM CONSVI SVPER CVTEM MEAM, ET OPERVI CINERE CARNEM MEAM. Ego enim tempore prædicationis meæ, *cum mihi molesti essent, induebar cilicio*, ependyte, siue interula rudi ad modum cilicij: *Humiliabam in ieiunio animam meam*, Ieiunium enim solet sibi cineris aspersionem, in humilitatem adiungere, In quo Psalmo quandoquidem sequitur, *Et oratio mea in sinu meo conuertetur*, etiam hic aptè subiungitur FACIES MEA INTVMVIT A FLETV, ET PALPEBRÆ MEÆ CALIGAVERVNT, ad iudicandum, orationem, de quo Psalmus, cum lachrymis, Imo quodam imbre lachrymarum, fuisse coniunctam iuxta illud Apostoli: *Christus in diebus car-* *Psal. 34.*

bus car-

Hebr. 5. *bus carnis suæ preces cum lachrymis, & clamore valido offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* A

Hæc, quæ de minis, opprobrijs, alapis, flagris, alijsque meis passionibus recensui, PASSVS SVM, non dicit supra quam merui, sed ABSQVE INIQVITATE MANVS MEÆ, vt intelligas Iob cum diceret, *Vtinam appenderentur peccata mea quibus iram merui & calamitas quam patior in statera quasi arena maris hæc grauior appareret,* suo, hic verò alterius & non nisi Christi nomine verba facere, de quo scriptum est: *Talis decebat vt esset nobis Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.*

Hebr. 7.

CVM HABEREM MVNDAS ab ira siue vindictæ cupiditate liberas AD DEVM PRECES, prout Apostolus dicit, *Volo viros in omni loco orare leuantes puras manus sine ira & disceptatione:* Nam Christi, inquit Leo, *tanta fuit pietas vt non se vindicari, sed inimicis postularet ignosci.* Dicuntur nihilominus Christi preces mundæ, quia defecatissimæ, non solum à vitio atque defectu quibus communiter laborant orationes nostræ, verum etiam à phantasmate, quia ipse vt comprehensor prius in oratione vsus est mente quam phantasmate; & cum nos prius oremus spiritu, phantasmatum receptaculo, Christus prius orauit mente & per mentis redundantiam, spiritu. B

1. Tim. 2. Serm. 10. de passione.

TERRA NE OPERIAS SANGVINEM MEVM. Quatenus verò vel qualiter? NEQVE INVENIAT IN TE LOCVM LATENDI CLAMOR MEVS. Taliter ergo ne operias sanguinem meum, Quod enim latendi locum præbet, operit, Hunc clamorem Ambros. intelligit orationem, quasi hic imploret Iob (quem hæc in propria persona dicere intelligit) *vt sua oratio sicut incensum dirigatur ad Dominum, non in terra diuersetur. Sancti enim oratio nubes penetrat, peccatoris orationem, sicut à Deo Cain dictum est, Aperiens os suum terra in sanguine carnis abscondit, quoniam Cain operabatur terram.* Conuenientius tamen clamorem hic intelliges vocem sanguinis, de qua Dominus ad Cain, *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Clamat, inquit Ambros. *quia innocens effusus est & dicitur interpellare Dominum, non prosecutione eloquij, sed indignitate commissi, ac reatum non tam verborum accusare sermonibus quam conscientiæ ipsius criminatione constringere.* Sic ergo clamat & sanguis Christi, *sed melius*, inquit Apostolus, *quam Abel. Nam hic clamabat in vindictam, ille in indulgentiam, hic peccatum fratris accusat, ille peccatum mundi remisit, hic prodidit crimen, ille texit:* inquit idem. Porro quod sanguinem Abel Apostolus affirmet clamasse, absque dubio desumpsit ex Genesi; quod vero idipsum affirmet de sanguine Christi, probabile est desumptum esse hinc, præsertim cum epistola ad Hebræos, ad faciendam ipsis nutantibus fidem, scripturis Hebraicis infarcienda fuerit & referta sit, vt inter cætera etiam inde confirmetur in præsenti contextu Christum loqui. C

1. de interpret. c. 8. Gen. 4. Serm. 65. Hebr. 12. de fug. sec. cap. 5.

Qui, quod supra dixit, HÆC PASSVS SVM ABSQVE INIQVITATE MANVS MEÆ, nunc confirmans testimonio Dei, ac si diceret, *Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me, pater,* ECCE, inquit; IN CÆLO TESTIS MEVS, iuxta quod de ipso Isaias dixit, *dabit impios pro sepultura & diuitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, nec inuentus est dolus in ore eius.* D

Ioan. 8. Cap. 53.

ET CONSCIVS MEVS, cui mecum de omni negotio atque adeo omni re, identica, secundum diuinitatem, scientia, & ob id perfectissima conscientia: hic inquam, est IN EXCELSIS. Non solum verò inter personas diuinas, sed etiam inter Deum & homines, tametsi longè impar reperitur conscientia, quia inueniuntur eandem rem, suo singuli modo scire quod est conscire. Proinde Sixtus tertius docet, hominibus quando, vt ipse Sixtus, falso

Epist. ad orient.

A falſo accuſantur, dicendum eſſe cum Iob, ECCE CONSCIVS MEVS IN EXCELSIS. Imò, inquit Sixtus, etiam cum laudantur, præſertim ab eo qui exiſtimat ſupra id quod videt, aut, de eo quem laudat, audit. Quo caſu his etiam verbis vtendum eſſe ex ipſo hoc contextu animaduertiſſe videtur Sixtus, nam Iob de laudatoribus & præſertim debitum modum excedentibus, ſubiungit, VERBOSI AMICI MEI: Non tantum tres iſti cum quibus præſens diſputatio, ſed quiuis amici, nam hi per beneuolentiam vel adulationem in laudes & extollentias eorum quibus fauent multis ſeſe verbis effundunt: alij quidem ad plauſum, vnde quidam vertunt, inter quos Pagninus, RHETORES AMICI MEI, Alij verò ad palpum, ratione quorum interpres Neotericus, PARASITI AMICI MEI. Et vtrique communi nomine VERBOSI, quia ſi non multis & ſuperfluis, ſaltem abs re non laudant niſi verbis.

B His autem ſua dicentibus, AD DEVM STILLAT OCVLVS MEVS: quoniam de adulatoribus dicit Pſalmus, *Adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum*, quia pro illis, quæ ipſi in me extollunt, mihi adhuc orandum eſſe exiſtimo: *proinde mihi pro minimo eſt vt à vobis* (in bonum) *iudicer aut ab humano die; Qui enim iudicat me, Dominus eſt, & tunc* abſque vanitate *laus vnicuique à Deo.* *Pſal. 140.* *1. Cor. 4.*

ATQVE VTINAM SIC IVDICARETVR VIR CVM DEO, QVOMODO IVDICATVR FILIVS HOMINIS CVM COLLEGA SVO. Si pro, CVM DEO, CVM COLLEGA SVO, legeretur A Deo, A Collega ſuo, ſenſus eſſet, vtinam ſic Deus iudicaret hominem prout homo ſuum iudicat Collegam, & tàm eſſet verum atque ſecurum hominis de homine, quam Dei de homine iudicium. Quæ lectio cum ſuo ſenſu præcedentibus aptè cohæreret. Sed quia omnes interpretes hæc conſtanter vertunt de iudicio quod hæreat inter Deum & hominem tanquam cuiuſdam controuerſiæ partes; de quali iudicio Deus

C per Iſaiam, *ſimul ad iudicium propinquemus, narra ſi quid habes vt iuſtificeris*; videtur Propheta hic optare dari arbitrum qui iudicet inter Deum & hominem, prout dantur arbitri qui controuerſias hominum ex æquo determinent: vt, quemadmodum ſuper controuerſias inter homines, ſecundum 70. ſupra dixit Iob, *Vtinam eſſet nobis arbiter*, ita id ipſum hic optet in cauſas quæ exſtant inter Iudicem Deum, & hominem reum, vt nimirum illæ tollantur per arbitrum, atque arbitrium æquitatis. Quod votum tandem conſecuta eſt noui teſtamenti Eccleſia in foro conſcientiæ, nam in illo, inſtituente Chriſto, Sacerdos arbitrum agit inter Deum & reum, ad inimicitiam iudicij æquitate tollendam, Vt etiam in Iob locum habeat quod de Dauid dicit Ambroſ. *Propheta & prædicator Eccleſiæ congregandæ, euangelico ſpiritu indulgentias Domini præuidebat, & præcipienda Apoſtolis, ei Dominus reuelabat, Imo hæc erat vetus ſententia, vt qui ſe ligaſſet in terris, vinctus migraret è corpore. Ideo Dominus quod ante erat iudicij ſui, dedit Apoſtolis peccata remittendi ÆQVITATEM;* *Cap. 41.* *in Pſ. 38.*

D *ne cito ſoluenda, diu ligata manerent. Tibi inquit dabo claues regni cælorum vt & ſoluas & liges. Hoc Nouatianus non audiuit, ſed Eccleſia Dei audiuit. Ideo ille in lapſu, nos in remiſſione. Ille in pænitentia, nos in gratia. Non poteſtatem vſurpamus, ſed ſeruimus imperio: ne poſtea cum venerit Dominus & ligatos inuenerit quos oportuit ſolui, commoueatur aduerſus diſpenſatorem qui ligatos ſeruauerit ſeruos quos Dominus iuſſerat ſolui. Merito ergo Dauid remitti ſibi poſtulat, quod ſciebat non eſſe ijs qui ſecundum Aaron erant Sacerdotibus attributum, ſed Euangelio reſeruatum.* Hæc Ambroſ. Qui pulchrè dixit, *Remittendi æquitatem*, quia Sacerdos non ſecundum rigidam diuini iudicij iuſtitiam, ſed humani iudicij, diuinitus tamen directi ac moderati, mediocritatem peccata remittit, dicente Epiſt. 55. ad Cornelium Cypr. *Remitto omnia, multa diſſimulo, ſtudio & voto colligendæ fraternita-* *Mat. 16.*

ternitatis etiam quæ in Deum commissa sunt non pleno iudicio religionis examino, delictis plusquam oportet remittendis penè ipse delinquo: amplector prompta & plena dilectione cum pænitentia reuertentes, peccatum suum, satisfactione humili & simplici confitentes. Quin & Ambros. de Nouatiano pulchrè dicit, *Ille in pænitentia, nos in gratia:* quia quamdiu indulgentia peccatorum pendet à iudicio tantum diuino, cum illius nullum forinsecus exstet signum, perseuerat pænitentia tanquam quæ ignoret sufficientiam sui, nec in remissionem, diuinum accipiat responsum. Sacerdos autem tanquam arbiter pænitentiæ & indulgentiæ, imponendo pænitentiam, de ipsius sufficientia iudicat per censuram, impendendo absolutionem, in Dei nomine præstat veniam. Rectè proinde Ambrosius dixit, *datam esse Sacerdotibus soluendi æquitatem, ne cito soluenda, diu ligata manerent,* quia multo citius & euidentius peccatum soluitur humani iudicij æquitate, quam solueretur diuini iudicij altitudine. A

Legunt quidem 70. Isaiæ 30. *Si conuersus ingemueris saluus eris*, sed id August. in Psalm. 6. & Aquinas de Diu. Nom. cap. 10. intelligunt de pænitentia ab initio perfecta qualis erat Dauid, cui dicenti, *Peccaui Domino*, mox responsum est, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Sed & si verba Isaiæ intellexeris generaliter dicta, obserua Ambrosium dixisse, *non esse perfunctorium gemitum qui habet conuersionem.* Et verum est Deum ante institutionem Sacramenti pænitentiæ, promisisse pænitentibus remissionem, sed illa erat eis apprehendenda per spem, maiore verò securitate in nouo testamento accipitur per causam efficientem. Quid si Sacerdos iudicio errauerit? Si illud prouenerit ex fraude pænitentis, dicam illud Cypriani, *Si nos aliquis pænitentiæ simulatione deluserit; Deus qui non deridetur, & qui cor hominis intuetur, de his quæ nos minus perspeximus iudicet, & seruorum sententiam Dominus emendet, dum tamen nos meminisse debeamus scriptum esse: Frater fratrem adiuuans, exaltabitur.* Sin verò id euenerit ex facilitate Sacerdotum, proponam illud eiusdem ad Fidum, *Significasti de Victore quodam Presbytero, quod ei antequam pænitentiam plenam egisset, & Domino Deo in quem deliquerat, satisfecisset, temerè Therapius collega noster immaturo tempore & præpropera festinatione pacem dederit: sed librato apud nos diu consilio, satis fuit obiurgare Therapium quod temerè hoc fecerit, & instruxisse ne quid tale de cætero faciat. Pacem tamen quomodocumque à Sacerdote Dei datam non putauimus auferendam, ac per hoc Victori communicationem sibi concessam vsurpare permisimus.* Hæc Cyprianus. B

2. Reg. 12. in Ps. 32. Epist. 52. Prou. 18. C Epist. 59.

Addit Iob: ECCE ENIM, numero, BREVES ANNI, continuo & rapido cursu, TRANSEVNT, ET SEMITAM, PER QVAM NON REVERTAR ad redintegrandam amissam vitam temporalem AMBVLO: Quod aptè subiungitur præcedentibus, ne peccatores negligant tempestiuè, ad remissionem peccatorum vti opera Sacerdotum. Dicit namque eodem loco Ambros. *Hic petenda est venia. Hic locus est veniæ postulandæ. Deploremus igitur in terris vt mereamur indulgentiam. Nisi remissum peccatum hic fuerit, non habebimus requiem. Ideo Dauid petit remitti sibi antequam eat. Si enim remissum non fuerit, non ero, inquit, cum ijs qui sunt, cum ijsque qui paradisum merentur ascendere. Qui autem non est, consumetur cum descendentibus in lacum, qui in catenis & carcere fuerit derelictus.* Hæc Ambrosius. D

CAPVT

A

CAPVT XVII.

FInita excursione Propheta resumit propositum & dicit in persona Christi: SPIRITVS MEVS, vitalis, *qui à corde ad omnia membra diffunditur, & quamdiu in corpore durat, corpus viuit, sed quando virtus caloris naturalis incipit debilitari in corde, huiusmodi spiritus minuitur, quam quidem diminutionem, & debilitatem per spiritus attenuationem hic designat*, inquit D. Thomas. *in hunc locum.* Christus itaque hic dicit SPIRITVS MEVS ATTENVABITVR, quod exponens Augustinus: *Defeci* inquit *spiritu, laboribus concussus*, quia ex acerbitate suppliciorum, & sanguinis effusione *factum est cor meum*, in quo vitæ principium, *tanquam cera liquescens*. *Psal. 21.* Principio autem tanquam vitæ fomento, &

B retinaculo flaccescente, necesse est viuacitatem, spiritumque vitalem labascere. Interim Chaldæus spiritum interpretatur ANIMAM. Nec abs re, quia, vt pulchrè docuit Tertull. *Anima, dilabentibus paulatim corporeis instrumentis, domicilijs, ac spatijs suis, deducitur & ipsa in diminutionis effigiem vt videatur & ipsa attenuari.* *de anima cap. 52.* Videatur dicit, non autem attenuetur, *quia spiritus animalis deficientis vectaculi nomine, non suo, deficit, actu languens, non statu constantiam, non substantiam decoquens.* Quod ergo Saul dicebat, *Adhuc anima mea tota est in me*, *2.Reg. 1.* non dicebat ratione substantiæ, quasi anima in corpore esse posset secundum partem, sed ratione effigiei, quam dixit Tertull. quia corpore lethalis adhuc vulneris, imo cuiusuis læsionis experto, anima non deducitur in diminutionis effigiem.

DIES MEI BREVIABVNTVR, quia per optimam corporis complexionem, potuisset *Christus in senectam vsque & senium viuere, nisi iuuenis*, inquit

C August. *fuisset occisus*, Quin & ipsos sic violenter abbreuiatos dies, ipsemet quadam parte abbreuiauit, quia *preuento carnificis*, inquit Tertull. *officio, animam non necessitate* (*nemo enim*, inquit, *animam meam tollit à me*) *sed propria potestate posuit*, iuxta quod dixit, *Potestatem habeo ponendi animam meam.* *Ioan. 10.* Lethalia enim vulnera sibi inflicta poterat corpus Christi diutius sustinere, & in ijs vitam protrahere, sed illam corporis sui virtutem conseruante sua operatione destituendo, labefactauit, & sic interueniente quodam insolito, corpus animam suam præproperè posuit. Decebat enim, vt miraculoso dispungeretur exitu, qui in mundum miraculoso venerat Virginis partu. *Constat tamen quosdam mori, non tam defectione corporis, quam animæ raptu*, vt fatetur Augustinus, *13 de ciuit cap. 6.* quem postulasse videtur Elias, cum adhuc integer vitæ diceret: *tolle animam meam*, *3.Reg. 19.* & assecuta beata Leocadia, quæ agone D. Eulaliæ, quem audierat conterrita, animam suam tolli exorans raptim obdormiuit. *Baro. tom. 2. An.Chri. 303. num. 139.* Quin & Hieron. in caput 37. Isaiæ dicit, *centum octoginta quinque millia fortissimorum*

D *virorum ab vno Angelo vna nocte cæduntur, & absque vulneribus occisorum mors sæua discurrit: Excludens à corporibus animas Dei voluntate.* Hunc raptum si quis tribuerit Christo, elucidabit potestatem de qua ipse, *Potestatem habeo ponendi*, sed tamen quandoquidem dicit, *ponendi animam meam*, corpus autem, Authore August. *defectu suo proprio ponit & exspirat animam*, rectius intellexeris Christum hac potestate, corpus, vt animam vlterius continere non posset, negatiuè, siue denegata restantis in eo virtutis conseruatione, labefactasse, vt in eo vnà cum miraculo appareat etiam exspirationis & mortis ordinaria conditio ex defectu corporis proueniens.

ET SOLVM MIHI SVPEREST SEPVLCHRVM. Quod ne de Christo intelligas secundum vtramque humani compositi partem, quasi anima ipsius, tametsi

tametsi à corpore separata fuisset corpori consepulta, adiungit de recepta- A
culo animæ suæ à morte: quod cum fuerit infernus, vt declaret se ad illum
non descendisse vllo suo demerito, ante omnia dicit, NON PECCAVI, atque
adiungit, ET IN AMARITVDINIBVS, de quibus supra, *Scribis contra me amari-
tudines*, quas esse diximus potiones infernales, In his inquam, MORATVR
OCVLVS MEVS. Vnde intelligas Christum à morte sua secundum animam
Psal. 15. descendisse quidem ad inferos, eò quod dixerit, *Non derelinques animam meam
in inferno:* Quod non dixerit nisi qui ad infernum aliquando descenderit;
in loco tamen tormentorum demoratum fuisse non per substantiam, eò
Psal. 68. quod orauerit, *non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum*;
sed per ocularem inspectionem *è sinu Abrahæ* prospiciens amaritudines
Luc. 16. damnatorum, vt quondam Abraham tormenta Epulonis. Quod ipsum pul-
Eccle. 24. chrè insinuat dicens per Sapientem, *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, &
inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Vbi quod B
dicit *omnes inferiores partes terræ*, dat intelligi, in inferno *plures esse mansiones:*
addens vero, *inspiciam omnes dormientes, & sperantes in Domino, illuminabo*; de-
clarat quod se erga sortes diuersas diuersimodè sit habiturus, & dormientes
in morte secunda ex distanti loco inspecturus: sperantes vero in Domino
1. Pet. 3. illuminaturus, sua vtique præsentia suique manifestatione, *Nam ijs qui in car-
cere erant spiritibus veniens prædicauit* siue *bonum nuncium adferendo, euangeliza-
uit*, vt legit Irenæus: Venire autem illud, præsentiam ipsius illis spiritibus
importabat. Inspexit autem dormientes Oculo non solum mentis, sed
etiam oculo animæ sensitiuæ ab anima inseparabili, quo oculo etiam ani-
4. de orig. ma Epulonis, videbat Abrahām & Lazarum in sinu ipsius, dicente August.
animæ c. 8. *Quid si apud inferos animæ in corporum similitudinibus cognoscant?* Quod quidem
12. de gen. ibidem inquirendo dicit, alibi vero se resoluens, *Non video,* inquit, *cur habeat
ad lit. cap. anima similitudinem corporis sui cum iacente sine sensu ipso corpore nondum tamen pe- C
32. nitus mortuo, videt talia qualia multi ex illa subductione viuis redditi narrauerunt,
& non habeat cum perfectâ morte de corpore exierit.* Hæc Augustinus opinatus,
quod & alij quidam Philosophi, vt intellectiuas, ita & sensitiuas potentias
in anima rationali esse & in ea à corpore separata permanere. Quod et-
de anima iam affirmauit Tertullianus cum dicit, *Licebit animæ dilapsâ domo ex destitutio-
c. 38. ne propriorum subsidiorum incolumi abire, habenti sua firmamenta & propriæ condi-
tionis alimenta, immortalitatem, rationalitatem, sensualitatem, intellectualitatem,
arbitrij libertatem.*

lib. 2. c. 65. His positis, arbitratur insuper Augustinus animam corpore solutam apud
se habere similitudinem corporis derelicti, consentiente Irenæo cum dicit:
*Animas à corpore separatas characterem corporis in quo etiam adaptantur custodire
eundem.* Qua vero id fiat ratione Philosophia difficulter assequitur; quia
naturas rerum huius sæculi scrutatur, non æque pertingens ad ea quæ alte- D
rius sæculi sunt. Quæ si admittit, necesse esse intelligentem in hac vita phan-
tasmata speculari, & tamen ab hac vita sine phantasmate intelligere, cur
pro absurdo habeat, potentias animæ sensitiuas, similitudines rerum corpo-
ralium etiam extra corpus retinere, cum intelligere sine phantasmate non
minus sit ab huius vitæ consuetudine alienum, quam phantasma, animæ à
corpore separatæ adhærere. Fortassis hoc pertinaciter negantibus dici po-
terit, *Erratis nescientes scripturas neque virtutem Dei:* Nam scriptura dicens
Epulonem apud inferos *leuasse oculos, vidisse Abraham & Lazarum in sinu eius,
refrigerium sua lingua postulasse*, Nonne hæc aptè magis & litteræ propinquius
exponuntur, si dicantur per similitudines & characteres corporum facta
esse, quam tantum metaphoricè dici? præsertim cum maiores allegati id
docue-

A docuerint, & eorum sententiam re in contrarium nondum determinata absque reprehensione amplecti liceat?

Sed tridui mora in inferno peracta, à morte & inferorum loco, LIBERA ME DOMINE, & facta ascensione meique coram te oblatione, de qua Authore Cyrillo cum Aquinate, Daniel, *Ecce in nubibus cæli quasi (nondum enim illo tempore erat incarnatus;* inquit Tertull.) *filius hominis veniebat & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum.* Facta ergo hac mei ad te oblatione, meique à te susceptione, de qua Psalmus. *Me propter innocentiam suscepisti,* PONE ME à dextris tuis IVXTA TE, ET CVIVSVIS MANVS PVGNET CONTRA ME. Postquam enim emisso spiritu dormiero, & per somnum tridui soporatus, altius obdormiero, & ad immortalitatem exsurrexero, meque Dominus in ascensione oblatum susceperit, *Non timebo millia populi circundantis me,* quia non habebunt amplius quod faciant.

Libr. de Incar. vnigen. c. 25. & in expo. sit. Symb. Nic. Thom. in exposit. Symb. Ap. Tertull. 4. cont. Marc. c. 21. Psal. 40. Psal. 3.

B His in nomine Christi prophetatis, vertitur Prophetia ad Iudæos Deicidas, & dicit: COR EORVM LONGE FECISTI A DISCIPLINA docilitate, quia per doctrinam accedente proteruia magis indociles facti sunt, vt dicat Ieremias, *Cui loquar, & quem contestabor vt audiat? Ecce incircumcisæ aures eorum, & audire non possunt: Ecce verbum Domini factum est illis in opprobrium, & non suscipient illud.* Ierem. 6.

PROPTEREA NON EXALTABVNTVR, exaltatio enim promittitur disciplinato, nam dicit Prouerbium: *Audi fili mi, disciplinam patris tui, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Prouerb. 1.

PRÆDAM POLLICETVR SOCIIS. Prouerbiorum 1. vbi dicit, *Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra: deglutiamus eum, sicut infernus viuentem, & integrum quasi descendentem in lacum: Omnem pretiosam substantiam, reperiemus, implebimus domos nostras spolijs,* Dicit

C namque Augustinus. Quod in Prouerbijs legitur viros impios dixisse, *Abscondamus in terra virum iustum, iniustè, possessionem eius pretiosam apprehendamus,* non ita obscurum est, vt de Christo, & eius possessione Ecclesiâ sine laboriosa expositione non possit intelligi. 17. de ciuit. c. 20.

ET OCVLI FILIORVM EIVS DEFICIENT, iuxta quod scriptum est, *Non auferam penitus virum ex te ab altari meo, sed vt deficiant oculi tui & tabescat anima tua.* 1. Reg. 2.

Prosequitur Prophetia eadem in persona Iudæorum & eorum nomine dicit, POSVIT ME QVASI IN PROVERBIVM VVLGI, iuxta quod Deuteron. 28. fuerat comminatus, *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, eris perditus in prouerbiũ & fabulam omnibus,* ET EXEMPLVM SVM CORAM EIS, vt alij caueant longè fieri à disciplina. Quod & euenit sicut scriptum est, *conturbati sunt omnes qui videbant eos,* Iudæos Christi perduelles, *& timuit omnis homo.* Psal. 63.

D CALIGAVIT AB INDIGNATIONE OCVLVS MEVS, quia præ ira, & odio in Christum, & Christianam religionem, intelligentia, ac iudicio sum obscuratus: propter quod & in Cantico, postquam Iudæa dixit, *Nesciui,* pristinæ ignorantiæ causam adiungens, *Anima,* inquit, *mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab,* siue euangelij processum, *sic vt conturbatus sit in ira oculus meus, anima mea, & venter meus,* ET MEMBRA MEA QVASI IN NIHILVM REDACTA SVNT. Vertit Chaldæus, *Vultus siue obtutus meus vmbra totus,* quæ versio dat intelligi, quod in textu nostro pluralis ponitur pro singulari, atque adeo membra pro vultu. Cui satis conueniens interpres Pagninus, *Phantasia mea sicut vmbra vniuersa ipsa:* Nam in Iudæo non solum exterior vultus nubilus & toruus, sed & ipsum phantasma, cui intendit quod voluit, quod cogit, vmbra, & tenebræ. Cant. 6. Psal. 30.

De qua

De qua Iudeæ transmutatione & obcæcatione in persona sua interserit A
Iob STVPEBVNT IVSTI SVPER HOC, quod nimirum gens à Deo tantopere dilecta, per ipsa quæ erant diuinitus in adiutorium data tam vetera quam noua, eò cæcitatis deuenerit. Quorum stupentium voces efformans Psal-
Psal. 65. tes, *Quam*, in suis euentibus, *terribilia*, inquit, *sunt opera tua Domine, in multitudine virtutis tuæ*, quæ erit ad sanandum eos, *mentientur tibi inimici tui*,
cap. 15. quia vt Ieremias dicit: *Facta est mihi plaga mea in mendacium aquarum infidelium,*
2 cont. *Populorum incredulorum*, vt tangit August.
Petil. ET INNOCENS CONTRA HYPOCRITAM SVSCITABITVR, quia Chri-
cap. 101. stiani aduersabuntur hypocrisi Iudæorum in hoc positæ, quod odio Christi prætexant Zelum legis, & traditionem maiorum, ET TENEBIT IVSTVS VIAM SVAM contradictionibus Iudaicis nihil à fide, ac iustitia Christiana
1.cor. 1. dimotus. Ex quibus Apostolus, *Prædicamus Christum Iudæis scandalum, gentibus stultitiam, ipsis verò vocatis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*, Quo B
pertinet illud 1. Thessalonicensium 2. *Vos imitatores facti estis fratres Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæa in Christo Iesu: Quia eadem passi estis, & vos à contribulibus vestris, sicut & isti à Iudæis: qui & Dominum occiderunt Iesum, & nos persecuti sunt, & omnibus hominibus aduersantur; prohibentes nos loqui gentibus, vt saluæ fiant: sed verbum Dei non est alligatum.* ET per Christianam innocentiam MVNDIS MANIBVS, constantiæ qua tenet viam suam, ADDET FORTITVDINEM, vt pro via sua sustineat aduersa, *& custodiat vias duras*, prout
Phil. 1. Philippenses, quibus datum scribit Apostolus, *non solum vt in Deum credant,*
Hebr. 10. *sed & pro illo patiantur*, prout & Hebræi, *qui vinctis compassi sunt, & rapinam bonorum suorum cum gaudio susceperunt.* Cui fortitudini multum conferunt *manus mundæ, quia fortitudo simplicis via Domini.*

IGITVR OMNES VOS quos paulo ante introduxi loquentes, CONVERTIMINI, ET VENITE huc ad me vt perscruter vos, ET NON INVENIAM C
IN VOBIS VLLVM SAPIENTEM, quia in vobis impletum erit illud Isaiæ,
cap. 19. *Peribit sapientia à sapientibus, lex à sacerdote, sermo à propheta.*

His ex persona prophetæ interpositis resumit Iudæa errorem suum, & ignorantiam prout ceperat plangere, & in primis quoad euentum huius vitæ exinde quoad euentum futuræ, & dicit de priore DIES MEI, conatuum meorum effectu frustrati, & ad contraria deuoluti in vanum TRANSIERVNT, COGITATIONES MEÆ, quas inibam contra Christianam religionem DISSIPATAE SVNT, ipsa anxietate, & sollicitudine TORQVENTES COR MEVM, eo magis, quia euenit id, quod summopere conabar auertere, nam, NOCTEM, gentilium infidelitatem VERTERVNT IN DIEM fidei Christianæ,
Mat. 21. quia Iudæa Euangelium repellens, occasionem dedit, *vt ab ipsa auferretur re-*
Ierem. 29. *gnum Dei*, & *daretur genti facienti fructus eius.* Quia tamen apud Prophetas
Deut. 4. *est spes nouissimis meis*, dicente Moyse: *In nouissimo reuerteris ad Dominum* D
Deum tuum, RVRSVM POST TENEBRAS SPERO LVCEM Euangelicæ fidei.

SI SVSTINVERO hanc ærumnam meam in finem, dicunt qui hæc exponunt de persona Iob INFERNVS DOMVS MEA EST. Quomodo autem? Propheticæ sustinentiæ finis infernus? Respondent infernum hic esse sepulchrum, de quo ipsi intelligunt supra dixisse Iob, solum mihi superest sepulchrum. Sed vt non dicam illam expositionem confirmare Hæreticos affirmantes articulum Symboli Apostolici *sepultus est*, eundem esse cum eo qui sequitur *descendit ad inferos*; Non potest sepulchrum dici infernus, quia se-
Luc. 16. pulchrum locus est quietis, infernus autem tormentorum, iuxta quod ille in inferno sepultus dicebat, vt non veniant in hunc locum tormentorum. Deinde infernus est in corde terræ, nullum autem ibi propriè dictum sepulchrum.

A chrum. Rectius ergo intellexeris hæc cohærenter dici in persona Iudææ, quæ contra pertinaciam in pristino errore permanendi apud se argumentetur in hunc modum: SI SVSTINVERO, *pertulero peccata mea, nec confitear*, inquit Augustinus, atque adeo si in agnito iam errore pertinax perseuerauero, mox à mea morte INFERNVS DOMVS MEA EST secundum animam ET IN TENEBRIS mortuorum, siue vmbra mortis STRAVI LECTVLVM MEVM, quietis meæ locum. Erit enim mihi ad tempus secundum corpus quiescendum in sepulchro quasi in lectulo tenebroso: Corpora enim impiorum in sepulchris suis, dum animæ torquentur in inferno, vsq; ad resurrectionem recumbunt, & absque sensu doloris dormiunt, & requiescunt. *in hunc locum.*

PVTREDINI DIXI: PATER MEVS ES; MATER MEA, ET SOROR MEA, VERMIBVS. Quia vt tempore mortalis vitæ pater, mater, soror, ita nunc vos ô putredo & vermes estis mihi contubernales & quasi fratres ac sorores, sicut ob communis eremi incolatum infra dicet Iob, frater fui draconum & socius strutionum.
B

VBI EST ERGO NVNC, vbi in finem, vt dixi, sustinuero, inquit Augustinus, PRÆSTOLATIO MEA? qua indesinenter præstolor aduentum alterius Messiæ? ET PATIENTIAM MEAM pertinaciter sustinentis dictæ præstolationis moram, & ærumnas QVIS CONSIDERAT? Vt ipsius exspectationi per alium Messiam & felicitatem meam temporalem satisfaciat? imo, si sustinuero, non sat erit, quod infernus domus mea sit, & in tenebris strauerim lectulum meum, quia post resurrectionem iudicij, IN PROFVNDISSIMVM INFERNVM. Superlatiuus iste, sicut nec quiuis alius absque positiuo, & comparatiuo subsistit. Profundissimum ergo inferni intelligens mansionem damnatorum, de quo Basilius, *In fundum inferni, denotat quosdam esse in inferno quidem, sed non in ima parte inferni qui longè mitius supplicium alijs subeunt*; *in hunc locum.* *Orat. 13.*

C quocirca & Isaias, *detraheris in profundum laci*, quod est in imum seu fundum gehennæ. Proinde qui te viderint, ad te inclinabuntur teque prospicient, prout qui fundum putei inspicere nititur debet se inclinare. In hæc proinde verba Hieron. *Qui per superbiam dixerat in cælum ascendam, non solum ad infernum, sed ad inferorum vltimum detrahitur. Hoc enim significat laci profundum.* Huc ergo DESCENDENT OMNIA MEA, corpus videlicet & anima, quibus paulò ante diuersa mox à morte assignaui loca, animæ locum tormentorum, corpori lectulum, locumúe quietis. *Cap. 14.* *Isaiæ 14.*

PVTASNE SALTEM IBI, ob profunditatem loci quasi oculis Dei inconspecto, aut manibus ipsius elapso, ERIT REQVIES MIHI? Absit, *quia nudus est infernus coram illo, & non est operimentum perditioni. Quo ergo à facie tua fugiam, quia si descendero ad infernum ades?* Vel, PVTASNE SALTEM IBI ERIT REQVIES MIHI, vt nimirum accedat mihi quippiam solatij ex resumpto corpore? Nequaquam, scriptum est enim, *Timete eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam.* Nulla ergo parte ibi requies mihi, sed vltimus finis sustinentiæ præstolationis & patientiæ illius meæ, afflictio per vtramque hominis partem. Cum ergo Iudæa inter agnitionem inueterati sui erroris & resipiscentiæ considerationem ex vna, æterna supplicia quæ pertinaciter non resipiscentes manent, ex altera parte, quasi nutabunda hunc in modum discurrat, & per id non longè sit à regno Dei, oportunè in Cantico Canticorum postquam dixit, *Nesciui*, Ecclesia introducitur ipsi vndique acclamare, *Reuertere reuertere Sulamitis*, si non à Salem siue Ierusalem *Salemitis, reuertere reuertere*, vt in fidei Christianæ Societate & pulchritudine *intueamur te*, quasi dicat, noli in hoc discursu hærere aut desinere, *sed reuertere auersatrix, Israël, vsquequo dolens auerteris? Conuertere ad Dominum Deum tuum.*
D *Matt. 10.* *Cant. 6.* *Ierem. 3.*

L Possunt

Possunt interim verba hæc accommodari ijs qui per insufferentiam malo- A
rum præsentium, inconsideratè & turbidè mortem sibi meditantur inferre, quasi mors futura sit finis malorum, *valeántque in inferno quasi in propria domo,*
in cap. 5. Amos. inquit Hieron. *requiescere.* Quos per hæc verba informet Propheta vt in animi perturbatione præcipiti, recogitantes & nonnihil hærentes dicant apud semetipsos, PVTASNE IBI ERIT REQVIES MIHI? Et audito Hieron. ibi-
Isaie 26. dem dicente, *Cum nos putauerimus audire Isaiam dicentem: Vade populus meus, intra cubicula tua, claude ostium, & esse quasi in domo nostra, quasi in inferno requiescere, tunc mordebit nos coluber qui in præsenti loco Nahas, in Iob appellatur Leuiathan & est Diabolus, morsu acerbiore crucians nos, quam cum persequeretur in præsenti vita.* Hoc inquam audito, ab inita cogitatione sese auertant & absque dubitatione vel hæsitatione dicant, In inferno nulla requies mihi, nec ibi erit inuenire cibum, Quid igitur ad illum propero?

B

CAPVT XVIII.

RESPONDENS AVTEM BALDAD SVHITES, DIXIT, VSQVE AD QVEM FINEM? *Finis duobus modis dicitur, vel quo fit, vt non sit quod erat, vel quo*
in Psal. 30 & 31. *fit, vt perfectum sit, quod inchoatum erat,* inquit Augustinus. Hic autem accipitur modo priore, vt sensus sit Quamdiu, vsquequo? O Iob, & Eliphas PER VICES, inquit Chaldæus, alter in alterum, VERBA IACTABITIS? INTELLIGITE PRIVS, Per quod indicat verba hinc inde proiecta esse absque alterutrius intelligentia, sic nimirum vt alter alterius intentionem, mentem, & sensum non intellexerit, & putauerit de se & in se dici, quod C
alio dirigebatur. Sit igitur huic iactantiæ iam finis, & intelligat ante omnia alter alterius mentem, & propositum: Et vt memetipsum ac Sophar vnà mecum comprehendam, SIC cum bona vtrimque intelligentia & conuenientia LOQVAMVR ne in posterum quod dicitur, veluti cœci in ouum incerto ictu, inuehamur in alterutrum.

QVARE ego & Sophar tanquam quibus non sit intellectus, REPVTATI SVMVS VT IVMENTA, ET tanquam insipientes SORDVIMVS CORAM VOBIS? Te inquam Iob, & te ô Eliphas, nam alia exemplaria legunt CORAM TE, quod bis repetitum idem est quod CORAM VOBIS. Videtur enim Baldad suspicatus, Eliphas, quandoquidem primo loqui cepit, & secundo loqui resumpsit, cum Iob velle ex hinc solum dialogari, propter quod ipse se, & Sophar ad colloquendum, disputandumque offerens, & ingerens dicit SIC LOQVAMVR. D

Et hæc quidem ad vtrumque Baldad, sed nunc singulariter ad Iob, in quo exaggerans animi, quam putabat in dicendo impotentiam, QVI PERDIS, inquit, ANIMAM TVAM IN FVRORE TVO, dicendi, dico, insaniâ, est enim hæc æterna perditione digna. NVNQVID PROPTER TE, tanto furore loquentem, DERELINQVETVR TERRA? à tempestiua Dei prouidentia,
Cap. 5. de qua Ieremias, *Metuamus Dominum qui dat nobis pluuiam temporaneam, & serotinam in tempore suo:* & Deut. 11. *Terra ad quam ingredimini possidendam, Dominus Deus tuus semper inuisit, & oculi illius in ea sunt à principio anni vsque in finem.* ET, ipsa terra, tanquam ob verborum tuorum improbitatem, ac impietatem, intremiscente, TRANSFERENTVR, prout in terræ motu, RVPES DE LOCO SVO? Vtique, Sermones enim tui tales sunt, vt quod de verbis Prophetæ Amos imme-

A immeritò, de tuis meritò dixerit Amasias, *Non potest terra sustinere vniuersos* Amos 7.
sermones eius, sed aut temere debet ad eos, aut indignante Deo sterilescere. Videtur enim tale quid olim in maledictis dici solere per Hyperbolem, quæ teste D. August. tunc assumitur, *Quando vel permouendos animos dicto fidem rerum excedit*. Contr. Iul. c 3. & 16. de ciui. cap. 21.

Sed esto, non id eueniat, Saltem, NONNE LVX, splendor, aut quod magis verisimile, LVX, oculis IMPII conspicua per tenebras exteriores in quas tandem proijcietur EXTINGVETVR? NEC SPLENDEBIT FLAMMA IGNIS EIVS? Quia ignis æternus non præbebit splendorem aut lucem, dicente Basil. *Ignem illum obscurum, causticas* (alij, vrendi) *quidem vires habere luce vero destitutum esse, ob vaporem fumi*, quem dicit Ioel, & refertur actuum 2. prout supra tetigimus, nam erit ille tam densus, & spissus, vt lux in ipsum se nequeat diffundere. in Ps. 33. Ioel 2.

B ET præter hoc LVX, diuinæ gratiæ OBTENEBRESCET IN TABERNACVLO, transitorio huius vitæ habitaculo ILLIVS, nam illa destituetur, ET LVCERNA QVÆ SVPER EVM EST, tanquam ipsum illustrans, & est verbum Dei, *Lucerna enim pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*, EXTINGVETVR, vt præ oculorum caligine, cum Heli, *Non videat lucernam Dei antequam extinguatur*, siue, dum adhuc lucet, & rutilat. Lucerna enim Dei hæc nunquam extinguitur, sed oculi intuentium obscurantur, ne quod lucet, videant. Psal. 118. 1. Reg. 3.

ARCTABVNTVR GRESSVS VIRTVTIS, fortitudinis EIVS, *in qua cucurrit aduersus Deum erecto collo, ceruice pingui armatus*, quia nimirum, Angelus Domini coarctabit illum, quo minus egrediatur de carcere, *donec reddiderit*, quem nunquam reddet, *nouissimum quadrantem*, ET PRÆCIPITABIT EVM in has angustias, non necessitas, sed CONSILIVM SVVM, quod in Exordio est C liberi arbitrij discursus, in conclusione, status: Quia, ab initio cum esset expeditus, sua libera voluntate, suaque sponte, IMMISIT IN RETE Diabolicarum fraudum & perplexitatum, PEDES SVOS, ET IN MACVLIS EIVS, retis, AMBVLAT, quia tametsi ita irretitus inter diuersa discurrat, intricatus hæret in malis, & mala non egreditur. prius c. 15. Matth. 5.

TENEBITVR PLANTA extremum ILLIVS, Planta enim extremum corporis, LAQVEO, iuxta illud Isaiæ: *Formido, & fouea, & laqueus super te, qui habitator es terræ: & erit, quicumque fugerit à facie formidinis, incidet in foueam, & qui se explicuerit de fouea, tenebitur laqueo*, à quo non erit euasio. ET, cum fuerit sic illaqueatus, ab igne inferni, EXARDESCET CONTRA EVM, in ipsius cruciatum SITIS, ratione cuius dicebat ille, *Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*. Poteris tamen id ipsum extendere ad sitim interiorem hominis iam vt diximus illaqueati, carentem irriguo, De quo Isaias, *Erit anima eorum* D *quasi hortus irriguus*. Ratione cuius irrigui Dominus ad Samaritanam, *Qui biberit ex aqua, quam ego ei dabo, non sitiet in æternum*. Contra hunc vero, quem hic describit Baldad exardescet interioris hominis sitis. Dicit enim Ambrosius. *Festinauit, vt perfidiæ suæ æstu fontem viuum negans, æterna fauces suas ariditate siccaret*. Isaiæ 24. Luc. 16. Cap. 58. Ioan. 4. in Ps. 61.

ABSCONDITA EST IN TERRA PEDICA EIVS. Pedica est vinculum, vel retinaculum pedum, sicut manica manuum. Pedes autem corporis extrema; Significatur ergo quod extremorum ipsius laqueus, quo nimirum obstrangulabitur in mortem secundam, accuratè absconditur, vt ad modum illius, quod absconditur in terra, non agnoscatur. Propter quod extremum laqueum Psalmus peculiariter appellat, *Laqueum quem absconderunt mihi*. Psal. 30.

 animam

animam videlicet agenti, nam dicit: *Educes me de laqueo hoc*, Educitur au- A
tem de eo, qui à Domino enutritus, & euocatus moritur. ET DECIPVLA
ILLIVS, abſcondita eſt; SVPER SEMITAM, nam & multi laquei ipſi ten-
Pſal. 139. duntur, dum adhuc inter viuos ambulat, ſicut ſcriptum eſt: *Funes extende-*
Ambroſ. in c. 4. Luca. *runt in laqueum*; Laqueos hos recenſet Ambroſ. dicens, *Multi laquei quo-*
cumque progrediuntur, laquei in corpore, laquei in lege, laquei in philoſophia, la-
quei in cupiditatibus, laqueus in pecunia, laqueus in religione, laqueus in ſtudio caſti-
tatis. Abſconduntur autem laquei iſti, non ſolum ſtudio, ac induſtria ca-
Solilo. 17. ptantis, ſed etiam cæcitate periclitantis. Dicit namque Auguſtinus: *Quo-*
tidie cernimus quo magis à te vero lumine quis elongatur, eo magis eſt in tenebris,
& minus videt laqueos in via ſua, & ideo minus cognoſcit, & idcirco ſæpius capi-
tur, & cadit in eis; & quod eſt horribilius, etiam ſe cecidiſſe ignorat. Hæc Au-
guſtinus. Cui conuenienter Baldad prius dixit hominis, quem deſcribit,
Prouer. 1. lucernam extinguendam, & exinde ſubiungit de laqueis, *nam fruſtra iaci-* B
tur rete ante oculos pennatorum. Oculi enim ipſorum deprehendunt laqueos (prout
Prouer. 6. ſcriptum eſt, *Eruere quaſi Damula*, quæ Authore Ambroſ. *retia, aſpectus vi-*
uacitate declinat) *pennæ euadunt: Nam in mellis copia non fruſtra pennas habet api-*
cula, nectit enim hærentem, inquit Auguſtinus.

in Pſ. 33. VNDIQVE TERREBVNT EVM FORMIDINES, quas Baſilius deſcribit in
hæc verba: *Eos qui multa perperam in vita admiſerunt, horrendi quidam, ac*
triſtes circumſtabunt Angeli, ignem paratum contuentes, ignem exſpirantes pro-
pter propoſiti amarulentiam, vultum præferentes nocti aſſimilem, præ mærore, ac
hominum odio, ſubinde barathrum conſpicient in imum patens, tenebras impermea-
biles. Surſum conſpicient Iudicem cui adſtabit creatura omnis pratrepida, & intre-
Luc. 23. *miſcens, ad cuius conſpectum dicent impij montibus, Cadite ſuper nos, & collibus*
Apoc. 6. *Operite nos, & abſcondite à facie ſedentis in throno, & ab ira agni.* ET, formi-
dines, quos ſupra dixit Domini terrores, & ſunt ſpiritus nequam INVOL- C
VENT PEDES EIVS, quia tunc, rebus nimirum deſperatiſſimis, dæmones
laqueos abſconditos, & dudum abſconditè circumiectos atque pedicas
ſtringent, & quaſi pedibus aſtrictum, ac ſupinum trahent in infernum,
Mat. 22. ſicut ſcriptum eſt, *Ligatis manibus eius & pedibus mittite in tenebras ex-*
teriores.

Quin & in hac vita ATTENVETVR FAME ROBVR, quod eſt in tibijs
EIVS; nam fortitudinem viri inter cætera in tibijs conſiſtere, indicat illud
Pſa. 146. Pſalmi, *Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibijs viri beneplaci-*
tum erit ei; Idque eo manifeſtius quod Chaldæus legat, *in tibijs fortium cur-*
rentium, Et conuenientius, quia cum in ſequentibus diuerſæ humani cor-
poris partes exprimantur, conuenit in hoc primo membro quandam etiam
corporis partem, humani roboris ſedem peculiariter deſcribi, & intelligi,
præſertim quia 70. legunt: COMEDANTVR EIVS RAMI PEDVM, ET INEDIA D
INVADAT COSTAS præcordia ILLIVS, vt euirata labefactent vitalia opera
ipſius. Coſtis enim obtegitur, & protegitur cor, principium vitæ.

Qui interior languor ad exteriora ſe diffundens DEVORET PVLCHRI-
TVDINEM CVTIS EIVS. Et ne brachia exteriorum operum familiariſſima
inſtrumenta prout pedes curſuum, ab hac totius corporis pernicie ſint alie-
na, per toxica ſua, opera maleficorum, CONSVMAT BRACHIA ILLIVS PRI-
MOGENITA MORS. Alij, videlicet Vatablus & Pagninus ex Hebræo, PRIMO-
GENITVS MORS. Chaldæus, ANGELVS MORTIS. Et quis ille niſi Diabolus
Heb. 2. qui per peccatum primus mortuus eſt, quem & Apoſtolus dicit habere mor-
tis imperium? Hæc ergo per præcipuas corporis partes, & exteriorem cutem,
partim per inopiam, partim per maleficia ipſi obueniant.

AVELLA-

A AVELLATVR DE TABERNACVLO huius temporis habitaculo, SVO, FIDVCIA EIVS, ob quam Isaias ipsum increpat in hæc verba. *Fiduciam habuisti in malitia tua, & dixisti, non est qui videat me.* Quæ fiducia auelletur, quando implebitur quod apud Isaiam sequitur, *Veniet super te malum, & nescies ortum eius: & irruet super te calamitas, quam non poteris expiare: Veniet super te repentè miseria, quam nescies.* Quæ mala quandoquidem, vbi cœperint aduenire, omni conatu, & ope conabitur auertere, Illudit ei desuper Isaias, & dicit, *Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum in quibus laborasti ab adolescentia tua, si fortè quid prosit tibi, aut si poteris fieri fortior.* Nequaquam verò, quia subdit Baldad, ET CALCET SVPER EVM, QVASI REX; prædominans, ac præualens, INTERITVS mortis, quam omni renisu, adhibita etiam incantatione, non poterit euadere. Cap. 47.

B HABITENT IN TABERNACVLO ILLIVS, quod à morte secundum animam inhabitabit, SOCII EIVS, QVI NON EST. In quæ verba Hieron. *In Iob legimus à Baldad dictum de impio, habitent in tabernaculo illius socij eius qui non est: haud dubium quin Diaboli: qui cum habeat socios, non autem haberet nisi esset, tamen, quia Deo perijt, non esse dicitur.* Epist. 50. cap. 3.

ASPERGATVR IN EODEM TABERNACVLO EIVS SVLPHVR, vt *igne fætido*, inquit August. *concremetur. Ignis enim & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis*, portio retributionis, *eorum*, *Nam flatus Domini vt torrens sulphuris*, inquit Isaias, *succendet ignem illum.* in hunc locum. Psal. 10. Isaie 30.

DEORSVM RADICES EIVS è quibus opera eius bona si quæ inter multa mala operabatur educi solent; SICCENTVR, vt ad omnia bona siue fidei opera arescat, vt in ipso impleatur, quod scriptum est: *Venit nox in qua nemo potest operari*, SVRSVM AVTEM ATTERATVR MESSIS EIVS, de Ioan. 9.
C qua Apostolus, *Quæ seminauerit homo, hæc & metet*, vt si inter multa mala quippiam boni etiam ex fide fuerit operatus, id ipsi reddatur infructuosum. Galat 6.

MEMORIA ILLIVS PEREAT DE TERRA, ET NON CELEBRETVR NOMEN EIVS IN PLATEIS, sicut scriptum est, *Perijt memoria eorum cum sonitu*, quia omnis impiorum celebritas, quam nomini suo, tempore mortalis vitæ, Panegyricis, titulis, carminibus, magno cum sonitu sibi comparauerunt, ibi interibit. Psal. 9.

EXPELLET EVM DE LVCE IN TENEBRAS, quando nimirum implebitur quod scriptum est, è nuptiali conuiuio tanquam lucis loco, *mittite eum in tenebras exteriores*, quia *secundum multitudinem impietatis eorum, Expelle eos quoniam irritauerunt te Domine.* ET DE ORBE circumferentia, ac superficie terræ TRANSFERET EVM, in cor, siue centrum terræ, vbi infernus. Mat 22. Psal. 5.

D NON ERIT SEMEN EIVS, *Perdes enim semen eorum à filijs hominum*, vt à iustis separatum in perditione sit vbi esse, est non esse, NEQVE PROGENIES IN POPVLO SVO, *nam eradicabitur è terra viuentium*, vt sit, & non sit, prout ex Hieron. audiuimus. NEC VLLÆ RELIQVIÆ IN REGIONIBVS EIVS. *Terra enim, & quæ in ea sunt opera, exurentur.* Addit Basilius, *Eorum quæ in mundo fiunt operum, nihil extremo die iam erit. Nulla deinceps celebrabuntur nuptiæ, nulla commutandarum mercium nundinationes, non item exercebitur agricolatio, terra enim tremuit, & à solitis sibi motibus quieuit cum exurgeret in iudicium Deus.* Psal. 20. Psal. 51. 2. Pet. 3. Hom. 11. exif. Psa. 75.

IN DIE EIVS quando nimirum palàm & manifestè tribuetur ei secundum opera eius, qui est dies iudicij, ad tantam rerum mutationem, tantasque, ac perpetuas plagas STVPEBVNT NOVISSIMI; qui nimirum tempore

 morta-

mortalis vitæ se nouissimos reputauerunt, & omni ex parte exhibuerunt, & A
Matt. 20. tandem iuxta verbum Domini, ex nouissimis facti sunt primi. ET PRIMOS, tunc ad nouissimum locum redactos INVADET HORROR, de timore horri-
supra allegatus Sap. 5. bili quem dicit Sapientia, de quo & Basilius, Angore, & horrore corripietur omnis creatura, sudorque anhelus, & inexplicabilis coorietur.

Concludendo igitur subiungit Baldad. Hæc, quæ promiscuè recensui, SVNT ERGO TABERNACVLA INIQVI, ET ISTE LOCVS EIVS QVI IGNORAT DEVM. Cum enim tabernaculum sit domicilium transeuntium, quod dixit, LVX OBTENEBRESCET IN TABERNACVLO ILLIVS. Et, IMMISIT IN RETE PEDES SVOS, IN MACVLIS EIVS AMBVLAT: TENEBITVR PLANTA ILLIVS LAQVEO, ATTENVETVR FAME ROBVR EIVS, AVELLATVR DE TABERNACVLO SVO FIDVCIA EIVS, huius vitæ sunt habitaculi, ac incolatus: Quod vero dixit, EXARDESCET CONTRA EVM SITIS: HABITENT IN TABERNACVLO ILLIVS, SOCII EIVS QVI NON EST: ASPERGATVR IN TA- B
BERNACVLO EIVS SVLPHVR: EXPELLET EVM DE LVCE IN TENEBRAS ET DE ORBE TRANSFERET EVM, spectat ad LOCVM siue perpetuam ipsius mansionem. Locus enim, tanquam sedes quietis, omnis motus localis terminus.

CAPVT XIX.

RESPONDENS AVTEM IOB, DIXIT: VSQVEQVO AFFLIGITIS, alij, dolore (fortè compassionis) afficitis, ANIMAM MEAM, ET ATTERITIS ME SERMONIBVS? ad rem non pertinentibus: Isti enim seriò disputantem grauant, distinent, distrahunt, labefactant. Pulchrè autem dicit ATTERITIS: Vt enim attritio exterior oritur ex collisione corporum, C
ita interior ex commissura, & importuna collisione verborum.

EN, DECIES CONFVNDITIS, alij, pudore afficitis ME. Nam castus animus etiam ad falsa opprobria, falsasque criminationes erubescit, non sibi, sed exprobranti, & exprobrato dedecori. Dicit autem DECIES. Nam Eliphas, sic, vt dicimus, confudit Iob cap. 4. vers. 5. & 6. Baldad cap. 8. vers. 2. Sophar cap. 11. vers. 2. & 3. Iterum Eliphas cap. 15. vers. 2. 3. 4. 5. & Baldad cap. 18. vers. 4. Quibus si annumerare volueris verba cap. 5. vers. 1. & 2. inuenies Iob esse confusum duodecies; & tamen dicit DECIES, aut, quia verba capitis 5. ipsum carpebant obscurè, aut, quia more scripturarum quidquid numero alicui completo, & in primis decadi excrescit, prætermittitur, prout nos 72. Discipulos, ac interpretes dicimus 70. præcisè. Qui autem maiore posthabito eligit vti numero minore, nec fallit, nec fallitur, quia numerum minorem maiore comprehendit, proinde qui duodecies is vtique & decies confunditur. ET NON ERVBESCITIS OPPRIMENTES D
ME, absque rationabili ostensione me condemnando, iuxta quod infra audiemus Dominum regibus istis fuisse iratum, *eo quod non inuenissent responsionem rationabilem, sed tantum condemnassent Iob.* Per id enim, hæc verba Iob, sua sententia Dominus probat, & confirmat.

NEMPE, ETSI IGNORAVI non valens demonstrare vel ex recordatione proferre *quis vnquam innocens perijt, aut quando recti deleti sunt ab eo*, MECVM ERIT IGNORANTIA MEA: quia saltem nouero me ignorare, & sic euadam
Serm. 17. in Cant. falsitatem, inquit Bernard. *Matris enim ignorantiæ duæ pessimæ sunt filiæ, falsi-*
22 de ciu. cap. 22. *tas, & dubietas*, dicente in idipsum Augustino. *Omnis error ex ignorantia existit.* Ignorantia autem agnita, & præsertim eorum quæ sunt facti, mala quidem

A dem aut saltem non bona, prout omnis alia, est tamen præ alijs tum ob agnoscentis humilitatem, tum ob materiæ leuitatem venialis. Septuaginta vero alijque ex Hebræo pro IGNORAVI ponunt ERRAVI, quorum interpretatione vsus est Ambrosius. Error autem peior est ignorantia, hanc enim veritas latet, illi amplectenti, pro veritate falsitas se supponit: *Pro vero enim approbare falsum est errori proprium*, inquit August. *Si ergo* ERRAVI, *& apud me deuius ille inhabitat qui mentibus hominum infundit errores, vt loquar sermones quos non oportet, sicut vos dicitis, & errent verba mea, nec oportunè sermo meus promatur*, inquit Ambros. postremis hisce verbis, conuenienter exponens quod legunt 70. VERBA MEA NON IN TEMPORE; Quod enim intempestiuum importunum. Si ergo ERRAVI, MECVM ERIT ERROR MEVS, quia vsque ad tempus correctionis penes me erit, nec à me propagabitur. 2. de interpret. c. 2. Ench. c. 18. loco alleg.

Quo non obstante, VOS CONTRA ME ERIGIMINI in superbiam, quasi B me multo peritiores. Vel ERIGIMINI ad insultandum mihi, Cum ignorantia, vel error in eo, qui semetipsum continens, paratus est corrigi, mereatur clementiam, ET ARGVITIS ME, de ignorantia vel errore; non ratione, nec ostensione, quæ eruditioni, vel meæ correctioni posset proficere, sed OPPROBRIIS, siue improperijs MEIS à vobis ingestis: Nescio an vobis plus, an mihi probrosis. Ego enim, legit Ambr. RIDEO IN OPPROBRIO VESTRO, tanquam ad me non pertinente. Dixit proinde Ambros. *Tacebat Dauid cum Semei filius Gera malediceret*, IOB RIDEBAT, *Paulus benedicebat, sicut ipse ait, maledicimur & benedicimus. Magisterio quippe diuino processus humanæ virtutis excreuit, quia iam venerat, qui ex infirmis faceret fortiores. Iob ergo* RIDEBAT, *quia nondum venerat Christus, cui soli seruabatur magnarum prærogatiua virtutum, quia ipse est virtutum principium, sicut dixit, Dominus creauit me principium viarum suarum.* Hæc Ambros. Ignorantem autem, vel errantem C non docere sed probris, ac sannis obruere, improbum. 2. de Inter. cap. 2. 2. Reg. 16. 1. Cor. 4. Eccl. 24.

SALTEM NVNC, post tot altercationes, & verborum commutationes, ex illis, quæ enarrabo INTELLIGITE, QVIA, DEVS NON ÆQVO demeritis meis adæquato IVDICIO AFFLIXERIT ME, ET FLAGELLIS SVIS, ineuitabilibus, ME CINXERIT. Animus enim mihi est resumere propositum, quod cap. 6. sum ingressus, & in stateræ lance vna particulatim coaceruare acerba, & damna, quæ variè patior, & interpositis varijs excursionibus illa cap. 29. & 30. complere, vt tandem iustitia, ac innocentia mea cap. 31. in altera lance opposita, quasi ad oculum appareat, quantoperè mea calamitas sit peccatis meis grauior: per quæ cogamini fateri, aut Deum circa me esse iniustum; quod quandoquidem auersamini, ipsum absque iniuria supra peccatorum demerita, consulto affligere innoxium. Faciet verò hæc Iob mutato ordine. Nam cap. 6. cæpit calamitates recensere ab afflictio-D nibus corporis, & inopia rei familiaris, ad quæ aggrauanda transijt enarrare sui desertionem ab amicis & necessarijs: Hic verò cœpta resumens, incipit enarrare sui desertionem, & definit in suarum carnium consumptionem. Credo, vt primum propositum resumeret à loco in quem prius desierat, & hic desinens in declaranda suarum carnium consumptione, conuenientius transiret ad enarrandam carnis resurrectionem, in qua caput præsens concludit.

Dicit ergo. ECCE CLAMABO VIM PATIENS, ET NEMO AVDIET: VOCIFERABOR, ET NON EST QVI IVDICET. Prima facie videtur sensus CLAMABO, ET VOCIFERABOR, ad Deum, iuxta illud Abacuc, *Vsquequo Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis? Quare ostendisti mihi videre prædam, & iniustitiam contra me? Et factum est* Abacuc. 1.

 indi-

iudicium, & contradictio potentior? Sed illa vox ad Deum, hoc autem clamare, A
& vociferari dirigitur ad hominem. Nam pro ECCE CLAMABO Ambros.
vt paulo ante commemorauimus ECCE RIDEO OPPROBRIO VESTRO,
quod nemo dixerit dirigi in Deum. Clamabo igitur, in re familiari, & cor-
Prou. 27. pore vim patiens, & opem inclamans propinquorum, arbitratus *quod melior*
est vicinus iuxta, quam frater procul, NON EST QVI, ad subueniendum AV-
DIET. VOCIFERABOR, inclamans opem Iudicum, ET NON EST QVI IV-
Psalm. 81. DICET, cum tamen scriptum sit, *Eripite inopem, & egenum de manu calum-*
niatoris liberate.

Cæterum vt NON ESSE QVI AVDIET, NON ESSE QVI IVDICET, sum-
cap. 4. mam testatur desolationem, de qua Ecclesiastes: *Vidi calumnias quæ sub sole*
geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem consolatorem: nec posse resistere eo-
rum violentiæ cunctorum auxilio destitutos: ita CLAMARE, VOCIFERARI testa-
tur desolati infirmitatem, Cum autem Iob hic paret ex vna parte mise- B
riam, ex altera, iustitiæ suæ perfectionem expendere, oportebit à sermo-
nibus ipsius hoc saltem loco, abigere omnem tinnitum infirmitatis, Proin-
de alij inter quos Pagninus ex Hebræo, SI CLAMAVERO, SI VOCIFERA-
VERO, quod nostræ lectioni adfert sensum, Ecce, pono quod clamabo, po-
no quod vociferabor, vt per CLAMABO, & VOCIFERABOR hic non dicat
quid se facturum, sed quid nouerit, si faceret, euenturum; Ac si diceret, Et
si clamarem, ac vociferarer, nemo propinquorum vel Iudicum subueni-
ret. Ipse enim Iob etiam hic proponit sibi instar illius qui per patientiam &
Isaiæ 53. mansuetudinem *tanquam agnus ad occisionem ductus, non aperuit os suum, nec au-*
ditus est clamor eius in plateis. Vnde ergo Propheta nouit, quod inclamantem
nemo audiret, aut iudicaret? Quia attentis hominum moribus, nouerat,
quid mutatis tantoperè rebus, sibi ab omni hominum ordine foret exspe-
Psal. 68. ctandum: iuxta quod & Christus dixit, *Improperium exspectauit cor meum, &* C
miseriam: Attenta enim Iudæorum petulantia, ac inclementia, ex illis facilè
præsagijt talia sibi obuentura, tametsi id etiam scientia visionis, Deo pro-
pria, cognouerit. Imo, si omnium ope destitutus, tentauero mala euade-
re per memetipsum, SEMITAM MEAM CIRCVMSEPSIT, ET ex hac mise-
ria ad conditionem meliorem TRANSIRE NON POSSVM. *Tanquam murali-*
2. de interp. *bus enim tentationis clausus, non possum fugere,* inquit Ambros. Iuxta quod &
cap. 3. Thren. 3. Ieremias dicebat, *Circumædificauit aduersum me, vt non egrediar, aggrauauit com-*
pedem meum. ET IN CALLE MEO per quem tentarem fugere, TENEBRAS
POSVIT, vt viam & rationem euadendi non videam.

Vt autem his desolationem meam explicantibus quidpiam inseram, quod
tangit ablationem bonorum quibus abundabam, SPOLIAVIT ME GLORIA
MEA, quam ob authoritatem habere soleo in populo, vt cap. 29. versu 7.
8. 9. 10. latius enarrabo, ET ABSTVLIT CORONAM DE CAPITE MEO. Alij,
DIADEMA, quod tanquam insigne eminentiæ soleo gestare in capite. D

Et vt desolationi huic nihil desit, quoad statum pristinum, DESTRVXIT
ME VNDIQVE, ET, quoad ea quæ mihi modicè supersunt, PEREO, nam
& illa paulatim absumuntur, imo, quod ad extremam desolationem perti-
net, QVASI EVVLSÆ ARBORI, cui non est spes reuirescendi quoad causas
Iob. 14. secundas ABSTVLIT SPEM MEAM, desperatio autem extrema desolatio est.

IRATVS EST CONTRA ME FVROR EIVS. Ergóne ab irato & vindice Deo
aduersa hæc Prophetæ obuenerunt? Audi quod ad expositionem sequitur,
ET SIC ME HABVIT QVASI HOSTEM SVVM. Si quod (etiam 70. & Chaldæus
legunt) QVASI hostem suum, igitur non hostili animo in me desæuijt, sed illa
acerbitate ac afflictionum plenitudine, qua quis se de hostibus vindicaret.

SIMVL,

A SIMVL, vno & eodem tempore VENERVNT LATRONES EIVS. 70. TENTATIONES, qui videntur respicere ad omnia aduersa quæ supra audiuimus Prophetæ quasi iunctis viribus obueniße. Rectius tamen legitur LATRONES, Sabæi & Chaldæi, nam Chaldæus legit TVRMÆ EIVS, vnde aduertas ipsum denotare Chaldæos qui fecerunt sibi tres turmas, cui optimè quadrant quæ sequuntur, videlicet: ET FECERVNT, Alij, STRAVERVNT, SIBI VIAM PER ME, quia nimirum pueros meos, Camelorum Pastores per occisionem humi prostratos ad modum viæ conculcauerunt. ET OBSEDERVNT IN GIRO, à tribus nimirum partibus, TABERNACVLVM MEVM, Tentorium asseruandis camelis meis constructum.

FRATRES MEOS primi gradus consanguineos, LONGE FECIT A ME, ET vsu ac consuetudine NOTI MEI, QVASI ALIENI, nulla mihi sorte coniuncti, RECESSERVNT A ME. DERELIQVERVNT ME, affinitate vel vici-
B nitate PROPINQVI MEI: ET QVI varijs de causis ME NOVERANT, studiosè OBLITI SVNT MEI: Nec enim passi sunt mei memoriam sibi occurrere, aut refricari, ne per id monerentur debiti erga me, ob solitam notitiam, officij.

INQVILINI DOMVS MEÆ, quos in familiam ex vtroque sexu assumpsi, videlicet ANCILLÆ MEÆ, SICVT ALIENVM, cui non essent vllatenus obstrictæ HABVERVNT ME, ET QVASI PEREGRINVS FVI IN OCVLIS EORVM. Ex inquilinis verò virilis sexus, SERVVM MEVM VOCAVI, ET dissimulans, vel audire contemnens, non solum non accurrit, sed ne quidem RESPONDIT. Et tamen in vocando, non sum vsus austeritate, aut imperio, sed ORE PROPRIO DEPRECABAR ILLVM. HALITVM MEVM EXHORRVIT VXOR MEA, quæ fœtorem illius abominata, ad auxiliandum noluit vel vocata accedere. ET ORABAM FILIOS VTERI MEI. Quid? illi iam fue-
C runt extincti: An ergo præter decem supra memoratos, ac extinctos, fuerint ac superfuerint Iob, quidam alij paruuli, vel nepotes? Arbitratur id in hunc locum Thomas, sed parum probabiliter, nam verisimile est, quod filij ipsius paruuli, si fuissent, fuissent cum maioribus enumerati, ad exaggerandum circa Iob bonum prolis, prout armenta & greges ipsius, suis ac plenis numeris descripti sunt, ad declarandam amplitudinem rei ipsius, familiaris. Nec est verisimile, Prophetam hoc tempore Nepotibus auctum fuisse; Vt enim non dicam nos ex Cypriano in cap. 1. allegasse, quod filij Iob, quandiu vixerunt, in domo mãserint paterna, & proinde non fuerint emancipati; ipsoque in orbem conuiuiorum, nec vxores adduxisse, nec filios; videtur, quod cum in principio describeretur prosperitas Iob, commemorati fuissent nepotes in fœlicitatem ipsius primitiuam, sicut infra commemorabuntur, in fœlicitatem ipsius rediuiuam. Iuuat itaque quod Hebræi le-
D gunt, *deprecabar ad filios vteri mei*, optans nimirum illos habere superstites, si fortè præ reliquis ad subueniendum affectu, & commiseratione filiali mouerentur, Pagninus & Vatablus vertunt, ORABAM ILLAM; vxorem videlicet meam, PROPTER FILIOS VTERI MEI, vt nimirum memor eius quod tot ex ea suscepissem filios, in hac tanta calamitate non desereret me.

STVLTI QVOQVE, qui sapientiam ex personis, non personas ex sapientia probant, DESPICIEBANT ME. Cum enim rebus integris *loquerer, omnes tacebant, & attenti stabant ad eloquium meum*, vt infra cap. 29. latius, nunc vero rebus mutatis spernunt me, iuxta quod dicitur Ecclesiastici cap. 13. *Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent: Pauper locutus est, & dicunt quis est hic?* ET CVM AB EIS RECESSISSEM, Alij vt Pagninus ASSVRREXISSEM, nam vix surrexeram, aut verteram tergum,

DETRA-

DETRAHEBANT MIHI, diminuendo, vel eleuando, quæ aliquando audie- A
rant aut viderant in me. De quibus conuenienter dicit RECESSISSEM, detractio enim rodit absentes.

ABOMINATI SVNT ME, eo quod præcedens sapientia & prudentia mea huc miseriarum deuenerit, QVONDAM CONSILIARII MEI, de quibus Sapiens,
Eccl. 6. Multi pacifici sint tibi, & Consiliarius sit tibi vnus de mille, Nam vel consilij, vel tractandæ in commune sapientiæ causa, vocati accedere grauati sunt: ET QVEM MAXIME DILIGEBAM, omnis veteris beneuolentiæ oblitus ob ærumnas meas AVERSATVS EST ME.

Quoad afflictiones autem corporis mei, PELLI MEÆ, CONSVMPTIS CARNIBVS, ADHÆSIT OS MEVM. Quod Bernardus ad spiritualia referens,
Serm. de his verbis. dicit, *tunc fieri cum omnem delectationem boni prorsus amisisse videtur anima, solamque sibi aridæ intentionis fortitudinem reseruasse. Et vide ne forte tale aliquid etiam Beatus Iob pateretur cum diceret: Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum:* B
vt videlicet obstupefacta affectione, vix solam sibi intentionē spiritualis cogitatio vendicaret. Sed ad litteram 70. legunt IN PELLE, seu vt legit Augustinus, CVTE MEA, PVTRVERVNT CARNES MEÆ, Vnde intelligas Prophetæ carnes tabe interna fuisse absumptas, saluā, ad obtegendum viscera cute. Propter quod supra notanter dixit, *Induta est*, non cutis, *sed caro mea putredine, & sordibus pulueris cutis mea aruit*, atque contracta est. Diceret
Epist. 22. proinde Iob, quod de semetipso Hieron. hominem se fuisse carne præmortuum. ET, ad loquendi, inquit Diuus Thomas, officium DERELICTA SVNT TANTVMMODO LABIA; aliquatenus carnosa CIRCA DENTES MEOS, vt carnis tantillum ad loquendi vsum mihi saltem supersit.

Itaque MISEREMINI MEI, MISEREMINI MEI SALTEM VOS AMICI MEI,
2. offic. c. 16. QVIA MANVS DOMINI TETIGIT ME; In quæ verba Ambros. *Non quasi abiecta vox ista est, sed quasi censoria. Nam cum iniustè argueretur ab amicis, respondit* C
MISEREMINI MEI AMICI, *hoc est misericordiam debetis facere. Opprimitis autem vos, & impugnatis hominem, cuius ærumnis compati pro amicitia vos oportebat*, Hæc Ambrosius.

QVARE PERSEQVIMINI ME SICVT DEVS: Et easdem in persequendo me cum Deo partes assumitis, cum aliud deceat Deum, aliud fratrem: illum deceat exercere, hunc compati, & subuenire? *Nec ea in parte homo diuinæ aduersatur voluntati, quia vult Deus, vt homo sibi congruum expleat officium, non inuadat quod est Dei: Secundum quod Deus vult Patrem mori, bonus autem filius vult Patrem non mori, & magis aduersatur Dei voluntati, qui hac in parte incompetenter idem vellet quod Deus, quam qui ratione ordinis sui vellet aliud, quam Deus.*
Ench. cap. 103. *Tantum interest quid Deo, quid homini velle congruat*, inquit August. Nec hac in parte est repugnantia voluntatum, nam nec homo repugnat, quo minus secundum altiorem causam Deus velit, quod vult, nec Deus prohibet, quo D
minus homo secundum inferiorem causam velit, quod vult, sed est tantum volitorum & voluntatum non indecora differentia Quocirca non sufficienter contrarietas voluntatum desumitur ex contrarietate obiectorum, sed desumi debet ex compugnantia voluntatum, quæ est, quando vtraque pars voluntati aliud appetenti obnititur, & refragatur, sic vt sibi non sufficiat idem cum altero non velle, sed insuper nolit alterum aliud aut contrarium velle. Propter quod cum in Christo tam superiori quam inferiori voluntati suum velle fuerit pacificè permissum, fuit quidem in ipso contrarietas volitorum, sed non compugnantia voluntatum, Porro diuersitas volitorum inter hominem & Deum deseruit etiam diuinæ prouidentiæ. Per eam enim disponit aduersa, quæ varijs de causis infert, hominum ope, pro ipsorum condi-

A conditione in gratiam ſubuenientium, & ſubuentorum mitigari, & ſubleuari. Quare ergo verborum ſtimulis, veſtraque inclementia aggrauando calamitatem meam, PERSEQVIMINI ME SICVT DEVS, ET quod Deus non facit *(nec enim delectaris hominum perditione)* mei excarnificatione crudeliter delectati, quaſi CARNIBVS MEIS SATVRAMINI, paſcimini, ſaginamini? legunt tamen 70. Hebræi, Chaldæus, CARNIBVS MEIS, iam vt dixi conſumptis NON SATVRAMINI, vt ſit ſenſus: Si earum excarnificatione delectamini, cur ſaltem non eſt vobis ſatis in ipſa conquieſcere, ſed pergitis afflictum, verborum inſuper aculeis pungere? torturam à Deo immiſſam proſequi, & augere? Sap. 1.

Cæterum vt doceam me vos ad miſerandum prouocare, non abiectè, ſed cenſoriè, non noſtri, ſed veſtri cauſa, declaro, in cumulatiſſimis iſtis afflictionibus, non deeſſe mihi conſolationem, quæ etiam ceſſante omni hominum miſeratione, animum meum demulceat, erigat, ſuſtentet, confortet:
B Quæ vt à me non ſolum verbis enarretur, ſed ad inſtructionem, & afflictorum ſpem in notitiam omnium perueniat, in eaque perpetuo maneat *(vult enim Iob verba ſua in perpetuum durare, vt nulla poſſint vetuſtate deleri*, inquit Hieron.*)* QVIS MIHI TRIBVAT, VT SCRIBANTVR SERMONES MEI? Qui cum ſcribi poſſint in chartis volatilibus, illæ autem vagæ, diſſipationi obnoxiæ, & ob id perpetuitati parum fidæ, iuxta quod de Sibylla Cumæa canit Virgilius:

Quæcumque in folijs deſcripſit carmina Virgo, 3. Aen. id.
Digerit in numerum, atque antro ſecluſa relinquit,
Illa manent immota locis, neque ab ordine cedunt.
Verum eadem verſo tenuis cum cardine ventus
Impulit, & teneras turbauit ianua frondes,
C *Nunquam deinde cauo volitantia prendere ſaxo,*
Nec reuocare ſitus, aut iungere carmina curat.
Inconſulti abeunt, ſedemque odère Sibyllæ.

Itaque, QVIS MIHI DET, VT EXARENTVR IN LIBRO, compacto, atque conſuto, tabulis, clauſtriſque munito: Et quidem in eo exarentur, STYLO FERREO? Sed cum litteræ in papyro, vel membrana, ex quibus ferè compinguntur libri, ſtylo ferreo inarari, incidi, exſculpi non poſſunt, ſed tantum colore depingi, omnes autem colores decidui ſint, & oblitera-biles, nec ad eorum perpetuitatem ſtylus ferreus quippiam adferat roboris, vel conſtantiæ: quis mihi det, vt ſtylo ferreo exarentur ET PLVMBI LAMINA, incorruptibili pagina, & inaratorum ſat tenaci? VEL quandoquidem plumbi lamina conuolui poteſt, diuidi, & liqueſcere, quis mihi det, vt ad conſtantiam inexterminabilem, CELTE, ſcalpello, quo marmora & duriſſimi inciduntur, ac poliuntur ſilices, SCVLPANTVR IN SILICE? Quo
D cauterio, ipſiuſque vocabulo vſos olim fuiſſe veteres ex Epitaphio Sertij Polenſis paraſyti, quod apud Salonam Dalmatiæ vrbem in lapide miræ magnitudinis inciſum eſt, conſtat his verbis: *Neque hic atramentum, vel papyrus, aut membrana vlla adhuc, ſed malleolo*, ET CELTE *litteratus ſilex*, inquit in Epiſt. 61. Hieronimus Victorius. Et certè dignum eſt optare me conſolationis, qua erigor perpetuam ad ædificationem, in ſcriptis relinquere memoriam.

SCIO ENIM, non tantum per fide dignorum teſtificationem, ſed ipſarum rerum manifeſtationem, QVOD REDEMPTOR MEVS, Chriſtus, VIVIT, per reſurrectionem à mortuis, *de qua iſtud rectè intelligitur Prophetarum*, inquit Proſper. Quocirca ſicut probati ſumus à Deo vt crederetur nobis Euangelium, cont. Col. lat. c. 34.

gelium, ita æquum est nos id velle ad posterorum perpetuam notitiam deuenire. Vnde autem hæc sciuit Iob cum incarnationem Christi multis annis præcesserit? Audi Hieron. *Necdum mortuus erat Dominus, & Athleta Ecclesiæ, redemptorem suum videbat ab inferis resurgentem.* Iob ergo illud, & quæ sequuntur nouit per reuelationem prophetiæ, per quam, & ante Domini A

Isaie 53. passionem dixit Isaias, *Vidimus eum, & non erat aspectus.* Non solum enim sermone prophetabant Prophetæ, sed & visione, quemadmodum Isaias ait.

Isaie 6. *Regem Dominum Sabaoth vidi oculis meis.* Secundum hanc igitur rationem, *& filium Dei hominem videbant conuersatum cum hominibus, id quod futurum erat prophetantes, eum qui nondum aderat, adesse dicentes, & impassibilem, passibilem annunciantes: & eum qui tunc in cælis, in limum mortis descendisse dicentes. Reliquas autem eius recapitulationis dispositiones, quasdam quidem per visionem videbant,*

5.c.37. *quasdam per verbum annunciabant,* inquit Irenæus.

Dicit autem, REDEMPTOR, quod fortè referas ad passionem & mortem Christi factam in redemptionem præuaricationum: Vt Iob Christum prædicans rediuiuum, insinuet, mortem, eius resurrectioni necessariò præuiam, ab ipso in redemptionem peccatorum fuisse susceptam. Dicit vero B

loco alleg. Prosper, rectè intelligi his *verbis etiam prophetatum quod Christus esset principium dormientium.* Quomodo autem, nisi intellexerimus ipsum hic dici re-

Psal. 102. demptorem à redemptione, quam Psalmus, *Qui redimit de interitu, vitam tuam?* Ad quod iuuare poterit Chaldæus legens, *Et redemptio eius veniet super me,* quando enim redimere à morte Christo tribuitur vt rediuiuo, absq; dubio ipse designatur principium dormientium, non solum tanquam instar, sed etiam tanquam causa resuscitationum, vt tandē inueniatur Iob hoc loco vaticinari, non tantùm quod omnes viuificabuntur, sed quod viuificabuntur in Christo. Sub iustorum ergo, quam describere aggreditur, resurrectione, etiam se comprehendens dicit. ET IN NOVISSIMO DIE, qui erit, quan- C

Habac. 3. do, vt audiuimus, *Atteretur Cælum*, & absque vlteriore reuolutione *Sol, &*

Gen. 1. *Luna, stabunt in habitaculo suo*, vt in posterum, *non diuidant diem ac noctem.* An ergo Iob hic affirmet se non forè è numero conresurgentium Christo? Id fortasse colligas ex verbis Epiphanij scribentis in Ancoratu, *Resurrexerunt cum Christo multa corpora Sanctorum, qui dormierunt, & conspecti sunt multis, non alij, quam qui mortui fuerant. Sed qui agnoscerentur à suis si ante multa tempora defuncti essent?* Per hæc enim verba Epiphanius tradere videtur neminem cum Christo surrexisse nisi tam recenter defunctum, vt ex forma faciei ipsius & vocis, in memoria eorum, qui ipsum mortalem nouerant, adhuc superstite, ipse rediuiuus apparens posset agnosci idem esse qui prius. Qua de causa etiam *Christum à mortuis tridui prima prærupti, postrema parte ab-*

de incarn. Verb. *rupti, tertia die surrexisse*, tradit Athanasius. *Dicens ipsum vltra tridui moram eos qui ipsum audierant de sua resurrectione promittentem non distulisse, sed cum adhuc propemodum verba illa in eorum auribus obstreperent, oculique eius speciem retinerent,* D *animis eorum etiamnum suspensis, viuisque, adhuc intra tridui spatium corpus quod mortuum erat, immortale, & incorruptibile ostendisse. Quippe futurum erat, vt nonnulli exhibito corpori, ob longitudinem temporis, fidem non haberent, & præteritorum obliuiscerentur*, hæc Athanasius. Sed hæc Patrum ratio contra acceleratam resurrectionem Iob obtineret, si qui cum Christo surrexerunt, tantum surrexissent ad faciendam apud homines fidem resurrectionis, quæ humano generi exspectanda foret per Christum. Sed huic conresurrectioni adhuc alia ratio fuerat. Cum enim Christus moriendo mortem sibi, & nobis deuicisset tanquam causa meritoria, Deus qui processum suorum in honore veloci glorificat, voluit meritam ipsi victoriam absque mora, aliqua saltem ex parte

A ex parte præstare, vt in illa quasi in præsenti ederet specimen aliquod victoriæ illius, qua per illum qui dixit: *O mors, ero mors tua, absorbebitur mors in victoria,* Vt ipse tandem cælos ingrederetur non solum meritis splendidus, sed etiam hosti abreptis manubijs gloriosus, atque triumphum, quem reportarat à mortuis, inferret & cælis; prout qui ex longinqua regione redeunt victores, solent inde sua trophæa proprijs sedibus inferre. In hunc triumphum, non erat necesse assumere tantum recenter mortuos, sed in primis illos, qui per fidei, & iustitiæ eminentiam tantæ pompæ splendorem poterant adferre, & gloriam: de quibus Psalmus, *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham*, à sinu nimirum Abrahæ ad Dei conspectum ad instar Christi cum suis corporibus traducti. Idque meritò, vt qui in hoc sæculo gesserant primatum fidei, obtinerent & primitiua mercedis ac præmij. Intelligatur igitur Epiphanius dicere, non solum recenter defunctos cum B Christo surrexisse, sed illos solos tanquam fidei faciendæ idoneos, viuis apparuisse: Principibus dudum mortuis non quidem in apparitionem, sed in gloriam Christi suscitatis, & reseruatis. Quibus, sicut August. dicit, *Durum forè non annumerari Dauid*, ita ego dixero, *Durum forè non annumerari* Iob & Melchisedech, Cum inter *Principes populorum ille fuerit magnus inter omnes orientales, hic Rex iustitiæ.* Quod magis probabile erit quoad Iob, quia in cap. 14. audiuimus Ambr. dicentē, quod per verba *constituas mihi tempus, in quo recorderis mei*, prophetauerit Iob se in passione Domini fore resuscitandū. Quod igitur hic dicit IN NOVISSIMO DIE, cōcernit genus humanum, quod communiter resurget illo die. Sub suo enim nomine generalem hic resurrectionē ipsiusq; tempus vaticinatur, peculiari suæ resurrectionis tēpore iam superius indicato.

Osee 13. 1. Cor. 15. Psal. 46. Ep. 99. Iob. 1. Gen. 14 & ad Hebr. 7.

DE TERRA, terræ regione. Priusquam enim qui illo tempore fuerint residui, cum ijs qui dormierint rapiantur obuiam Christo in aëra, omnes mortui, C siue in terra defossi, siue de terra eleuati, censentur secundum corpus esse in terra. Vel, DE TERRA, id est, de corpore inanimato quod terra dicitur à Domino dicente: *Terra es & in terram ibis.* Dicit namque August. 20. de civ. c. 20. *Nec ab illa sententia qua homini dictum est, Terra es & in terram ibis, futuros illos sanctos arbitremur immunes, si eorum morientium in terram non recident corpora, sed sicut in ipso raptu morientur, ita & resurgent dum feruntur in aëra. In terram quippe ibis, est, in hoc ibis amissâ vitâ quod eras antequam sumeres vitam: Id est, hoc eris exanimis, quod eras antequam esses animatus. Terræ quippe insufflauit Deus in faciem flatum vitæ cum factus est homo in animam viuam, tanquam diceretur; terra es animata quod non eras. Terra eris, exanimis sicut eras: quod sunt & antequam putrescant omnia corpora mortuorum: quod erunt & illa, si morientur vbicumque moriantur cum vita carebunt, quam continuo receptura sunt. Sic ergo ibunt in terram, quia ex viuis hominibus terra erunt.* Hæc August. Si ergo homo dicitur iturus D in terram, quia per mortem resoluitur in corpus inanimatum, vtique dici potest surrecturus de terra, quia per resurrectionem corpus, quod dicitur iuisse in terram, resumet ad vitam.

1. Thess. 4.

SVRRECTVRVS SVM, Si id tantum diceret, vel etiam diceret, EGO IPSE SVRRECTVRVS SVM, procederet sententia Augustini dicentis, *Non esse necesse, vt terrena materies, quæ discedente anima fit cadauer, in resurrectione ita reparetur, vt ea quæ dilabuntur, & in alias, atque alias aliarum rerum species, formasque vertuntur, quamuis ad corpus redeant, vnde dilapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes vbi fuerunt redire, quemadmodum si statua cuiuslibet solubilis metalli, aut igne liquesceret, aut contereretur in puluerem, & eam vellet artifex rursus ex illius materiæ quantitate reparare, nihil interesset ad eius integritatem, quæ particula materiæ, cui membro statuæ redderetur, dum tamen totum ex quo constituta fuerat,*

Ench. c. 89.

Suppl. quæstio 79. art. 4. fuerat, restituta resumeret: quia dicit Thomas, *Si materia vnius partis in resurrectione redeat ad aliam, nullum præiudicium generabitur identitati totius:* Quod vt dicere cepi sufficeret resurrectioni si Iob non diceret aliud quam, RESVRRECTVRVS SVM, per id enim non aliud doceret, quam se in resurrectione in vnum, & eundem hominem reparandum. Cæterum cum addat, ET RVRSVM CIRCVNDABOR PELLE MEA, videtur requirere vt homo non solum ex tota sua, quam prius habebat confusè atque promiscuè reparetur materia, sed vt pellis atque adeo quoduis hominis membrum reparetur ex ipsa qua prius constabat materiæ particula. Qua enim alioqui ratione dicet, PELLE MEA, CARNE MEA, cum loco allegato dicat Thomas, Si materia vnius partis redit ad partem alterius speciei, de necessitate variatur identitas partium? An dicturus es Iob non dicere Pelle mea *hac*, sed tantum vaticinari quod in resurrectione non carebit sua carne, aut pelle, eo quod ex his verbis contra Originem sic tantum argumentetur Hieron. *Si* B
Epist. 61. cap. 11. *rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, vbi ergo corpus æthereum? vbi aëreum, spiritui, & auræ simile? Certè vbi pellis, & caro, vbi ossa, & nerui, sanguis & venæ, ibi structura carnis:* Ex his verbis tantum inferens in resurrectione resumendam esse corporis substantiam, membrorumque eorundem situm, & veritatem. Sed ad hæc non est necessaria materiæ per singula membra identitas. Attende verò quod 70. vertant SVSCITABIT PELLEM MEAM,
loco alleg. QVÆ TOLERAT HÆC, quæ inquit Hieron. *me nunc cruciat, quæ nunc præ dolore distillat, quia Deus omnes infirmitates meas, sua resurrectione sanabit.* Si igitur suscitabit Deus pellem, *quæ* dum mortalis est tolerat, vnam ergo, & de eadem particula prioris materiæ, eandem. *Quemadmodum cæci, quos curauit Dominus, ijsdem ipsis, quibus ante non videbant oculis, recipiebant visionem, caligine à visione tantum exterminata, seruata autem substantia oculorum: & qui aridam curauit manum, & omnes omnino quos curauit, non ea quæ ab initio ex vtero edita fuerunt* C
5 c. 12. *membra mutauerunt, sed eadem ipsa salua recipiebant*, inquit Irenæus; Et in-
c. 13. fra: *Sicut qui curati sunt in his, quæ ante passa fuerant membra curati sunt, & mortui ijsdem surrexerunt corporibus, membris, & corporibus ipsorum percipientibus curationem, & eam vitam, quæ dabatur à Domino, per temporalia præformante*
Breuiar. Rom. 12. Martij & ipse Greg. moral. lib. 14. c. 29. *æterna, vti ei de resurrectione quoque credatur.* Quod etiam tenere videtur Ecclesia, nam Patriarcha Constantinopolitanus à B. Gregorio fidem, & ecclesiæ, de resurrectione sensum edoctus, *Confiteor*, inquit, *quod in hac pelle omnes resurgemus:* Sic nimirum vt omnes accipiant eandem numero pellem, eademque numero membra. Hæc resurrectioni adducit redintegrationem vnius, atque eiusdem integerrimam, quia omnimodam, eamque quæ est omni ex parte. Competit & retributioni: hæc enim magis est apposita si eadem materiæ particula in eodem quo passa est, & sudauit membro glori-
de resurr. cap. 6. ficetur, in eodem quo peccauit torqueatur. Dicente Tertull. *Liberabuntur* D
membra (quædam) *ab officijs, nec ideo non erunt necessaria, licet enim officijs liberen-*
2. Cor. 5. *tur; iudicijs reseruantur, vt quis referat per corpus prout gessit.* Ad membrorum interim identitatem non requiritur, vt reparata constent ex mortalis materiæ particulis omnibus, & solis: Identitas enim vt idem requirit, ita decrementum, aut incrementum non respuit, præsertim si decrementum à toto composito non exterminetur, nec incrementum forinsecus acquiritur. Quocirca si vni membro corporis tempore mortalis vitæ quippiam materiæ enormiter superfuerit, id in resurrectione alteri membro, quod minus habuerat adijcietur: aut si tale membrum defuerit, superfluum vnius per totum corpus dispensabitur. Si olim quippiam defuerit composito toti, id ei non supplebitur forinsecus, sed ex ipsa corporis pristina materia

A materia per modum germinis in momento in ictu oculi simul cum ipsa pristini corporis resurrectione diuinæ artis virtute exorietur, dicente Isaia, *Ossa vestra sicut herba germinabunt.* Id eueniet paruulis, & omnibus quibus tempore mortalis vitæ statura fuerat deformiter exilis: Cum enim oporteat omnes resurgere in hominem, numero vnum, & eundem, atque adeo *in mensuram ætatis plenitudinis Christi* absque deformitate malè proportionata: Quid ad identitatem plenius, quam vt vnus & idem homo non per forinsecæ materiæ adiectionem, sed propriæ materiæ germen, quâ parte res postulauerit augeatur? Cap 66. Ephes. 4.

ET IN CARNE MEA VIDEBO DEVM MEVM, Quidam construunt, videbo Deum in carne mea, quæ constructio etiam inuenitur apud Augustinum, & significat quod Christus in nostri generis carne rediuiuus à resuscitatis videndus sit, iuxta quod dixit Isaias: *Regem in decore videbunt oculi tui:* Ex Isaie 33.
B qua constructione nata videtur additio, quam quidam habent codices SALVATOREM MEVM, Nam Deus in carne, completus noster saluator est. Sed illa constructio nihil adfert nostræ resurrectioni. Christum enim in sua carne rediuiuum videt beata anima etiam corpori nondum restituta. Rectius itaque & magis ad propositum IN CARNE MEA, construe cum VIDEBO, cui etiam in textu proximè iunguntur. Quod videre teste Augustino, quidam arbitrantur euenturum per oculos carnis; quorum sententiam ne improbet, fatetur Augustinus Dei nomine hic intelligi posse Christum. Obseruat nihilominus ibidem Augustinus, quod & codices moderni testantur, Hebræa præcisè legere VIDEBO DEVM: quod de intuitu diuinitatis accipi debere nemo ambigit. Sed per oculos mentis præstari probat August. ex eo quod hic non dicitur PER CARNEM MEAM, sed IN CARNE MEA, ac si diceret In carne mea ero cum videbo Deum. Quæ sententia valet, in primis ad indi- 22 de ciuit. c. 29.
C candum animam etiam sine carne videre Deum, & carne recuperata Deum videre in ea, nec esse necesse ad videndum Deum carnem aspernari aut fugere.

QVEM VISVRVS SVM EGO IPSE. Hactenus identitatem partium substantialium atque adeo integralium in resurrectione restituendam docuit, hic dicendo EGO IPSE ET NON ALIVS astruit ibidem restituendam identitatem personæ. Cui non repugnat quod in resurrectione, animæ & corporis vnitio alia fit ab ea quæ erat in prima rationalis animæ infusione, quia tametsi distincta sit substantialium partium vnitio, earundem tamen eadem est vnio, nam idem corpus, eâdem, tametsi præstantiore virtute eandem animam continet qua prius, & eadem anima pristina sua virtute idem corpus viuificat. Sicut autem reparatio corporis non obstat quo minus ex resurrectione idem cum priore numero existat corpus, ita reparatio vnionis vitalis
D non officit quo minus à resurrectione existat idem numero homo, quia vnio partium naturalium intrinseca eadem est, efficientia vero illius alia; nihil proinde officiens identitati personarum, quia hæc non à causa extrinseca efficiente est, sed intrinseca inhærente censetur.

ET OCVLI MEI CONSPECTVRI SVNT. Cum paulo ante VIDEBO DEVM, de oculo mẽtis intellectũ sit, & oculus ille vnus sit, hic vero pluraliter dicat OCVLI MEI, qui plures reperiũtur in corpore; ad plenitudinẽ reparationis nostræ, istud conuenienter intelliges de oculis rediuiui corporis: vt quod in genere oculorum prius ac nobilius est, Iob etiã prius expresserit, quod verò inferioris ordinis, posterius. Quod etiã obseruasse videtur Hier. cũ dicit, *Iob aperturũ oculos ad videndũ Deum, quibus viderat vermiculos.* Sed quid? Nunquid oculis corporeis videbitur Deus, qui non est nisi summæ subtilitatis spiritus? Aug. disputat

 num

num oculis rediuiuis danda sit virtus spiritualis ad videndum Deum, quod arbitratur non esse impossibile apud Deum, nec creaturæ potentiam excedere: Dicit enim; *Sicut constat videri corpora spiritu, quid si tanta erit potentia spiritalis corporis, vt corpore videatur & spiritus?* Sed tandem alio se conuertens subiungit, *Valde credibile est, sic nos visuros mundana tunc corpora, cœli noui, & terræ noua, vt Deum vbique præsentem, & vniuersa etiam corporalia gubernantem, per corpora quæ gestabimus, & quæ conspiciemus quaqua versum oculos duxerimus, clarissima perspicuitate videamus: Sicut homines inter quos viuentes, motusque vitales exerentes viuimus, mox vt aspicimus, non credimus viuere, sed videmus, cum eorum vitam sine corporibus videre nequeamus, quam tamen in eis per corpora, remota omni ambiguitate conspicimus.* Concludit tandem Augustinus, *Aut ergo per rediuiuos oculos sic videbitur Deus, vt aliquid habeant in tanta excellentia menti simile, quo & incorporea natura cernatur, quod vllis exemplis sine scripturarum testimonijs, vel difficile, vel impossibile est ostendere: Aut quod est ad intelligendum facilius, ita Deus nobis erit notus, atque conspicuus, vt videatur spiritu à singulis nobis in singulis nobis, videatur ab altero, in altero, videatur in seipso, videatur in cœlo nouo, & terra noua, videatur & per corpora in omni corpore, quocumque fuerint spiritalis corporis oculi acie perueniente directi.* Hæc Augustinus, & hactenus Iob de resurrectione, *quam*, teste Hieronymo, *nullus manifestius prophetauit.*

Ep. 103. Fructum denique, qui ex fide resurrectionis etiam in hac vita per spem carpitur paucis adiungens REPOSITA EST, inquit, HÆC SPES MEA IN SINV MEO. *Hac enim suffultus contemno præsentia, solatio futurorum*, inquit Hieronymus, vt proinde non abiectè, sed censoriè dixerim, MISEREMINI MEI, MISEREMINI MEI SALTEM VOS AMICI MEI. Futuræ resurrectionis spe secundum hominem etiam semetipsum corroborauit Christus, cum accepta à principe Sacerdotum, atque concilio mortis sententia, exclamauit, *Domine, quando respicies?* Et respicientiam, quam optabat implorans, subiunxit, *restitue*, meo corpori, *animam meam à malignitate eorum*, qua iam destinauerunt eam à corpore, mortificando, separare; *A leonibus* ijsdem, me ad internecionem discerpere inhiantibus, *vnicam meam*, eandem dico animam, cui ratione subsistentiæ, dignitatis naturalis, & gratiæ, non datur secunda, tametsi dici possit, quod anima vnicuique homini vnica sit, quia ea deperdita, censentur omnia perijsse. Quam spem Christo ad consolationem valuisse, docet Psalmus alibi in Christi nomine dicens, *Factus est mihi Dominus in refugium*, agnoscit enim Christus se diuina ope in extrema necessitate ad Dei auxilium recurrisse: de quo adiungit, *Et Deus meus*, qui per vnionem hypostaticam eminentissimè, & abundantissimè Deus meus est, *factus est, in adiutorium spei meæ*, nam ipsa spe restitutionem animæ meæ infallibiliter expectante, mirificè corroborat me. Iuxta quod etiam huius restitutionis spes iam olim per spiritum Christi, qui prius, & posterius nescit, corroborauerat Machabæos, quorum secundus in vltimo spiritu constitutus ait, *Tu quidem in præsenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. Et tertius, Linguam postulatus proferens, & manus constanter extendens, cum fiducia ait, propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero; ita vt Rex & circumstantes mirarentur adolescentis animum, tanquam qui nihilum duceret cruciatus. Et quartus, Potius est ab hominibus morti datos spem exspectare à Deo, iterum ab ipso resuscitandos. Et mater, Mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem, spiritum vobis iterum cum misericordia reddet, & vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis.* Ex quibus satis patet quantopere spes resurre-

Psal. 34.

Psal. 93.

2. Mach. 7

A resurrectionis ad consolationem & corroborationem iam ante Christum reposita fuerit in sinu variè afflictorum.

QVARE ERGO, cum ea, quæ hactenus varijs partibus enarraui, acerba perpetiar, ad extendendum & accumulandum afflictiones, NVNC DICITIS, PERSEQVAMVR EVM? Quod cum vobis propositum sit verbo facere, itidem dicitis, ET RADICEM, materiam occasionem VERBI, quod nos parati sumus in Iob dicere, scrutando atque perquirendo, vel etiam rapiendo quippiam ex ore ipsius, vnde eum, prout Iudæi Christum, accusemus, INVENIAMVS CONTRA EVM, *Vt de ipsius verbis eum conuincamus*, inquit August. *vel etiam confundamus*. Quod cum iniquum sit, *quæratque iniquitatem in domo iusti*: FVGITE ERGO A FACIE GLADII intentantis, & aliquando illaturi iniquis mortem secundam, QVONIAM VLTOR INIQVITATVM GLADIVS EST, mors enim secunda quasi gladio inferenda describitur, dicente *in hunc locum.* *Prou. 24.*

B Isaia: *Inebriatus est in cælo gladius meus ab adipe pinguium.* Et Ezechiele, *Gladius Domini exacutus est vt cadat, limatus est vt splendeat*, de quo & Psalmus; *Gladium suum*, iam dudum priusquam mortem secundam inferret, *vibrauit: Exinde, tradentur in manus gladij*. ET SCITOTE ESSE IVDICIVM. *Quæ parcius in exordio respondit, vt admoneret amicos iudicij Dei, atque ab insolentia, & furore reuocatos, quasi bonus medicus faceret resipiscere* inquit Ambros. Nec frustra, Videtur enim Sophar per hæc redditus anxius. Sequitur enim. *Cap. 34.* *Ezech. 21.* *Psal. 7.* *Psal. 62.* *2 de int. rj. cap. 3.*

CAPVT XX.

RESPONDENS AVTEM SOPHAR NAAMATHITES, DIXIT: IDCIRCO, quia dixisti, *Quare carnibus meis non saturamini?* Id enim manifestæ

C inclementiæ: Quin & dixisti nos dicere, *Radicem verbi inueniamus in eo*, quod est maleuolentiæ eorumque qui præparant arguere priusquam inuenerint quid arguant. Quin & proposuisti nobis futurum iudicium quod ante latam sententiam vnicuique est formidandum, ne fortè sententia, præsidenti cedat in contrarium. Ob hæc inquam COGITATIONES MEÆ VARIÆ *nunc accusantes nunc defendentes*, SVCCEDVNT SIBI; ET MENS, his, media ad diiudicandum præsidens, IN DIVERSA RAPITVR: Ipsi enim nunc hæ, nunc illæ cogitationes videntur præualere debere, vt ignorem à qua parte stet victoria. Cum ergo mihimetipsi in hac altercatione non sim Iudex sat fidus, DOCTRINAM, Quidam intelligunt doctrinam de resurrectione mox auditam, sed quia subiungitur, QVA ME ARGVIS, amici autem Iob de pluribus redarguti sunt, debet doctrina hæc ad plura extendi, omnia nimirum, quæ ad amicorum redargutionem pertinent. Sub quibus tamen etiam comprehendas doctrinam de resurrectione, per illius enim *spem in sinu suo*

D *repositam* arguebat Iob amicos, ostendens se non abiectè, vt putabant, dixisse: *Miseremini mei*, hanc ergo doctrinam non auersa vt prius, sed aure docili AVDIAM, ET SPIRITVS INTELLIGENTIÆ MEÆ RESPONDEBIT MIHI, qua in parte ex vero, qua autem ex parte sinistrè arguas me. Sophar itaque per hæc vtcumque declarat quod desierit esse auditor, vel disputator malignus, & radicem contradictionis hactenus sibi ex professo propositæ, non velle vltra quærere in verbis Iob, Sed dum arguentis verba per spiritum suæ, vt putabat, intelligentiæ, parat diiudicare, veram à se docilitatem excludit, & se inserit numero discipulorum ad quos Basil. *Quoniam nos circundatis Iudices magis quam discipuli, vt experimentum de nobis capiatis, non vt aliquid à nobis discatis, necessarium est, vt obiectionibus quidem, velut in ius vocati respondeamus,* *Hom. 28.*

iuxta verò, vt eadem perpetuo inculcemus quæ accepimus. Hortamur autem vos, ne quouis modo, quod vobis probetur, ex nobis audire quæratis, sed quod Domino placeat, & conforme sit scripturis, nec à patribus dessideat. Hæc Basilius. Vel SPIRITVS INTELLIGENTIÆ MEÆ, qui inter dona S. Sancti secundum habet locum, & videtur disponere ad conuenienter & facilè percipiendam veritatem, hic dico RESPONDEBIT MIHI vt tua verba competenter intelligam. A

Id tamen Sophar reipsá non præstat: nam prætermissa redargütione Iob, resumit propositum, & dicit: HOC SCIO, ex ijs quæ in mundo à principio huc vsque euenerunt: Cuiusmodi argumento etiam supra vsus est Eliphas, cum dixit, *Recordare quis vnquam innocens perijt?* quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem flante Deo corruisse. A PRINCIPIO igitur EX QVO eiectus de paradiso, POSITVS EST HOMO SVPER TERRAM, de qua erat creatus, Fecerat enim ipsum Deus extra paradisum; Scio inquam QVOD LAVS IMPIORVM, quæ eis obuenit à splendore, magnificentia, imperio, quando B

Psal. 10. & *laudatur peccator in desiderijs animæ suæ*, BREVIS SIT, quia mutatis citò rebus, etiam ora laudantium obmutescunt, si non in obloquium transeunt. ET GAVDIVM HYPOCRITÆ, impij, religionis specie velati, quo de suis illis vanis laudibus hilarescit, arbitratus se tam esse bonum, quam inuenit splendidum, AD INSTAR PVNCTI, quo in quantitate stabili nihil contractius, sicut nec in quantitate transitiua nihil contractius momento. Sed quî hoc? An quia quoduis longum tempus comparatione æternitatis momentaneum est & punctuale? Ita quidem, sed id non ad propositum Sophar, qui cum Elipha sustinet gloriam impiorum in hac vita, non nisi breuissimo tempore subsistere posse, vt iam sæpius audiuimus. Itaque AD INSTAR PVNCTI quia durationis, ac temporis breuissimi, iuxta quod Dominus dicit per Isaiam,

Cap. 54. *Ad punctum*, quod quasi exponens, *in modico*, inquit, *dereliqui te*.

SI ASCENDERIT VSQVE AD CÆLVM SVPERBIA EIVS, ET CAPVT EIVS NVBES TETIGERIT, atque adeo *exaltatus fuerit supra cedros Libani:* QVASI STERQVILINIVM IN FINE PERDETVR quia superbia eius & gloria cito finem accipiens desinet ei in contumeliam ac ignominiam: ET QVI EVM C

Psal. 36. VIDERANT, DICENT: VBI EST? *Vidi*, enim inquit Psalmus, *impium exaltatum & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat, nec inuentus est locus eius*, quia vnà cum ipso loca gloriæ ipsius corruerunt, sic vt ad vsum successorum aut memoriam posterorum, parum aut nihil remanserit.

VELVT SOMNIVM AVOLANS NON INVENIETVR, quia *velut somnium surgentium Domine, imaginem ipsorum*, quam sibi de gloria sua & fælicitate temporali in suis opinionibus confinxerunt, *in ciuitate tua* cælesti *ad nihilum rediges*, prout latius in illum Psalmi locum ex Ambrosio ostendimus.

Psal. 72.

TRANSIET SICVT VISIO NOCTVRNA, Implebitur enim in eis illud Isaiæ 29. *Sicut somniat esuriens & comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius: & sicut somniat sitiens & bibit & postquam fuerit expergefactus lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est: sic erit multitudo omnium gentium quæ dimicauerunt contra montem Sion.* D

OCVLVS QVI EVM VIDERAT NON VIDEBIT; iuxta quod Iob dixerat, Nec aspiciet me visus hominis. NEQVE VLTRA INTVEBITVR EVM LOCVS SVVS, quia ad illum non reuertetur, vt supra dixit Baldad, cuius sententiæ videtur Sophar hic velle inhærere.

FILII EIVS ATTERENTVR EGESTATE, quia, vt alij vertunt, COGETVR (per restitutionem) PLACARE PAVPERES ET MENDICOS quos ipse spoliauerat, quorumue bona detinuerat, vel quibus detenta mercede erat obligatus, eruntque ipsi tam multa restituenda, vt ipsius filij tandem laborent inopia,

A inopia, & præ illa paulatim consumantur per importunitatem vel etiam improbitatem eorum qui ad restitutionem cogunt, non relictis ad vsum ipsorum vel vitæ necessarijs, ET MANVS ILLIVS REDDENT EI DOLOREM SVVM, Alij violentiam suam, quia quod facere non poterit absque dolore, vrgebitur proprijs manibus restituere, quod violenter rapuit, & OSSA EIVS IMPLEBVNTVR VITIIS ADOLESCENTIÆ EIVS. Est enim ex numero eorum de quibus scriptum est: *Filij eorum sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua*, quia absque disciplina adolescunt & siluescunt in vitijs, vt tandem sint medullitus vitiosi. ET CVM EO, vitia, IN PVLVERE DORMIENT, tanquam vnà cum corpore resuscitanda, in corporis deformitate & intemperie, secus quam iustus supra dixerat, *Ecce nunc in puluere dormiam, & si manè me quæsieris non subsistam.* Dicit namque August. *Vt concupiscentia carnis resurrectionis tempore non sit omnino in viuente corpore, præmium est eorum qui contra* Psal. 127. 6 cont Iul. cap. 6.

B *eam fideliter certauerunt, qui languore sanato immortalitate sana & beatissima vestientur. In eis verò qui non ad vitam resurgent, non feliciter sed pœnaliter erit: non quia tunc ab ea quisquam mundabitur, sed quia tunc malis non in delectamenta excitabitur, sed in tormenta vertetur.* Hæc ibi. Dicit autem Sophar vnà cum eo in puluere dormient. In puluere autem non dormit nisi corpus, ergo vitia hæc quadantenus etiam in corpore remanebunt, Corporis dico intemperie tanquam vitiorum materiali fomite; quale quid August. etiam agnouisse videtur, cum dixit, concupiscentiā resurrectionis tempore in *viuente corpore* hominis iusti omnino non fore, per quod agnoscit eam fore in corporibus damnatorum, sed non nisi modo quem dixi.

CVM ENIM DVLCE FVERIT IN ORE EIVS MALVM, tanquam quod ipsi cum ageretur benè sapuerit, ABSCONDET ILLVD SVB LINGVA SVA, atque vt idem alijs verbis dicam, PARCET ILLI, ET NON DERELINQVET

C ILLVD, ET CELABIT IN GVTTVRE SVO quia illud non confitebitur, sicut scriptum est: *Quoniam* (non confitendo) *tacui, inueterauerunt ossa mea*, atque per id, malum medullas meas inuasit & ibidem increuit, accedente eo quod sequitur, *Cum* (in excusatione & palliatione ipsius) *clamarem tota die.* Psal. 31.

PARCET ILLI, malo dulci in ore eius, *Amans enim iniquitatem non persequitur eam*, inquit August. vt illius reatu, motu vel actu careat. Admittit tamen August. sensum esse posse, PARCET ILLI Deus, non castigando ipsum in hac vita, sed parcet per occultam iram, de qua scriptum est, *Auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius:* Illa verò impunitate, malum radices suas mittit in ossa atque medullas ipsius. Potest tamen intelligi malum abscondere sub lingua atque in gutture suo, quia vt illi qui ciborum sapore diutius, inquit Aquinas volunt frui, illum in ore & gutture Ezech. 16

D detinent ne citò deglutiant, ita & iste malum dulce sibi in ore reponit, vt gloriabundus id frequenter commemoret, & sic transactam dulcedinem, sibi identidem renouet.

PANIS EIVS IN VTERO ILLIVS VERTETVR IN FEL ASPIDVM INTRINSECVS, quia magis in delicias quam salubritatem præparatus, amaros humores generabit in corpore ipsius, inquit Aquinas. DIVITIAS QVAS impendet sumptuosis epulis DEVORAVIT sic vt tributum Prouinciarum, prout apud Romanos, vna quandoque cœna fuerit; Has inquam, EVOMET, quia per intemperantiam *sunt mensæ ipsius plenæ vomitu sordiumque*, vt dixit Isaias. Cap. 28.

ET DE VENTRE ILLIVS per tormina EXTRAHET EAS DEVS. 70. tamen & August. pro, DEVS, legunt ANGELVS, tortor videlicet, cui à Iudice fuerit traditus: vnde intelligas gastrimargos in inferno dolore ventris esse

cruciandos, ac si distento ventri impacta violentia extorqueret quis & vrgeret violenter erumpere quod infartum est. A

Et quandoquidem deuorando diuitias non solum ventri deseruiuit sed & faucibus ac palato, eodem tempore CAPVT ASPIDVM SVGET ET OCCIDET EVM LINGVA VIPERÆ, quia venena mortifera ibidem cogetur
Deut 32. gustare. *Nonne enim hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* Dicit Dominus: Ex quibus apparet quod in inferno singulæ potentiæ sensitiuæ & tandem singuli sensus sua experientur tormenta. Visus enim torquebitur per tenebras & fumum. *Hæc enim oculorum tormenta sunt*, inquit
Matth. 8. Tertull. ita vt ex oculis lachrimas excutiant, *nam erit ibi fletus & stridor dentium.* Auditus torquebitur per lamenta eorum qui plangent se. Gustus per potionem venenatam & fœculentam, quæ vt diximus, *amara erit bibentibus eam.* Olfactus per fœtorum sulphuris & cadauerum, de quibus Isaias,
Cap. 34. *De cadaueribus eorum ascendet fœtor*; nam corpora eorum qui sunt in morte B
secunda fœtebunt vt cadauera: Tactus, per ignem, rompheam, frigora, quæ in scripturis commemorantur. Quocirca pictores tormenta inferni suis formantes coloribus non incongruè exhibent, quibusdam per malos Angelos infundi venena, alijs turgidum ventrem quasi constipato farcimine exenterari. Quæ si non eueniant reipsa, euenient saltem per suas qualitates, quibus anima infecta, quasi per rerum experientiam torquebitur. Saluo tamen quod in inferno ignis erit sensibilis ob scripturas ea de re valde
etc. manifestas. Videtur interim Ambros. præsupponere quod omnia genera
14. Luc. tormentorum in inferno eiusdem erunt rationis vsque adeo vt cum non agnoscat tenebras ibi esse nisi interiores, & vermem ibidem esse remorsum conscientiæ, opinetur ignem ibidem Metaphoricè dici. Cæterum ex præsupposito Ambrosij magis infertur contrarium. Si enim omnia tormenta inferni eiusdem sint conditionis, cum sint ibi tenebræ exteriores, erit ibi & C
ignis forinsecus adurens, quin & vermis & venena eiusdem ordinis. Videtur nihilominus præsuppositum Ambrosij non esse necessarium. Cur enim oporteat omnia quæ sunt æternæ damnationis magis esse eiusdem conditionis, quam quæ sunt perfectæ beatitudinis? In hac autem est lumen mentium & oculorum corporalium, gloria animæ & corporis, ad eundem igitur modum etiam supplicia inferni partim externa erunt, partim interna.

Serm. 24. NON VIDEAT RIVVLOS FLVMINIS, aquæ viuæ TORRENTES MELLIS, ET
Ioel. 3. BVTYRI, in beatitudine enim *stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lac & mel*: quam dulcedinem Sanctorum reprobus ne quidem videre, multo minus poterit gustare.

LVET QVÆ FECIT OMNIA, NEC TAMEN ab acerbitate dolorum, CONSVMETVR: IVXTA MVLTITVDINEM ADINVENTIONVM SVARVM, quas suo arbitratu & non ex lege excogitauit, SIC ET SVSTINEBIT, *Neque enim* D
Deus hominem particulariter examinat. Nam ego, inquit, & opera & cogitationes
Hom. 22. *ipsorum coniunctim producturus venio.* Inquit Basil. Vt vnusquisque dicat, *vi-*
Thren 1. *gilauit iugum iniquitatum mearum, in manibus eius conuolutæ sunt, & impositæ collo meo.*

c. 21. de Tobia. QVONIAM CONFRINGENS *auferendo instrumenta viuendi*, inquit Ambros. insuper NVDAVIT PAVPERES, necessarijs eos spolians indumentis. Contra
Deut. 24. primum præceperat Dominus, *non accipies pignoris loco superiorem & inferio-*
Exod. 22. *rem molam:* Contra alterum, *non auferes pignorum loco vestimenta.* DOMVM RAPVIT, ET NON ÆDIFICAVIT EAM, Quod est iniustitiæ & violentiæ. Si enim absque iuris in promptu positi ordine rapuisset domum à se ædificatam,

A catam, agendo fuisset iniurius, faciendo autem quod hic dicitur, iniuriam admittit agendo & possidendo.

NEC præ inexplebili auaritia EST SATIATVS VENTER EIVS: ET CVM HABVERIT QVÆ CONCVPIERAT POSSIDERE NON POTERIT, quia omnia dilapidabit prout male parta, male dilabuntur. NON REMANSIT DE CIBO EIVS, vt reliquiæ mensæ ipsius cederent in refectionem pauperum, quale quid apparuit in diuite Epulone. *Hæc enim animæ illius misera affectio, vt ingluuie disrumpi malit, quam vel tantillum ex reliquijs in inopes conferat*, inquit Basil. ET PROPTEREA NIHIL PERMANEBIT DE BONIS EIVS, non enim *fecit sibi sacculos qui non veterascunt*. Luc. 16. Hom. 16. Luc. 12.

CVM SATIATVS FVERIT, ARCTABITVR. Hic Ambros. *Constitue mihi auarum, villarum quotidie terminos proferentem, excludentem vicinos: vtrum is tibi dilatari an coangustari videtur quem terra ipsa non capit? Quantacumque spatia* Serm. 6. v. 5. in Psal. 118.

B *domus suæ porrexerit, clauditur angustis opinionis suæ finibus, cui quod habet non est satis.* Quod Aquinas declarat exemplo illius cuius ager vberes fructus attulerat, atque dicebat: *Quid faciam quia non habeo quo congregem fructus meos? putes dicere illum, aperiam horrea mea, ingrediantur qui tolerare famem non queunt, veniant inopes, intrent pauperes, repleant sinus suos. Vt quid ego abscondam cui Deus facit abundare quod largiar?* inquit Ambros. Sed nihil horum. dixit enim, *Destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi. Mihi inquit, cum iustus quas habet facultates æstimare debeat communes,* inquit idem. Quin & arctabitur opinionis suæ angustijs, *quia, & si horrea, multitudine fructuum grauata dirumpantur, cor eius paruum & tenax, minime exaturatum est*, inquit Basil. ÆSTVABIT, præ anxietate reponendi & asseruandi quæ acquisiuit, *ipsa fertilitate, miser ac timidulus. Non enim prouentus anni fruitionem ei terra ferebat, sed fletus & suspiria: non fructuum copiam, sed curas* Luc. 12. de Nabot. c. 6. l. 1. de Iac. c. vlt. Hom. 6.

C *& dolores, & graues anxietates. Cor per hæc mœrore conficit & affligtat, dum æstuat anxia sollicitudine*, inquit ibidem Basil. vel ÆSTVABIT, cum venerit super eum angustia à dicente, *Stulte, hac nocte animam tuam tollent à te, & quæ parasti cuius erunt.*

ET OMNIS DOLOR IRRVET SVPER EVM, Cuius causam assignat alia versio quæ habet, OMNIS MANVS LABORANTIS INVADET EVM, quia diripient eum omnes pro viribus, præsertim operarij quorum mercedes fraudauit aut detinuit, vt nihil dicam de inuidis, furibus, raptoribus. Quin ET OMNIS DOLOR IRRVET SVPER EVM, per væ, quod prædixit Isaias, *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis.* Tempore enim mortis suæ dolebit se præsentia debere deserere, dolebit se ad futura aspirare non posse, desperans quod ad veram pœnitentiam & tantorum malorum remissionem poterit venire. cap. 5.

D VTINAM IMPLEATVR VENTER EIVS, vt non sit vltra locus illius infarciendi & sic finem accipiat rapacitas ipsius & ingluuies, VT, consequenter, non enim id hic accipias causaliter quemadmodum etiam alibi subinde. VT ergo, EMITTAT IN EVM Deus IRAM FVRORIS SVI. Et quæ illa? PLVAT, abundanter immittat, SVPER ILLVM BELLVM SVVM, de quo Sapiens: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* Et Isaias, *In bellis præcipuis expugnabit eum.* Quæ bella vniuerso orbi superuenient imminente extremo iudicio per plagas descriptas in Apocalipsi. Sap. 5. cap. 30.

FVGIET ARMA FERREA ET IRRVET IN ARCVM ÆREVM, quia, vt dixit Isaias, *Qui fugerit à facie formidinis incidet in foueam, & qui explicuerit se à fouea tenebitur laqueo, quo modo si fugiat vir à facie leonis & occurrat ei vrsus: & ingrediatur domum & innitatur manu sua super parietem & mordeat eum coluber,* cap. 24.

per quod

per quod significatur quod extremo tempore grauior calamitas priori ineuitabiliter succedet, authore Hieron. A

Es. 34. EDVCTVS, ET EGREDIENS DE VAGINA SVA gladius, ET FVLGVRANS IN AMARITVDINE SVA, subaudi minabitur ei. Quam enim amarum sit videre gladium vltorem vibrantem & impendentem facile docet Dauid qui videns Angelum Domini educentem gladium contra Ierusalem nimio terrore correptus est: VADENT ET VENIENT SVPER EVM HORRIBILES. Qui capite 6. dicti sunt TERRORES DOMINI. Dæmones videlicet, qui instante fine impiorum accedendo & recedendo ac inuicem succedendo quasi visitantes infirmum, commeant ad ipsum, apparitionibus vel suggestionibus terribiles. Qui tamen & dum valent, non, vt Angelus custos, continuo adhærent hominibus, sed per interualla accedunt & recedunt, iuxta quod post tentationem diabolus à Christo recessit vsque ad tempus & circa finem iterum venit ad ipsum. Propter quem accessum & recessum August. in hunc locum Diabolum vocat, ADVENTITIVM ad tentandum. B

1. Paralip. 21.

Luc. 4.

OMNES TENEBRÆ ABSCONDITÆ SVNT IN OCVLIS EIVS. Quia plenus est absconditis tenebrarum, quæ nemo miretur à nobis hic non explicari, seruantur enim illuminanda, & manifestanda à Domino in aduentu ipsius secundo. DEVORABIT EVM, quia sine spe aliquando euadendi absorbebit eum IGNIS QVI NON SVCCENDITVR opera alicuius creaturæ, sed sicut dixit Isaias, *Flatus Domini quasi torrens sulphuris succendens eam.* Et Psaltes, *Ignis & sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum.* AFFLIGETVR RELICTVS ab omni ope ac solatio Sanctorum, prout apparuit in Epulone, qui ne minimum quidem solatij ab Abraham vel Lazaro potuit obtinere IN TABERNACVLO SVO, tanquam perpetuo carcere, de quo non poterit pedem efferre. Quæris autem qua ratione manifestabuntur tenebræ absconditæ in occultis ipsius? REVELABVNT CÆLI, *Sancti cum Domino ad iudicandum venturi*; INIQVITATEM EIVS *quia cooperabuntur ad hoc quod vnicuique appareat causa saluationis, & damnationis tam sui quam aliorum, eo modo quo superiores Angeli, inferiores vel etiam homines illuminare dicuntur*, inquit Aquinas, *Et id*, ipso Authore *conuenienter*, *Decet enim*, inquit, *vt illi discutiant actus hominum circa obseruantiam diuinorum præceptorum qui præcepta vitæ annunciauerunt*, inter quos primi erunt Apostoli. ET TERRA, ijdem Sancti, dicti cæli, quia secundum animas suas descendent de cælis, & quia secundum corpora per resurrectionem ascendent de terra, dicente Domino: *viri Niniuitæ surgent in iudicio*: & Propheta, *Congregabuntur filij Israël & Iuda, & ascendent de terra quia magnus dies ille Iezraël.* Ob hanc inquam causam Sancti hic dicuntur TERRA. Hæc ergo, CONSVRGET ADVERSVS EVM, *quia viri Niniuitæ surgent & condemnabunt eos.* C

c. 33. Psal. 10. Luc. 16.

Compen. Theol. v. 2. c. 63

Luc. 11. Mat. 12.

APERTVM ERIT GERMEN DOMVS ILLIVS, quia vt tenebrarum occulta, ita & opera tametsi occultè patrata, ibi omnibus manifestabuntur. DETRAHETVR IN DIE FVRORIS DEI, *rudentibus inferni ad cruciatus in tartarum.* Quod quidem Petrus affirmat obuenisse Angelis *qui non seruauerunt suum Principatum*, nisi autem idipsum exspectandum foret malis hominibus, non diceret Psalmus: *Non trahas me cum peccaotribus, & cum operantibus iniquitatem non perdas me.* D

2. Pet. 2. Psal. 27.

HÆC EST PARS HOMINIS IMPII A DEO, ET HÆREDITAS perpetua possessio, VERBORVM EIVS A DOMINO. Partem enim & hæreditatem hanc non tantum sortietur propter occulta tenebrarum quæ animo gessit, vel germen operum quæ perperam exercuit, sed etiam iniquitatem verborum quæ ore protulit, sicut scriptum est: *Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.*

Matth. 12

CAPVT

A

CAPVT XXI.

RESPONDENS AVTEM IOB, DIXIT: AVDITE QVÆSO SERMONES MEOS. Prius obiurgando visus est corda aduersariorum edomare, nunc, obsecrando studet eadem ad auscultandum demulcere iuxta quod scriptum est, *Argue, obsecra, increpa.* ET AGITE PÆNITENTIAM mutando sententiam. Pænitentiam enim Græcis à demutatione dici Author est Athan. Quin & Hebræis, nam in scripturis Hebraicis etiam Deus dicitur pænitere quod ipsi aliter competere non potest quam ob prioris facti demutationem. Ambrosius interim pænitentiæ huic includit postulationem veniæ, nam in ipsius explicationem allegat quod Plato in Politia sua posuit, eum, *qui contra iustitiam disputandi partes recepisset; postulare veniam dictorum quæ non probaret, & veri inueniendi atque examinandæ disputationis gratia, illam sibi impositam personam dicere. Quod eousque Tullius probauit vt in libris de repub. eam sententiam dicendam putauerit. Quanto antiquior illis Iob qui hæc primus reperit: Nec eloquentiæ phalerandæ gratia, sed veritatis probandæ præmittenda æstimauit?* Hæc Ambros. Vertunt alij ex Hebræo ET HOC, vestrum pænitere, SIT CONSOLATIONIS VESTRÆ, qua consolemini me, ne alioqui iterum dicam, *Consolatores onerosi estis vos.*

2. Tim 4. | Gen. 6. | 1. Reg. 15. | Ierem. 26. | 1. Offic. c. 12. | B | 1. de Interp. c. 3.

SVSTINETE ME, *quia fortiora loquar, graue erit pondus verborum meorum,* inquit Ambros. ET EGO LOQVAR, nec per audiendi impatientiam vices loquendi præcludite mihi. ET POST MEA, SI, rationabili iudicio, VIDEBITVR, VERBA RIDETE, ne dicat de vobis Iudas, *Quæcumque ignorant blasphemant.*

C

NVNQVID CONTRA HOMINEM, humanas tantum sententias contra me sustinentem DISPVTATIO MEA EST, VT MERITO NON DEBEAM CONTRISTARI, si quod nitor non assequor, eo quod disputatio huiusmodi nec prosit nec obsit saluti? Nunc autem si quod sector non assequor, merito oportet me contristari, quia sententiæ vestræ noxiæ sunt, ex fælicitate temporali persuadentes impijs se aut iustos esse aut impunè iniquos: Ex aduersitate verò temporali persuadent iustis quod sint peccatores ac Deo inuisi, *& facitis cor iusti mærere mendaciter*, cor impij fallaciter exultare. ATTENDITE ME, obseruando quid rei loquar, ne per strepitum verborum meorum tinniant tantum aures, & absque sensu stupeant vestræ mentes. ET, ob rem specie plausibilem euentu terribilem, paucis perspectam, admirabundi OBSTVPESCITE: ET cohibendo contractionem SVPERPONITE DIGITVM ORI VESTRO. Nam, ET EGO QVANDO RECORDATVS FVERO, per id quod hæc mihi dudum perspecta redeunt ad mentem, PERTIMESCO, ne & ego in eadem aliquando incidam. Alij ATTONITVS SVM, TERREOR, ET præ timore ac terrore, CONCVTIT CARNEM MEAM TREMOR, quia circa fælicitatem temporalem *nimis profundæ factæ sunt cogitationes Dei, & vir insipiens non cognoscit, atque stultus non intelliget hæc.*

D | Psal. 91.

Ad quod profundum peruestigandum, propono in quæstionem, QVARE, quo euentu aut suo prouentu IMPII VIVVNT? *Non enim est respectus morti eorum*, quia videtur Deus ne semel quidem attendere vt eos deducat in mortem. SVBLEVATI SVNT, *vidi enim impium exaltatum & eleuatum sicut cedros Libani:* CONFORTATIQVE DIVITIIS, vt de suo statu non facile moueantur, *dicentes auro robur meum, & obrizo fiducia mea*, & præualent in hac va-

Psal. 72. | Psal. 36. | Iob. 31.

hac vanitate sua: Non est proinde simpliciter, vt dixit Sophar, *Laus eorum breuis, & gaudium ad instar puncti.* SEMEN, posteritas EORVM PERMANET CORAM EIS, neque enim quispiam filiorum aut nepotum coram vel viuentibus ipsis moritur, prout principio mundi primus Aran mortuus est ante Thare patrem suum: PROPINQVORVM, affinitate vel alia necessitudine coniunctorum TVRBA ET NEPOTVM IN CONSPECTV EORVM, sic vt non modica præsentis temporis fælicitate videant filios filiorum in tertiam & quartam generationem. A

Gen. 11.

DOMVS EORVM ob coëmptam vel extortam omnimodam immunitatẽ, SECVRÆ SVNT ET PACATÆ ab omni hostilitate, ET NON EST VIRGA DEI SVPER ILLOS, *Quia in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.*

Psal. 72.

Bos, bucula legit Ambrosius & est inter vaccas iuuencula EORVM, per fœcunditatem animalium CONCEPIT, ET fæliciter NON ABORTIVIT: VACCA bucula iam adulta PEPERIT, ET NON EST PRIVATA FOETV SVO, quia à partu, vituli fæliciter adolescunt. Multi numero ad quotidianas epulas quasi ad pascua vberrima, EGREDIVNTVR QVASI GREGES admodum numerosi PARVVLI EORVM, vt de ijs dixeris, *saturati sunt filijs:* ET INFANTES EORVM EXVLTANT LVSIBVS, vt proinde non semper *filij eorum,* quod mox dixit Sophar, *atterantur egestate.* B

Psal. 16.

TENENT, vt nunquam ferè è manibus suis seponant TIMPANVM, ET CITHARAM, ET per tripudia exsilientes GAVDENT AD SONITVM ORGANI. Nam pro gaudent, alij vertunt, exultant siue exiliunt. Summâ, DVCVNT, Alij, terunt, consumunt IN BONIS, de quibus Abraham ad Epulonem, *Recepisti bona in vita tua*, DIES SVOS, ET ob intemperantiam cum Dei immemoratione coniunctam: Est enim hic sermo de fælicitate & festiuitate impiorum, Hi autem sui in terrena effusione luxuriosi, Dei verò immemoratione propriè impij sunt. Ad quos proinde Isaias, *Cithara & lyra & vinum in conuiuijs vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis, immemores quod Deus impleat cibo & lætitia corda hominum*, Quærere Deum si fortè attrectent eum aut inueniant. Vtque sic recreati fructificent, quod Irenæus dixit; æternitatem. Ob hanc ergo intemperantiam nulla pietate modificatam, IN PVNCTO, Alij IN MOMENTO, AD INFERNA, æternorum suppliciorum loca DESCENDVNT: Accedente eo quod sicut in Sodomitis, vt dicit Ezechiel, ita & in istis fuerit *saturitas panis, & manum inopi non porrigebant*, vt vel hac præcipuè de causa IN PVNCTO ad inferna descendant. Nam in typum illius dixit Ieremias, *Maior facta est iniquitas populi mei peccato Sodomorum quæ subuersa est à Domino in momento.* Nec obstat quod pro INFERNA, alij vertant SEPVLCHRVM, quia nisi locus æternorum tormentorum diceretur sepulchrum, non scriberet Lucas, *Diues sepultus est in inferno.* Si autem in inferno sepultus, ergo infernus ille sepulchrum: à sepultura enim nomen habet sepulchrum. Infernus autem apud Lucam locus tormentorum perpetuorum, ergo etiam ille sepulchrum. Nam & Psalmus dicit, *Sepulchra eorum domus illorum in æternum.* Sepulchrum autem corporis non est mansio æterna, ergo sepulchrum quod est domus æterna, infernus. Hoc autem loco sepulchri nomine non solum potest, sed etiam debet intelligi infernus, quia dicitur quod impij ad sepulchrum hoc descendunt IN PVNCTO, siue temporis MOMENTO. Velim autem scire an impij vita functi ad sui corporis loculum deferantur in puncto, an verò eorum animæ, pernicitate Angelorum quantumuis malorum, temporis momento in orcum? Vertunt quidem 70. IN REQVIE INFERNI DORMIERVNT, sed vt illa C D

Luc. 16. Cap. 5. Act. 14. Act. 17. Ezech. 16. Thren. 4. Luc. 16. Psal. 48.

A illa interpretatio cum alijs coincidat, intelligi debet requiescere. Quod dicunt, consimili metaphora tribui inferno qua ei tribuitur dormire, vt in requie inferni dormire idem sit, quod in somno mortis secundæ decumbere: nisi requiem intelligere malueris ab ipsis hic dici per antiphrasim, vt sit requies quasi nihil minus quam quies, *Putasnè in inferno erit requies mihi?* Aquinas interim tametsi in hunc locum per inferna intelligat sepulchrum corporum, alibi tamen intelligit locum suppliciorum æternorum, & hinc probat carnalium animas, mox à morte in illum locum deferri: prout exemplariter apparet in Epulone. Vnde ex aduerso inferas animas iustorum plenè purgatas, IN PVNCTO deferri ad cælum, saltem à tempore quo Christus cælum hominibus aperuit: iuxta quod anima Lazari ab Angelis mox à morte in sinum Abrahæ delata est. Nec est inconueniens quod anima retributionem accipiat ante corpus, Imo dicit Tertull. *Congruentissimum* (4. contr. gent. c. 91.) (de anima c. vlt.)

B *est animam licet non exspectata carne puniri, quod non sociata carne commisit. Sic & ob cogitatus pios & beneuolos in quibus carne non eguit, sine carne recreabitur.* Quod Tertull. se ex doctrina sui paracleti dicere paulo post fatetur: qui cum Origine videtur docuisse animas ante corpora & peccasse, & benè egisse, atque illa in primis consideratione debere pœnas dare, præmia recipere ante corpus. Quod fateor fore congruentissimum; sed non subsistit suppositum, idque congruitati illi suum adimit fundamentum. Benè itaque habet quod Tertull. coherenter ostendat animam etiam pro peccatis in corpore admissis congruenter ante corpus puniri. Subiungit enim, *Quid nunc? Si & in carnalibus prior est quæ concipit, quæ disponit, quæ mandat, quæ impellit? Et si quando inuita, prior tamen tractat quod per corpus actura est; Nunquam denique conscientia posterior erit facto, ita huic quoque ordini competit etiam priorem pensare mercedes cui priori debeantur.* Hæc Tertullianus. Hoc ergo euentu atque pro-

C uentu impij viuunt, subleuantur, confortanturque atque fruuntur diuitijs. Quæres proinde cum Augustino, *An filios perditionis Deus diabolo pascit & diabolo nutrit & vestit? Nequaquam. Hic itaque creat malos quo modo pascit & nutrit malos: quia quod eis creando tribuit, ad naturæ pertinet bonitatem, & quod eis pascendo & nutriendo dat incrementum, non vtique malitiæ eorum, sed eidem bonæ naturæ quam creauit bonus, bonum tribuit adiumentum.* Quo autem id consilio alibi explicat August. vbi dicit, *Cur ista diuina misericordia etiam ad impios ingratosque peruenit? Cur putamus? nisi quia eam ille præbuit qui quotidie facit oriri solem suum super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos? Quamuis enim quidam eorum ista cogitantes pœnitendo ab impietate se corrigant: quidam verò, sicut Apostolus dicit, Diuitias bonitatis & longanimitatis Dei contemnentes, secundum duritiam cordis sui, & cor impœnitens thezaurizent sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei: tamen patientia Dei ad pœnitentiam inuitat malos, sicut* (2. de nupt. & conc. c. 17.) (1. de ciuit. Dei c. 8.) (Mat. 5.) (Rom. 2.)

D *flagellum Dei ad patientiam erudit bonos. Placuit quippe diuinæ prouidentiæ præparare in posterum bona iustis quibus non fruerentur iniusti: & mala impijs quibus non excruciabuntur boni. Ista verò temporalia bona & mala vtrisque voluit esse communia, vt nec bona cupidius appetantur quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter euitentur quibus & boni plerumque afficiuntur. Ostendit tamen Deus sæpe etiam in his distribuendis euidentius operationem suam. Nam si nunc omne peccatum manifesta plecteretur pœna, nihil diuino iudicio reseruari putaretur. Rursus si nullum peccatum nunc puniret apertè diuinitas; nulla esse diuina prouidentia crederetur.* Hæc Augustinus. Nemo itaque ex hoc quod *peccatores & abundantes in sæculo obtinent diuitias*, dicat; *Quomodo scit Deus & si est scientia in excelso? nouit enim Deus vnumquodque ad suos terminos ducere, & interim bona sua variè dispensare. Nec falli Deum Doctorem sapientiæ & disciplinæ, sed esse veritatis iudicem. Et ideo non* (Psal. 72.)

N secundum

secundum forensem abundantiam æstimandam beatitudinem singulorum, sed secundum interiorem conscientiam quæ Innocentium & flagitiosorũ merita discernit, vera atque incorrupta pœnarum præmiorumque arbitra. Hæc cogitans, nega, si potes, diuini esse A
1. offic. cap. 12. *iudicij remunerationem*, inquit Ambros. Sed nec carnalium in sæculi fruitione impietas tantum consistit in Dei quam diximus *immemoratione*, nam ad grauiora peruenit dicente Psalmo, *quod operti* siue oppleti *sint impietate sua*. Quod Iob declarat per sequentia: Idque postquam dixit ipsos in puncto ad inferna descendere, ne si id tantum diceret post enarratam impietatem quæ sequitur, crederentur carnales non nisi ob adhærentem sibi tantam impietatem in Orcum descendere. Nunc autem per ordinem sententiarum author dat intelligi quod ad inferna deducat voluptas sæculi cum sola Dei immemoratione: etiam non admissa quæ consequenter describitur impietate.

Dicit itaq; Iob, QVI DIXERVNT DEO vel intus per semetipsum, vel forinsecus per suos seruos instruenti: RECEDE A NOBIS, ET SCIENTIAM VIARVM B TVARVM NOLVMVS. Cuiusmodi describit Isaias, *Populus ad iracundiam prouocans est & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei qui dicunt videntibus nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt Auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie nostra*
cap. 30. *sanctus Israël.* Cuius rei exemplum commemoratur ab Amos, dicente, Dixit
cap. 7. Amasias ad Amos, *Qui vides, Gradere, fuge in terram Iuda, & comede ibi panem & prophetabis ibi. Et in Bethel non adijcies vltra vt prophetes: quia sanctificatio Regis est*, q. d. doctrina religionis ad dispositionem Regis pertinet; prout nunc etiam dicitur in magna Britannia. Dicunt ergo, SCIENTIAM VIARVM TVARVM NOLVMVS, quia viæ Domini ipsis sunt tantopere abominabiles, vt ne quidem sustineant de ipsis quippiã audire, Cuiusmodi homines sortitus videtur Ierem.
cap. 6. cum diceret, *Cui loquar? & quem contestabor? Ecce incircumcisæ aures eorũ & audire non possunt.* Creduntur etiam scientiam viarum Domini scire non velle, ne illa eis pareret conscientiæ remorsum aut ad ambulandum in eis extimularet; C
Psal. 35. quia erant ex illis de quibus Psalmus, *Noluit intelligere vt benè ageret.*

QVIS EST OMNIPOTENS VT SERVIAMVS EI? q.d. cum Pharaone, *Nescio Do-*
Exo. 5. *minum.* Alij tamen vertunt, QVID EST OMNIPOTENS: Vbi Hebræis est Saddai quod Aquila interpretatur *ἀλκιμον: quod nos robustum, & sufficientem ad omnia*
Epist. 136. *perpetranda, accipere possumus*, inquit Hieron. Victorius tamen in illam epistolã scribit alios illud rectius interpretari *ἀυτάρκης*, id est sibi ipsi satis quia nulla re indigeat. Hic ergo videntur notari impij qui cum Deũ cognouissent, & ob id nomen ipsius adhuc retinerent ac haberent in ore, *euanuerunt in cogitationibus*
5. de ciuit. cap. 9. *suis*, vt dicerẽt, Quid est, q.d. nihil est, vel non est Deus. Quod August. tribuit Ciceroni lib. de nat. Deor. id ipsum sub nomine alterius astruere nitenti. Vel saltem Deo talia asscriberent quæ non possent cum veræ diuinitatis ratione consistere prout illi qui dicebant, *Quomodo scit Deus & si est scientia in excelso.* Et,
Psal. 93. *non videbit Dominus nec intelliget Deus Iacob.* Quibus adiungas illos qui dicebant D Deũ esse & futurorum præscium non esse. *Qui enim non est præscius omnium futurorũ vtiq; non est Deus*, inquit loco allegato Aug. Qui vere stulti facti sunt, nam dicit Aug. *Confiteri esse Deum & negare præscium futurorum apertissima insania est.* ET QVID NOBIS PRODEST SI ORAVERIMVS ILLVM? Alij occurrerimus, vel vt
Psal. 67. 70 quoniã obuiam ibimus illi, Iuxta mandatũ dicentis, *Iter facite illi qui ascendit super occasum* parando in hac vita lampades luminosæ conuersationis ad ob-
Mat. 25. uiandum sponso & sponsæ. Apud eum enim qui non est aut eorum quæ hic aguntur inscius est, nulla operum merces, nulla retributio. Contra quos vi-
Apoc. 22. detur Dominus dicere in Apocal. *Ecce venio citò merces mea mecum est dare vnicuiq; secundum opera eius.* A qua interpretatione non est alienum quod hic legimus SI ORAVERIMVS ILLVM? Quia sub occurrere, vel obuiare comprehendi-
Mat. 6. tur orare & peculiariter orare quo dicimus, *Adueniat regnum tuum.* VE-

A VERVMTAMEN, QVIA NON SVNT IN MANV EORVM BONA SVA, vt eadem conseruent sibi, CONSILIVM IMPIORVM LONGE SIT A ME. Absit enim vt deserto *Deo viuo qui tribuit omnia abundè ad fruendum*, sperem *in incerto diuitiarum.*

Quantopere autem non sint in manu ipsorum bona sua, ostendo sic, QVOTIES, quam frequenter, (non enim, vt vos amici mei supra per Baldad dicentes nunquid virere potest scirpus absque humore, opinamini, semper aut necessario) LVCERNA, sæcularis splendor, IMPIORVM EXTINGVETVR; ET contrà quam sibi persuaserant, SVPERVENIET EIS malorum huius temporis INVNDATIO. Dixerant quidem apud Isaiam, *Percussimus fœdus cum morte, cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum transierit non veniet super nos: quia posuimus mendacium spem nostram & mendacio protecti sumus:* sed ex aduerso Dominus, *subuertet grando spem mendacij & protectionem aquæ inundabunt & delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit: flagellum inundans cum transierit eritis in conculcationem.* ET DOLORES DIVIDET FVRORIS SVI? Aquinas ac etiam Pagninus subaudit DEVS: Qui cum mortificando explet illud Apostoli. *Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus compagum quoque ac medullarum,* nonne diuidit siue dispartitur dolores, quos, impios tot partibus dissecando, infert? De qua diuisione accipias & illud Lucæ 12. *Veniet Dominus serui illius in die qua non sperat & diuidet eum.* Cui appositè subiungas quod post allegata verba dicit Isaias, *sicut in monte diuisionum stabit Dominus.*

cap. 6. B *Hebr. 4.*

ERVNT SICVT PALEÆ ANTE FACIEM VENTI, ET SICVT FAVILLA QVAM TVRBO DISPERGIT. Id enim patenter impijs tempore extremi iudicij obuenturum docet Psalmus primus.

C DEVS SERVABIT FILIIS ILLIVS DOLOREM PATRIS: *Vt* & ipsi moribundi dicant, *siccinè separat amara mors?* In cuius figuram Samuel Agag Regem Amalecitarum concidisse videtur *in frusta coram Domino. Omnia enim in figura contingebant eis.* Nam quod Dauid super deuictos, & morti obnoxios *mensus est duos funiculos, vnum ad viuificandum, vnum ad mortificandum*, præfigurabat quod ex victis & morti obnoxijs quidam sortiantur vitam ex Dei prædestinatione, alij mortem ex Dei reprobatione; prout ex eo quod super deuictos transire fecit ferrata carpenta & deduxit eos in typo laterum, præfigurabat id, quod de Christo, in die iudicij dicit Deus Pater. *Et concidam à facie eius inimicos eius* qui ob id à Propheta dicuntur, *Populus in valle concisionis.* ET CVM REDDIDERIT, filijs iam dictum dolorem Patris, TVNC SCIET, ipse pater, quia eorum causa ipse grauius punietur, *Cuncti enim qui salutis suæ damna per alios in hac vita perceperunt, authores perditionis suæ, etsi dudum vita functos, atrocioribus illic supplicijs tradunt,* inquit Basil. de vera virg. D

1. Reg. 15. *1. Cor. 10.* *2. Reg. 8.* *Psal. 88.* *Ioel 3.*

VIDEBVNT OCVLI EIVS impij nimirum patris, INTERFECTIONEM SVAM, qua tradebatur in mortem secundam, ET DE FVRORE OMNIPOTENTIS BIBET, ex calice cuius *fex non est inanita de quo bibent omnes peccatores terræ.* Quibus verbis describit Propheta retributionem supplicij essentialis quod infligitur ob peccata propria, quemadmodum cùm dixit, TVNC SCIET, descripsit supplicium accidentale quod infertur ob peccata aliena de quibus sequitur. QVID ENIM AD EVM PERTINET DE DOMO SVA POST SE? Quod non intelliges de illis qui in damnatione sunt, eo quod Epulo sollicitus fuerit de fratribus suis. Itaque, QVID AD EVM, dum adhuc viuit, PERTINET DE DOMO SVA, POST SE, *educare nimirum filios in disciplina & correptione Domini,* quod cum illis post mortē patris posset perseuerare? Insuper,

Psal. 74. *Luc. 16.* *Ephes. 6.*

Isaie 22. per, quid ad eum pertinet, SI NVMERVS MENSIVM EIVS DIMIDIETVR? A
1.Cor. 15. Dicit enim, *Manducemus & bibamus cras enim moriemur*, vt proinde nec imminens mors ipsum à manducando & bibendo deterreat.

Cæterum quemadmodum ex eo, *quod peccatores & abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias*, quidam in Psalmo dixerunt, *Quomodo scit Deus & si est scientia in excelso?* Ita alij idipsum dicunt ex eo quod bona huius sæculi inæqualiter dispensantur. Contra quos nunc Propheta. NVNQVID DEVM DOCEBIT QVISPIAM SCIENTIAM, bona & mala huius vitæ scienter & laudabiliter dispensandi, Deum inquam, QVI EXCELSOS, in sublimi ad iudicandum sedentes IVDICAT, & proinde scientia omnes superat? Iudicat enim cum veritate. Sicut autem eum qui iudicat, necesse est omnes suo iudicio subiectos superare potestate, ita eum qui iudicat cum veritate, oportet omnes quos iudicat scientia superare & veritatis cognitione. *Nunquid* ergo *Deum* Iudicem omnium *quis docebit scientiam?* Verum itaque est quod ISTE MORITVR ROBVSTVS ET SANVS, quia vsque dum moritur perpetuò valet & viget. Estq; abundantia rerum DIVES, ET occulta quadam bonorum affluentia & negotiorum prospero successu FELIX. B

Psal. 72. (margin)

VISCERA EIVS ex abundantia nutrimenti PLENA SVNT ADIPE, ET MEDVLLIS quibus sustententur & roborentur OSSA ILLIVS IRRIGANTVR: ALIVS VERO MORITVR IN AMARITVDINE ANIMÆ, quia tota vita per inopiam & varias aduersitates redditur ipsi amara ABSQVE VLLIS OPIBVS, quibus posset amara illa à se arcere vel demulcere.

ET TAMEN SIMVL IN PVLVERE secundum corpus, DORMIENT ET VERMES OPERIENT EOS: Nec poterit diues ille felix, pinguis, & robustus, communem corporis tabem omnibus illis bonis suis euadere. Igitur bona illa magni pendenda non sunt, quia in futurum prodesse vel consulere non valent. Nunquid ergo Deo in hac bonorum huius vitæ tam dispari dispensatione putari debet deesse scientia, cùm tam diuitem quàm inopem ad vnum & eundem deducit terminum, & per diuersas vias ad vnam metam? Accedente præsertim illo Dei iudicio, per quod voluit vt in tanta rerum disparitate, illorum abundantia horum inopiam suppleat, & istorum abundantia spiritualis subueniat vicissim inopiæ illorum, vt fiat æqualitas. Quæ si vitio diuitum non euenerit, non absque scientia, Deus bona huius vitæ tam differenter dispensauit. *Infirmos enim sub diuersis molestijs Dei iustitia laborare permisit, vt miseros pro patientia coronaret*, inquit Leo. *Pauperibus potuit Deus, cuius sunt omnia, necessariam conferre substantiam, & tales eis tribuere facultates, vt in nullo diuitum largitionibus indigerent, sed & illis & his multa virtutum materia defuisset, si nec illos ad patientiæ coronam inopia exerceret, nec hos ad misericordiæ gloriam copia prouocaret.* C

Serm. 3. de ieiun. 10. mensis, & serm. 4. de ieiun. 7. mensis.

CERTE NOVI COGITATIONES VESTRAS, ET ex ijs, SENTENTIAS CONTRA ME INIQVAS, quia ex sententijs auditis & à vobis excogitatis infertis contra me, quod & ego impius sim & sceleratus. D

DICITIS ENIM: VBI EST DOMVS PRINCIPIS? vocabulo numeri singularis denotantes me & domum meam: ET VBI TABERNACVLA IMPIORVM? illius Principis filiorum. Quasi diceretis, Nullibi. Ab admissa enim impietate & domus Principis Iobi & tabernacula filiorum eius mox concussa sunt, contrita atque consumpta.

Respondeo autem vobis, INTERROGATE attendite, de cuiusmodi interrogatione in cap. 12. ex August. diximus. Interrogate ergo QVEMLIBET DE VIATORIBVS, ET ex factis eorum, HÆC EADEM quæ dicturus sum ILLVM INTELLIGERE COGNOSCETIS. *Nunquid enim priusquam cursus con-*

ficiatur,

A *ficiatur, palma cuipiam datur aut defertur corona? Nunquid detergere puluerem, nunquid epulari gestit antequam stadium soluatur?* Inquit Ambros. Ad eundem modum, non defertur iustis hic meritorum suorum corona, quia quandiu hic viuunt in stadio currunt. *Quos autem*, vt ibidem bene dixit Ambros. *manet corona, exspectat iniuria.* 1. offic. c. 15 & 16.

Similiter nec impios hic debita semper comitatur pœna & plaga, QVIA IN DIEM PERDITIONIS, de quo Psalmus, *Vultus Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum, qui potens est animam & corpus perdere in gehennam*; In hunc inquam Diem per Dei patientiam SERVATVR MALVS, ET AD DIEM FVRORIS, exardescentis iræ diuinæ, quem Isaias dicit, *indignationis plenum*, DVCETVR; quando dabit mare mors & infernus mortuos suos, vt compareant ad solenne iudicium, & tunc condigna recipiãt. Quia in hac vita QVIS ARGVET CORAM EO impio, iniquo VIAM EIVS? vt ipsemet iniquitatem suam videat & perspiciat? Sed id reseruatur illi qui dicit, *Existimasti iniquè quod ero tibi similis, Arguam te & statuam contra faciem tuam*, vt ipse videas rem ita se habere vt ego arguo. Statuere autem contra faciem idem esse cum eo quod hic legimus CORAM EO, docet translatio quæ pro CORAM EO, habet, ANTE FACIES SVAS. In illa autem furoris die arguet impium Dominus in hac verborum forma, *Diues eras, quâ causâ aliena rapiebas? Egestas non compulit, inopia non coëgit. Nonnè ideo te diuitem feci, vt excusationem habere non possis? Dicetur etiam potenti: Cur non adfuisti viduæ, Orphanis quoque iniuriam patientibus: ideo te feci potentem, vt non inferres violentiam, sed repelleres. Nonne tibi scriptum est: Eruite iniuriam patientem? Nonne tibi scriptum est, Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate? Dicetur etiam abundanti liberis: Honoribus cumulaui te, salubritatem corporis concessi tibi, cur non secutus es præcepta mea? Famule meus quid feci tibi aut quid contristaui te? Nonne ego tibi liberos dedi, honores contuli, salutem donaui? Cur me negabas? cur æstimabas quod ad scientiam meam quæ gereres non peruenirent? Cur tenebas dona mea, despiciebas mandata mea?* Inquit Ambr. ET QVÆ FECIT QVIS REDDET ILLI, in hac vita, cum ob contemptum Dei vel auersionem ab ipso debeatur ei pœna perpetua? Contemptus enim pro ratione obiecti maiorem censetur vel minorem includere malitiam. Quando igitur contemnitur infinitus, malitia contemptus censeri debet infinita. Hæc verò non condignè punitur nisi pœna infinita qualis per durationem suam est æterna: tametsi intensione etiam sit immensa.

Psal. 33. Mat. 10. Cap. 13. B Psal. 49. Psal. 81. C 1. offic. c. 16

Interim dum exspectatur dies perditionis, à sua morte AD SEPVLCHRA DVCETVR secundum corpus ET IN CONGERIE, siue vt legit Ambros. & cum eo Vatab. & Pagn. TVMVLO. Nec inconuenienter, nam congeries lapidum in Galaad secundum proprietatem alterius linguæ dicebatur Tumulus. IN CONGERIE ergo, congregatione, Conflata ex eo quod dicit Isaias, *Congregabuntur in congregatione vnius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere, & post multos dies visitabuntur*, vt veniant ad iudicium. Sequitur enim, *Et erubescet luna & confundetur sol*, quod à die iudicij locum habere non posse in confesso est. Vel, CONGERIE, colligatione, *Colligite enim zizania in fasciculos.* In congerie igitur MORTVORVM VIGILABIT secundum animam: nam pulchrè eos in tumulo vigilare dixit Iob, *Quia soporem quietis habere non possunt*, inquit Ambros. Vbi sunt ergo qui dicunt animas corpore solutas vsque ad iudicij diem obdormiscere? Causa iniquietudinis est, quia DVLCIS, obdulcatus FVIT: nam Neoterici vertunt, dulcuerunt ei cespites, siue vt Vatablus glebæ torrentis: cum quo coincidit quod 70. legunt, Dulces ei fuerunt SILICES torrentis: quam Interpretum nonnullam varietatem noster interpres dicens, DVLCIS FVIT GLAREIS COCYTI, in vnum conciliat;

Gen. 31. Cap. 24. D Matt. 13. loco alleg.

 Est

Est enim glarea arena coagmentata & constipata, habens in se silices multos. Dulcuerunt ergo ei GLAREÆ TORRENTIS, fluuij raptim decurrentis, quem noster interpres vocat Cocytum & fabulæ, inquit Ambros. dicunt esse fluuium infernalem, vt significet Glaream quam alij dicunt, silices esse fluuij non cuiusuis, sed decurrentis in infernum. Glareæ ergo Cocyti dulcuerunt ei, *quia domum suam* (quod de Hæreticis scribit Irenæus) *ædificauit super arenam habentem in se lapides multos*, qui sunt, in infernum defluentis sæculi Potentes. Hi enim dulcuerunt ei, placuitque ad ædificandum domum suam, illorum moribus ac fauoribus niti. Non autem (quod hic subaudias) super petram, Christum, qui, vt in hunc locum exponit Augustinus, POST SE OMNEM HOMINEM TRAHET vt seposita aut deserta arena ædificet super petram, ET ANTE SE INNVMERABILES, & sunt illi qui ante aduentum Christi transitoria spreuerunt; non potentatus sæculi, sed in fundamento Christum habentes.

de bon. mort. c. 8. — *lib 3. c. 40.*

QVOMODO IGITVR, dicendo, *si iniquitatem quæ est in manu tua abstuleris à te & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia, miseriæ obliuisceris & quasi aquarum quæ præterierunt recordaberis, & quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam: & cum te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer:* Hæc inquam & similia dicendo CONSOLAMINI ME FRVSTRA, CVM RESPONSIO VESTRA, REPVGNARE OSTENSA SIT VERITATI? Tam quoad rem, quam quoad hominem, Nec enim verum est quod ab iniquitate conuersis è vestigio obueniat prosperitas & splendor temporalis & securitas de ea, nec verum est in manu mea fuisse iniquitatem.

supra. c. 11.

CAPVT XXII.

RESPONDENS AVTEM ELIPHAS THEMANITES, DIXIT: NVNQVID DEO POTEST COMPARARI HOMO, ETIAM CVM PERFECTÆ FVERIT SCIENTIÆ? Nequaquam, Legunt enim 70. *Nunquid non Dominus est docens intellectum & scientiam?* Non potest ergo homo quantumuis perfectæ scientiæ Deo comparari, quia omnis riuus inferior fonte. Nec solum Dominus donat hæc, sed sine suo lucro, vt habet alia versio, siue sine suo emolumento, vt rectè dixeris homini Si sapiens fueris, tibimetipsi eris, quia QVID PRODEST DEO SI IVSTVS FVERIS? AVT QVID EI CONFERS, SI IMMACVLATA FVERIT VIA TVA? Quod enim de sacrificijs veteris testamenti, id & de iustitia hominis dixerit, *Quo mihi multitudo victimarum tuarum? Plenus sum.* Non eorundem fastidio, sed vt bene exponit Basilius, memetipso, ita vt nullius rei extrariæ indigus sim aut capax; vt meritò dicat Psaltes, *Dixi Domino, Deus meus es tu quoniam bonorum meorum non eges.* Eget autem homo bonorum Dei, ergo non potest ipsi scientia vel iustitia comparari.

Isaie 1. — *Psal. 15.*

NVNQVID TIMENS meticulosus prout infirmiores arguere solent potentes ac pares, & non potius cum omni confidentia & authoritate heriliter ac viriliter ARGVET TE, ET VENIET TECVM IN IVDICIVM tanquam qui sis tantum reus iudicio vbi per cogitationes defendentes excusationi locus est defensioni ac clementiæ? ET NON PROPTER MALITIAM TVAM PLVRIMAM, ET INFINITAS INIQVITATES TVAS, subaudi veniet tecum in iudicium, vbi absque disceptatione inueniaris reus gehennæ ignis? *Quia peccata tua manifesta sunt præcedentia ad iudicium,* & iam ante Dei iudicium sunt notoriè damnabilia.

1. Tim. 5.

ABSTV-

A ABSTVLISTI ENIM PIGNVS FRATRVM TVORVM, quia cum non essent soluendo, filios tuorum fratrum parentibus abripuisti ad seruiendum tibi, prout creditor quidam tentabat facere mulieri viduæ tempore Elizæi: cui fauet translatio alia quæ habet, Capies fratres tuos & pignus. Vel pignus fratrum tuorum, ne quidem tam propinquis parcens, ab eis improbè & violenter abstulisti contra Deut. 24. *Cum repetes à proximo tuo rem aliquam quam debet tibi, non ingredieris domum eius vt pignus auferas, sed stabis foris & ille tibi proferet quod habuerit. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum vt dormiens in vestimento suo benedicat tibi, & habeas iustitiam coram Domino Deo tuo.* Huic sensui magis congruit versio Vatabli & Pagnini quæ habet, *Pignorabas à fratribus tuis.* Vtrumque aggrauatur per id quod Hebræi addunt GRATIS siue FRVSTRA, nimirum vt noster textus legit, SINE CAVSA; Iustè enim pignus auferre, tametsi improbè, minus B peccatum est. ET NVDOS, ad nuditatem vsque, qui enim nudus est vestimentis spoliari non potest: Tam immaniter ergo obnoxios tibi SPOLIASTI VESTIBVS. 4. Reg. 4.

AQVAM LASSO NON DEDISTI, longè à virtute Iahel quæ Sisaræ dicenti, *Da mihi obsecro paululum aquæ, quia sitio valde, aperuit vtrem lactis & dedit ei bibere,* ET ESVRIENTI, non solum non dedisti, sed SVBSTRAXISTI PANEM. Iudic. 4.

IN FORTITVDINE BRACHII TVI POSSIDEBAS TERRAM, per vim acquirendo & multiplicando tibi possessiones, ET POTENTISSIMVS, exturbato & seposito omni iuris ordine, per summam potentiam asseruando quod violenter acquisieras, OBTINEBAS EAM.

VIDVAS DIMISISTI, eleemosina aut nauati tibi operis mercede VACVAS, ET LACERTOS PVPILLORVM COMMINVISTI non subueniendo, vel etiam C detinendo substantiam ipsis à parentibus relictam, Per id enim fecisti eos viribus languescere; vt, alioqui ad acquirendum robur sat bene dispositi, non valerent ad fructuosè sibi operandum inualescere.

Sed vnde hæc Prophetæ obijcit Eliphas? An ex calumnia? Absit verò ab amico Iob tanta nequitia. Educit ergo hæc ex eodem argumento ex quo Barbari Melitenses, ex pœna colligentes culpam dicebant de Apostolo Paulo, *Vtique homicida est homo iste. qui cum euaserit è mari, vltio non finit eum viuere.* Sic enim & Eliphas ex aduersitatibus maximis quas non nisi pœnas arbitrabatur, inferebat Iob, quæ recensuit grauia, peccata admisisse, quæ, vt apud Melitenses homicidium, ita apud Themanitas grauissima peccata æstimabantur & fortè præ reliquis vsitata. Vidit id Ambros. nam introducit Iob amicis loquentem, *Homo me non potest redarguere quia peccaui, quia non ex euidenti culpa me arguitis, sed ex iniurijs æstimatis merita delictorum.* Act. 28. 1. offic. c. 12

D Pergit Eliphas. PROPTEREA CIRCVNDATVS ES LAQVEIS, vt non sit tibi à malis effugium aut refugium & merito cum Ieremia dicas, *Circumædificauit aduersum me vt non egrediar, aggrauauit compedem meum,* ET CONTVRBAT TE FORMIDO SVBITA, Alij, Pauor subitò, & conuenientius, formido enim spectat mala impendentia, Pauor irruentia. Thren. 3.

Dans autem rationem cur dixerit formido subita, subiungit, ET PVTABAS TE splendori tuo solito oppositas TENEBRAS NON VISVRVM, ET IMPETV AQVARVM INVNDANTIVM NON OPPRESSVM IRI, prout vnico tempore vndique oppressus es. Sed in hoc fallitur Eliphas ex animo eorum qui confidunt in diuitijs metiens animum Iob: Non enim satis obseruauit aut non bene retinuit quod cap. 3. dixit Iob: *Nonnè dissimulaui? Nonnè silui? Nonnè quieui? Et venit super me indignatio.* Inde enim iuxta illa quæ in illum lo-

cum ex Ambrosio diximus, euidenter apparet Iob id quod obijcit Eliphas A rebus adhuc integris non putasse.

Causam verò tantorum malorum inquirens subiungit. AN NON COGITAS. Alij AN COGITAS, sed in idem redit. Prioris enim lectionis sensus erit. AN NON COGITAS QVOD DEVS EXCELSIOR CÆLO SIT, ET SVPER STELLARVM VERTICEM SVBLIMETVR? Et ex illa specula omnia hominum dicta ac facta tandem iudicaturus prospiciat, sed huius rei incogitantia te facit ea quæ dixi admittere? Posterior interim lectio magis fauet cohærentiæ cum sequentibus in hunc modum, AN COGITAS QVOD DEVS EXCELSIOR CÆLO SIT, ET SVPER VERTICEM STELLARVM SVBLIMETVR?
Isaia 66. Quod si cogites, cogitas quod verum est, quia dicit Deus, *Cælum mihi sedes est*. Si autem super illud sedet, ergo ei, vt bene notauit Hilarius, supereminet *lib. 1. de Trin.* estque vertice stellarum excelsior. Sed, an inde infers, ET DICIS: QVID ENIM NOVIT DEVS? Certè parum, nam QVASI PER CALIGINEM IVDICAT, quia inter sublimitatem ipsius & nos intersunt cælestia corpora, intersunt nubes & nebulosus aër, vt non possit nisi obscurè nostra cognoscere. Hæc enim dicentes rerum cognitionem Deo non totaliter subtrahunt, sed dicunt quod eas cognoscit in vniuersali, cognoscendo naturam entis, vel vniuersales causas. Hoc autem est cognoscere quasi per caliginem, *sicut contingit de eo quod à remotis videtur, quia perspicitur esse homo, sed non quis homo,* *in hunc locum.* inquit Aquinas. Imò, NVBES LATIBVLVM EIVS, NEC NOSTRA, non solum obscurè, sed omnino non CONSIDERAT, An dico id cogitas? Quale quid *Apol. c. 47.* Tertull. asscribit Epicureis dicentibus, *Deum otiosum & inexercitum atque humano generi nullum.* Vel dicis, CIRCA CARDINES CÆLI PERAMBVLAT, suis *1. offic. c. 13* finibus contentus & præscripto regni modo, quod Aristoteli asscribit Ambros. Sed hæc ex eo quod Deus supra cælorum verticem sublimetur nequaquam sequuntur. Tale quid enim opinantibus per Ieremiam respondet *Cap. 23.* Deus, *Putasne Deus è vicino ego sum*, vt tantum cognoscam sedi meæ propinqua; *& non Deus à longè*, cognitione attingens etiam illa quæ à sede mea longè imò longissime distant? *Si occultabitur vir in abscondito & ego non videbo eum?* Imo Deus quæ in terris sunt non solum à longè, sed & cognoscit è *Apol. c. 47.* vicino. *Non enim* (quod Tertull. asscribit Stoicis) *similis est figulo qui extrinsecus torquet molem, sed magis iuxta Platonicos gubernatoris exemplo intra illud manet quod regat.* Quapropter sicut per Isaiam dicit, *Cælum mihi sedes est*, vt significet se cælis eminere, ita ibidem dicit, *Terra scabellum pedum meorum*, vt signi- *Cap. 66.* ficet se non quidem porrigendo aut partiatim extendendo, sed per integritatis suæ præsentiam omnia pænetrare omnia attingere. Quocirca & apud Ieremiam subiungit, *Nunquid non cælum & terram ego impleo? dicit Dominus*; ad significandum quod tametsi omnia à longè cognoscere posset, prout absque controuersia Christus in dextera Dei sedens, omnia tamen cognoscit præsens & coram existens. D

Non inconcinnè autem Eliphas inquirit num asscripta scelera Iob referre debeat in ignorantiam quæ in Deo sit, tanquam illorum causam, quia de *Psal. 13.* ijs *qui dicunt in corde suo non est Deus*, quod dicere censentur & illi qui perfectionibus suis vel quoad omni scientiam vel incuriam vel mansionis suæ limitationem diminutum sibi statuunt Deum: De his inquam scriptum est, *Psal. 13.* *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studijs ac iniquitatibus suis*, Sed quemadmodum Eliphas ex afflictionibus Iob, quas putauit pænas, imposuit ipsi varias culpas, ita nunc ex culpis posterioribus scrutatur culpas ipsius anteriores: atque adeò in his permanendi pertinaciam, quia subiungit, NVNQVID SEMITAM SECVLORVM CVSTODIRE perseueranter tenere CVPIS. QVAM sæculorum semitam CALCAVERVNT VIRI INIQVI? QVI

A QVI SVBLATI SVNT violento interitu ANTE TEMPVS SVVM, in quod per naturæ constitutionem ac robur viuere poterant prout supra ex Athan. declarauimus, ET FLVVIVS torrens quidam irruentis aduersitatis vnico impetu SVBVERTIT FVNDAMENTVM EORVM, ita vt radicitus atque à fundamentis absque spe reparationis euersi sint, & possint tecum ô Iob dicere, *Quasi euulsæ arbori abstulit spem meam.*

QVI vt tu Iob paulo ante tetigisti DICEBANT DEO: RECEDE A NOBIS: ET QVASI NIHIL POSSET FACERE OMNIPOTENS, ÆSTIMABANT EVM iuxta quod supra recensiti sunt dicere. Quid est omnipotens vt seruiamus ei? CVM ILLE IMPLESSET DOMOS EORVM BONIS, ipsi verò ignorantes suæ prouectionis authorem id asscriberent aut *manui suæ excelsæ* aut fortunæ. Nec eo contenti, verterentur in benefactoris sui contemptum incuriam atque iniuriam. QVORVM SENTENTIA PROCVL SIT A ME. Quibus verbis ac- Deuteron. c. 32.
B cedit Eliphas sententiæ Iob qua supra dixerat, *quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longè sit à me.*

VIDEBVNT IVSTI, ET LÆTABVNTVR quod ipsi meliore consilio mala illa euaserint, sicut & eadem de causa, *Lætabitur iustus cum viderit vindictam,* prout in illum locum ex Tertull. exponimus. ET INNOCENS SVBSANNABIT EOS, tanquam qui stultè egerint & insipienter nimis. Psal. 57.

NONNE SVCCISA EST ERECTIO EORVM qua fuerunt *erecti vt cedrus Libani*, ET RELIQVIAS EORVM iam ex deiectione prostratas DEVORAVIT IGNIS? Vt omnia bona quibus fruiti fuerant abirent in fumum, fauillam, & cinerem? Psal. 36.

ACQVIESCE IGITVR EI qui hæc in impios, in hac etiam vita exercet iudicia, ET HABETO PACEM. *Quis enim,* vt ipse supra dixisti, *restitit ei & pacem habuit?* quam habere non possunt *impij qui sunt quasi mare feruens quod quiesce-* Isaiæ 57.
C *re non potest,* ET PER HÆC, acquiescere scilicet & pacem habere, HABEBIS FRVCTVS OPTIMOS. Inter quos reponit Apostolus *gaudium & pacem.* Gal. 5.

SVSCIPE EX ORE ILLIVS LEGEM. 70. legunt INTERPRETATIONEM siue enuntiationem, Legis nimirum intelligentiam, quam Deus spiraculo oris sui diffundit in corda eorum qui pacem habent cum eo, vt & hoc reponas inter fructus optimos quia scriptum est, *Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti:* vel LEGEM, ipsam, affirmat namque Aquinas in cap. 23. Iob, *Aliqua præcepta diuinitus data esse Noë & fortè aliquibus alijs sanctis viris in quorum labijs Deus loquebatur,* ET PONE SERMONES EIVS IN CORDE TVO, ad instar illius qui dixit, *In corde meo abscondi eloquia tua vt non peccem tibi*, quod imitabatur ille qui dicebat, *Gestabamus verba tua in visceribus quasi sagittas acutas.* Psal. 118. Ierem. 2. Psal. 118. Aug. lib. 9. confess. c. 2.

Quibus non obstabit quod à Deo auersus multimodis, vt dixi, pec-
D caueris, quia SI REVERSVS FVERIS AD OMNIPOTENTEM, cui dixit August. *Multum potens es reformare nostra deformia.* Nec dixeris cum populo nequam, *Recessimus, non veniemus vltra ad te*, per incrementa rerum temporalium omni ex parte ÆDIFICABERIS ET LONGE FACIES INIQVITATEM A TABERNACVLO TVO. Ex quo Aquinas docet illius qui ad Deum conuertitur, esse, non solum à se, sed etiam à familia sua peccata repellere. Videtur tamen contextui magis congruere per INIQVITATEM hoc loco intelligere aduersitatem, vt dicat Eliphas per pænitentiam seu malæ vitæ demutationem aduersitatem temporalem simul depelli.

Porro ad ædificationem temporalium tuorum, vt notauit Aquinas, Deus DABIT PRO TERRA SILICEM, vt si ædificium tuum prius debiliter steterit in terra, exinde firmiter stet & penè immobiliter in silice atque petra, ET

PRO

PRO SILICE TORRENTES AVREOS, vt præter robur domus tuæ quod A
nôn patietur vnico venti impetu conuelli vel dirui, affluat largiter tibi aurum. ERITQVE OMNIPOTENS, cui nihil difficile ac impossibile CONTRA HOSTES TVOS, vt non sicut prius inuadant, sed deprecentur te, ET ARGENTVM COACERVABITVR TIBI.

TVNC SVPER OMNIPOTENTEM DELICIIS AFFLVES, gauisus quod omnipotentiam suam Deus, ædificando, prosperando, propugnando, tot modis tibi exhibeat ET ELEVABIS AD DEVM FACIEM TVAM, per recuperatam
Luc.18. cum ipso pacem, nil veritus, secus quam euangelicus Publicanus, *oculos tuos ad ipsum leuare.*

ROGABIS EVM, ET EXAVDIET TE, *eo quod posueris sermones eius in corde*
Ioan.15. *tuo*, nam scriptum est, *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis:* ET VOTA TVA in gratiarum actione
Psal.49. REDDES, *immolans Deo sacrificium laudis, & reddens Altissimo vota tua*; Nisi per B
VOTA, intelligere malueris promissa, quæ nimirum pollicebaris te præstiturum si tibi obueniret quod petere instituebas.

Disponendo autem negotia tua DECERNES REM, ET VENIET TIBI, ET IN VIIS TVIS SPLENDEBIT LVMEN, quia omnibus palam apparebit quod intelligas vias tuas nec ambules in obscuro vel tenebris.

QVI ENIM HVMILIATVS FVERIT per pænitentiam & sui emendatio-
Prou.6. nem, ERIT IN GLORIA: ET QVI, memor quod *Dominus* inter cætera *oderit oculos sublimes*, INCLINAVERIT OCVLOS, non respiciens ad sublimia, vt
Psa.130. dicere possit, *non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei*, ne sit ex grege illius de quo infra audiemus, *Omne sublime videt, & ipse est Rex super om-*
Psal.17. *nes filios superbiæ*, IPSE in æternum SALVABITVR *quoniam populum humilem saluum facies Domine; & oculos superborum humiliabis.*
Psal.23. SALVABITVT INNOCENS, *Quis enim ascendet in montem Domini, aut quis sta-* C
bit in loco sancto eius? Innocens manibus, qui non est per manus suas operatus iniquitatem. Sed ne arbitreris quod ad salutem sufficiat mala non agere, oportere autem & bonis operibus operam dare, adiungit Eliphas, SALVABITVR AVTEM IN MVNDITIA MANVVM SVARVM quas bonis operibus nitere fecerit.

CAPVT XXIII.

RESPONDENS AVTEM IOB, AIT: Quemadmodum vt supra dixi, loquar in amaritudine animæ meæ, NVNC QVOQVE IN AMARITVDINE EST SERMO MEVS, ET MANVS, virtus, acerbitas, PLAGÆ MEÆ
AGGRAVATA EST SVPER GEMITVM MEVM. Nec enim gemitu, verbis aut D
modo vocis adæquo grauitatẽ doloris. Sed quandoquidẽ sententiam quam sustineo non valeo vobis ô Amici mei persuadere, nec penes nos, vt de altercationibus humanis superius dixi, *Iudex est qui valeat vtrumq; arguere & ponere manum suam in ambobus*, QVIS MIHI TRIBVAT VT COGNOSCAM ET INVENIAM ILLVM. Cognoscam dico, ne falsa quapiam apparitione deludar, ET VENIAM VSQVE AD SOLIVM EIVS? In quo se mihi exhibeat in forma
Dan.7. arbitri & iudicis, prout factum est Danieli scribenti, *Videbam, & iudicium sedit, & libri aperti sunt.*

PONAM CORAM EO IVDICIVM, offerendo illi controuersiam hanc diiudicandam, ET instruendo causam meam OS MEVM REPLEBO INCREPATIONIBVS, Alij CORREPTIONIBVS vel redargutionibus: Aliunde prolalaturus

A laturus argumenta prout legunt Vatablus & Pagninus quibus propugnem & sententiam & modum loquendi quo vsus sum.

VT SCIAM VERBA QVÆ MIHI RESPONDEAT, ET INTELLIGAM QVID de his LOQVATVR MIHI. Nam amici mei in principio disputationis, quod dixeram, *Pereat dies in qua natus sum*, acceperunt profectum ex impatientia, cum dicerent, *Nunc autem venit super te plaga & defecisti: tetigit te, & conturbatus est*, & quæ sequuntur.

NOLO, in hoc quod exopto iudicio, MVLTA FORTITVDINE, Alij, inter quos Pagninus POTENTIA, CONTENDAT MECVM & sustineat, se, propter peccata leuia sine quibus non vixi, per rigorem suæ potentiæ potuisse mihi omnia quæ intulit, inferre, saltem in hac vita vel aliàs ad tempus, nam peccata iustorum æterna pœna per Dei iustitiam plecti non possunt, NEC MAGNITVDINIS SVÆ MOLE ME PREMAT, sua nimirum authoritate comprimens disputationem ac ratiocinationem meam.

B PROPONAT ÆQVITATEM, iustitiæ quandam moderationem secundum quam solet iustorum peccata in hac vita flagellare, hanc inquam proponat, CONTRA, coràm, ME, ET PERVENIAT AD VICTORIAM IVDICIVM MEVM quo ego censui atque sustinui *me plura perpessum quam meretur iniquitas mea*. Dixi autem quis mihi tribuat, quia iudicium illud particulare non est in hominis potestate, sed in Dei dignatione.

Proinde, SI AD ORIENTEM, Orientalem cæli plagam IERO, NON APPARET: SI AD OCCIDENTEM, Occidentalem cæli plagam, NON INTELLIGAM EVM. SI AD SINISTRAM, septentrionalem cæli plagam, QVID AGAM? NON APPREHENDAM EVM, vt veniat mecum in iudicium quod interpello: SI ME VERTAM AD DEXTERAM, cæli plagam meridionalem, NON VIDEBO ILLVM, in forma expetita. Huiusmodi enim iudicium non potest cognosci

C ex consideratione creaturæ, cognoscitur verò ex reuelatione.

Ne autem, vt ipse in huiusmodi forma mihi inapprehensibilis, ita & ego ipsi habear inuisibilis, IPSE SCIT VIAM MEAM, processum meæ conuersationis, ET PROBAVIT ME QVASI AVRVM QVOD PER IGNEM TRANSIT: Valuit enim mihi aduersitas ab ipso inflicta ad probationem exercitationemque non ad vltionem vel testificationem meæ iniquitatis.

VESTIGIA EIVS quæ sancti præuij ad exemplum sæculo impressa reliquerunt SECVTVS EST PES MEVS, Exempla enim ipsorum sectatus sum, & cum eis, sicut cum Paulo Titus, *ijsdem ambulaui vestigijs*: VIAM EIVS; ab ipso præscriptam CVSTODIVI, In quæ verba August: *Custodit vias Dei, qui non sic exorbitat, vt eas relinquat, sed in eis currendo proficit, & si aliquando vt infirmus offendit aut titubat, proficit autem minuendo peccata, donec perueniat vbi sine peccato sit.* ET NON DECLINAVI EX EA. Vt inciderim in maledictum de quo scriptum est, 2. Cor. 12. de perfect. iust. rat. 17.

D *Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Declinat autem à mandatis Domini atque discedit Apostata, non ille qui etiam si habeat peccatum, confligendi tamen cum eo perseuerantiam non relinquit, donec eò perueniat vbi nulla cum morte contentio remanebit.* Psa. 118.

A MANDATIS LABIORVM EIVS NON RECESSI, vt proinde adhortando me ad conuersionem ô Eliphas gratis dixeris, *suscipe legem ex ore eius*; ET IN SINV MEO ABSCONDI VERBA ORIS EIVS, sic, vt, quod de Nepotiano dicit Hieron. *Pectus meum fecerim bibliothecam Dei*, & ob id similiter gratis dixeris ô Eliphas, Pone sermones eius in corde tuo.

IPSE ENIM per æternitatem & immutabilitatem SOLVS EST, ET NEMO AVERTERE POTEST COGITATIONEM EIVS. *Nam reprobat cogitationes populorum & reprobat consilia Principum, Consilium autem Domini in æternum manet, Cogitationes cordis eius in generatione & generationem*, ET ANIMA EIVS QVODCVMQVE Psal. 32.

Isaie 46. CVMQVE VOLVIT, HOC FECIT, ſicut ſcriptum eſt, *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Vnde docet Proſper, voluntatem Dei irritam eſſe non poſſe. A
1. de voc. gent. c. 14.

CVM EXPLEVERIT IN ME VOLVNTATEM SVAM. Voluntatem inquit non quaſi Deus pro mera ſua voluntate agat quæ agit, cum de ipſo ſcriptum ſit, *qui facit omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*, & prout expedit prouidentiæ publicæ, ſed quia boni ſerui eſt prius præ oculis habere quid velit Deus quam quid expediat nobis; Prior enim vt optimè docuit Tertull. *Haberi debet voluntas imperantis quam vtilitas ſeruientis.* Cum ergo expleuerit in me voluntatem ſuam, prout expleuit probando & exercendo me, ET ALIA MVLTA SIMILIA PRÆSTO SVNT EI, ad manum enim habet multa alia quibus exerceat & probet me.
Ephes. 1.

ET IDCIRCO A FACIE notitia cognitione EIVS tam multa alia ſimilia in manu habentis, attenta infirmitate mea TVRBATVS SVM: ET CONSIDERANS EVM, TIMORE SOLLICITOR, ad ſollicitudinem reuocor ſicut ſcriptum eſt, *Cum timore & tremore*, qui oriatur ex veſtræ infirmitatis conſideratione, *ſalutem veſtram operemini.* B
Philip. 2.

Sed contra hunc timorem DEVS ſpiritu manſuetudinis longanimitatis tolerantiæ MOLLIVIT COR MEVM vt malis fortè obuenturis non exaſperetur, ſed illa cum pace ſufferat. ET OMNIPOTENS CONTVRBAVIT, 70. VRSIT, Vatablus & Pagninus *terruit*, ME ſecundum infirmitatem hominis inferioris *repugnantem legi mentis.* Quo non obſtante MOLLIVIT COR MEVM.

NON ENIM per puſillanimitatem PERII PROPTER IMMINENTES, quas nimirum adhuc inferre poterat tribulationum TENEBRAS, NEC FACIEM MEAM OPERVIT CALIGO, quo minus viderem quid mihi in imminentibus tribulationibus, ſi obuenirent, agendum foret. Nam ſupra dixi, *Quis mihi det vt veniat petitio mea & quod opto Omnipotens tribuat mihi & hac ſit mihi conſolatio vt affligens me dolore non parcat nec contradicam ſermonibus ſancti:* Quod profectò eſt hominis cuius Deus egregrie emolliuit cor. C

CAPVT XXIIII.

DIxerat cap. 22: Eliphas ad Iob, *An dicis: Quid enim nouit Deus? & quaſi per caliginem iudicat:* Ad id principio huius capitis reſpondet Iob & declarat ſe id aut tale quid nec putaſſe nec credidiſſe, dicitque: AB OMNIPOTENTE NON SVNT ABSCONDITA TEMPORA, vt ea quæ in tempore aguntur adeoque ipſa tempora quaſi per caliginem iudicet, multo minus illa omnino non cognoſcat, QVI AVTEM NOVERVNT EVM per fidem, IGNORANT DIES ILLIVS, qui ſunt dies æternitatis, quia ne Angeli quidem qui nouerunt eum facie ad faciem, diem æternitatis ipſius comprehendunt, in argumentum enim illius ab Iſaia viſi ſunt, *alis ſuis velare faciem Dei & pedes eius.* Quæ autem in tempore aguntur & à Deo abſque caligine cognoſcuntur, ſunt hæc; ALII TERMINOS TRANSTVLERVNT limites nimirum agrorum, illiſque tranſlatis agros proximos ſuis adiecerunt: DIRIPVERVNT GREGES, ET PAVERVNT EOS. Varias enim pecudes Dominis gregatim abduxerunt, ac ſi propriæ eſſent grégatim ad ſua paſcua deduxerunt. D
Cap. 6.

ASINVM PVPILLORVM, qui erant patrocinio parentum aliorumque deſtituti, & quibus ad vitæ ſubſidia vnus tantum erat à parentibus relictus

Aſellus,

A Asellus, ABEGERVNT ad stabula sua, ET ABSTVLERVNT PRO PIGNORE BOVEM buculam VIDVÆ, in qua constabat ei ratio totius victus, sic vt per id necessarijs sibi ad tolerandam vitam destitueretur.

SVBVERTERVNT PAVPERVM VIAM, quam ipsi per agros diuitum iure habebant, vt per illam ad negotia sua commodè & compendio transirent, & fecerunt eos circuire, ET OPPRESSERVNT PARITER MANSVETOS TERRÆ. Hos enim vndique opprimere studuerunt præ confidentia quod per mansuetudinem se opprimentibus non opponerent, id alioqui ferocioribus & rem suam propugnaturis non facturi. Sed admodum iniquè, quia mansuetudo prouocat violentorum clementiam.

ALII QVASI ONAGRI siluestres ac indomiti IN DESERTO EGREDIVNTVR AD OPVS SVVM, & quodnam istud? VIGILANTES AD PRÆDAM obseruando quamuis prædandi occasionem: PRÆPARANT PANEM LIBERIS, B vt de illis dixeris, viuitur raptò.

AGRVM NON SVVM, qui nimirum nec ipsis proprius est, nec ab ipsis seminatus. Hunc dico DEMETVNT: ET VINEAM EIVS, QVEM VI OPPRESSERINT, VINDEMIANT. Cuius loco legunt 70. IMPOTENTES AVTEM VINEAS IMPIORVM ABSQVE MERCEDE ET ABSQVE CIBO OPERATI SVNT, atque ita censentur vineas eorum quos oppresserunt vindemiasse, quia in vindemia vinearum suarum operam vindemiatorum absumpserunt.

NVDOS DIMITTVNT HOMINES, INDVMENTA TOLLENTES, QVIBVS NON EST OPERIMENTVM IN FRIGORE, vel ipsa nuditatis confusione.

QVOS IMBRES MONTIVM RIGANT, quia in montibus sub dio degunt ET NON HABENTES VELAMEN contra aëris iniurias AMPLEXANTVR LAPIDES, quia petrarum ingrediuntur antra quasi amplexati ab illis.

VIM FECERVNT DEPRÆDANTES PVPILLOS, ET VVLGVM PAVPEREM C SPOLIAVERVNT, tanta rapacitate vt ne quidem fastidio prædæ vilis ac ignobilis à rapina se continerent & non vererentur pauperibus necessaria auferre & magnum incommodum adferre sine sua notabili vtilitate.

NVDIS ET INCEDENTIBVS ABSQVE VESTITV, ET ESVRIENTIBVS TVLERVNT SPICAS, quas messis tempore post terga metentium collegerant vrgente inopia, cuius testis erat nuditas & quod incederent absq; vestitu.

INTER ACERVOS ex messe in vnum collectos vel etiam inhorreatos EORVM MERIDIATI pransi SVNT: Meridiari enim est cibum vel quietem meridie sumere. Inter hos ergo meridiati sunt, ipsos aceruos recubitu vel etiam decubitu proterendo vel conculcando, vt eos redderent inutiles & absque prætio; Eorum dico, QVI CALCATIS TORCVLARIBVS SITIVNT, nam præ frugalitate non audent mustum proprij torcularis ad sedandam sitim vel gustare, vt illis rectè dicere censeatur Ambros. *Ego sitiebam cum alij mea* *in Psal. 61*
D *vina ructarent: & ex illo suggestu sublimis imperij, opulentiaque regali, ad extrema sitis plebeia quadam vilitate deductus sum.*

DE CIVITATIBVS FECERVNT VIROS GEMERE, nam ad latrocinia vias in ciuitatem ducentes obsidendo, agros vastando, redegerunt ciuitates ad angustias viris ciuitatis gemitum exprimentes. Et si quando ex ciuitate progressi sunt vt latrones istos pellerent, & libertatem commeandi sibi recuperarent, ipsi armis obnitendo, multos de ciuitate vulnerauerunt ET ANIMA VVLNERATORVM CLAMAVIT præ dolore quē vulnera inferebant, ET DEVS INVLTVM ABIRE NON PATITVR, ita tamen *vt Altissimus sit patiens redditor,* *Eccl. 5.*
vt proinde nemo dicat, *Peccaui & quid ex hoc mihi accidit triste*, diceret enim Deus, *mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore*, vnde eueniet, *vt labatur pes* *Deut. 32.*
eorum in grauiora mala, quæ Dei permissio inperceptibilis vltio est.

Nec tamen sic deserit vt eos intus aut foris non arguat, sed quandoquidem oderunt veritatem arguentem IPSI FVERVNT REBELLES LVMINI, quo à Deo ad cognitionem sui, illustrabantur, vt non ignorarent taliter sibi agendum non esse. Et tamen NESCIERVNT, id est spreuerunt VIAS EIVS, Imo, cum scirent se deuiare, saltem per conuersionem, NEC REVERSI SVNT PER SEMITAS EIVS, ita vt *per duritiam & impœnitens cor thezaurisauerint sibi iram in die iudicij.* MANE PRIMO CONSVRGIT HOMICIDA, INTERFICIT EGENVM ET PAVPEREM, quia non prædam, sed sitit sanguinem; & quidem pauperum quibus parcendum esse suggerit misericordia: PER NOCTEM VERO, quia diurnis homicidijs nihil acquirit rei, ERIT QVASI FVR per tenebras sibi necessaria conquisiturus. A

Rom. 2.

OCVLVS ADVLTERI OBSERVAT CALIGINEM, *intemperantissimus enim, captus adulterinæ cupiditatis æstu, & victus libidine, vel indulgens flagitijs, qui repugnare nolit appetentiæ suæ carnis, conuersus huc atque illuc si neminem fortè videat flagitij sui testem, in facinus ruit. Idem tamen quamuis inueniat paratam occasionem potiendi, explorat diligenter omnia, in diuersum oculos suos, incuriosus iustitiæ, sollicitus famæ, detorquet frequenter, erubescens testimonium erroris qui non erubescit errorem*, inquit Ambrosius, DICENS, NON ME VIDEBIT OCVLVS, *Nam & existimat se ab eo qui omnia videt non videri, & tenebris putat commissa sua posse celari, vmbram prætendit, sed frustra latère se credit, cum oculus Domini lucidior sole occulta omnia deprehendat, tenebrosa illuminet, & intimi cordis penetret conscientiam, atque in alta atque profunda descendat*, inquit idem. ET OPERIET VVLTVM SVVM, ne ipse videat turpitudinem de qua erubescit: *Nam in corpus suum peccat.* Quin & operiet vultum suum in quo habet oculum interiorem, magno errore obducens illum. *Vanus enim qui putat in tenebris se esse tutum cum lucem vitare non possit, quæ lucet in tenebris & tenebræ eam non comprehenderunt*, inquit Ambrosius ibidem. Et rectè, quia scriptum est de Deo, *sicut tenebræ eius, ita & lumen eius:* siue vt expositorem magis quam interpretem agens Hieronymus vertit: *Nec tenebræ habent tenebras apud te, & nox quasi dies lucet, similes sunt tenebræ & lux apud te. Vt enim quædam animalia vident in tenebris eo quod, ad illuminandum tenebras, radios emittunt ex oculis, ita, tu, videndo, ipsas tenebras densæ noctis tibi dispellis.* B C

Serm. 1. vers. 2. in Psa. 118.

1. de interpel. c. 3.

1. Cor. 6.

Ioan. 1.

Psa. 138.

PERFODIT IN TENEBRIS DOMVS, quas, ne deprehendatur, per diem vel per ianuam ordinariam non audet ingredi. Quale quid Sabinianus diaconus admittebat de quo scribit Hieronymus: *A vespere vsque mane fenestra illius, tecum noctibus dormitura, assides, & quia propter altitudinem hærere vobis cominus non licebat, per funiculum vel accipis aliquid vel remittis. Vide quanta diligentia Domini fuerit, vt nunquam domi virginem, nisi in Ecclesia videris; & cum talem vterque vestrum habuerit voluntatem, nisi per fenestram nocte facultas vobis non fuerit colloquendi.* SICVT IN DIE CONDIXERANT SIBI, dicente ibidem Hieronymo: *Væ, stupro condicturus speluncam in qua Dei filius natus est ingrederis Quæ in epistolis tuis turpitudines? Quæ blanditiæ? Quanta de condicto stupro exultatio? Haccinè Diaconum non dicam loqui, sed scire potuisse?* ET IGNORAVERVNT LVCEM Domini, hæc omnia coram videntis, & tandē producturi in lucem, sicut dicebat Dauidi, *Tu fecisti clam, ego autem faciam in oculis solis huius:* Quod euenit & Sabiniano, cuius occulta studia per epistolam Hieron. mundo innotuerunt. D

Ep. 48. c. 4.

2. Reg. 12.

SI SVBITO, inexpectatò, *quia tempus eis breue videtur dum carnali delectationi vacant*, inquit Aquinas, APPARVERIT AVRORA, ARBITRANTVR VMBRAM

MORTIS

A MORTIS, exhorreſcunt enim exſurgentem lucem velut mortem, dicente Auguſtino. *Quaſi mortem reformidabam reſtringi à conſuetudine qua tabeſcebam in mortem.* Quocirca ad Sabinianum Hieronymus, *Oriebatur tibi, vt poſtea didici ſol inuito, Exanguis, marcidus, pallidus, vt ſuſpicione omni careres, Euangelium Chriſti quaſi Diaconus lectitabas. Nos pallorem ieiunij putabamus; exangue os contra inſtitutum ac morem tuum quaſi confectum vigilijs mirabamur.* Sed reuera ex perturbatione animi illa Sabiniano obuenêre. Et hæc quidem ſimpliter ad literam, contextus tamen hunc magis requirit ſenſum. SI SVBITO APPARVERIT AVRORA, & Deus radium quendam lucis in agnitionem turpitudinis ipſis immiſerit ARBITRANTVR VMBRAM MORTIS, quia id adſcribunt neſcio cui malo genio, moroſo, aut maligno ſcrupulo, ipſorum pacem inquietare volenti, ET SIC IN ſuæ perſuaſionis TENEBRIS QVASI IN LVCE AMBVLANT, *ponentes lucem in tenebras & tenebras in lucem.* 8. Confeſſ. cap. 7. Iſaie 5.

B LEVIS leuigata EST SVPER FACIEM AQVÆ, ſubaudi via eorum. Vt enim tempore tranquillitatis ſuperficies aquæ æquiſſima eſt & plana, vnde & mare *æquor* dicitur, dicente Poëta,

Mitis vt in modum ſtagni placidæque paludis,
Sterneret æquor aquis, remo vt luctamen abeſſet.

Ita & *via eorum complanata*, dicit Sapiens, *lapidibus*, vt abſque offendiculo eam facilè & proſperè tranſeant. Subiungit autem Sapiens, *in fine illorum inferi & tenebræ & pænæ*, ita nunc ſubiungit Iob, MALEDICTA SIT PARS EIVS IN TERRA, vt quædam portio vitæ ipſius maledicto ſubiaceat, NEC AMBVLET PER VIAM VINEARVM. Alluditur, vt apparet, ad hiſtoriam Balaam cuius progreſſui Angelus obſtitit in anguſtijs duarum maceriarum quibus vineæ cingebantur, dicens: *Ego veni vt aduerſarer tibi, quia peruerſa eſt via tua, mihi contraria*; quaſi ſuis verbis hic dicat Iob, non ſit tam felix vt vijs eius per Angelum fiat obſtaculum, ſed *fiant via eius tenebræ & lubricum & Angelus Domini perſequens eum.* Eccleſ. 21.

C Num. 22.

Poſt hanc vitam vero ad inferos AD NIMIVM CALOREM TRANSEAT AB AQVIS NIVIVM. *Duplicem enim eſſe gehennam nimij ignis & frigoris in Iob pleniſſimè legimus*, inquit Hieronymus. Cui conſentiens auctor libelli de triplici habitaculo apud Auguſtinum tomo 9. *Principalia duo ſunt tormenta in inferno, frigus intolerabile, & calor ignis inextinguibilis*; Ratione caloris dicit Iſaias: *Quis ex vobis habitare poterit cum igne deuorante & cum ardoribus ſempiternis?* Ratione frigoris Pſalmus, *Ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit?* Ne autem credas hæc ſupplicia à diuerſis ſuſtineri quaſi in inferno alij torquerentur ardore, alij frigore, vigilanter dicit Iob TRANSEAT, per illud verbum indicans horum ſuppliciorum circa vnum & eundem atque adeo vnumquemque fore viciſſitudinem, Quod illuſtratur per viſionem quam deſcribit Beda in hæc verba: *Cum* (inquit Paterfamilias) *ambularemus deuenimus ad vallem multæ latitudinis ac profunditatis, infinitæ autem longitudinis, quæ ad læuam nobis ſita, vnum latus flammis feruentibus nimium terribile, alterum, furenti grandine ac frigore niuium omnia perflante atque verrente non minus intolerabile referebat. Vtrumque autem erat animabus hominum plenum, quæ viciſſim, hinc inde videbantur quaſi tempeſtatis impetu iactari. Cum enim vim feruoris immenſi tolerare non poſſent, proſiliebant miſeræ in medium frigoris infeſti. Et cum neque ibi quippiam requiei inuenire valerent, reſiliebant rurſus vrendæ in medium flammarum inextinguibilium*, hæc ibid. Quæ tametſi ductor illius Patrisfamilias apud Bedam interpretetur de purgatorio, in quo in cap. 10. Matthæi. cap. 33. Pſal. 147. 5. hiſtor. Eccleſ. c. 13

D

exami-

examinandæ & castigandæ sint animæ illorum qui differentes confiteri & A
emendare scelera quæ fecerunt, in ipso tandem mortis articulo ad pœni-
1. part. tentiam confugiunt: Diuus Thomas tamen fatetur eadem locum habere
quæst. 10. in inferno, nam dicit, *quod in pœnis damnatorum sit transmutatio. secundum illud*
art. 3. *Iob capite 24. Ad nimium calorem transibunt ab aquis niuium. Vnde inquit in infer-*
ad. 2. *no non vera æternitas, sed magis tempus secundum illud Psalmi, Erit tempus eorum in*
Psal. 80. *sæcula.* Cui consentit Ambros. 2. de interp. cap. 4. dicens, *Impij æterni sunt, non æterni, quia non possunt æternitatem accipere ab eo qui non sit æternus.* Æterni ergo quia intermini, non æterni quia pœnarum vicissitudinibus obnoxij: apud æternitatem verò non est *transmutatio nec vicissitudinis obumbratio.* Nec tamen ex huiusmodi varietate pœnarum vllum erit in damnatis refrigerium. *Ignis enim & aqua & huiusmodi non agent in corpora damnatorum actione naturæ, ita quod relinquant suas qualitates in corporibus damnatorum secundum esse naturæ, sicut ignis relinquit calorem in lignis quæ facit esse calida: alioquin,* B
cum contraria non possint esse simul in eodem, oporteret corpora damnatorum suas qualitates perdere: & sic, transmutata natura organorum, fieret pœna minus sensibilis: sed agant in corpora damnatorum actione spirituali, imprimendo scilicet suas qualitates in corporibus damnatorum secundum esse spirituale, per modum quo species colorum est in aëre vel etiam in pupilla, non ita quod fiant colorata. Vnde corpora damnatorum sentient afflictionem ignis sine hoc quod conuertantur in naturam ignis, & ideo varietas pœnarum non faciet eis aliquod refrigerium. Refrigerium enim nunc ex alternatione pœnarum proueniens, causatur ex transmutatione naturæ, in quantum per frigus aquæ, superfluitas calefactionis remittitur. Hæc Aquinas. Quæ etiam locum habere in vicissitudine pœnarum purgatorij agnoscit Beda cum allegato loco dicit: *In hac infelici vicissitudine sine vlla quietis intercapedine innumerabilis deformium spirituum multitudo torquetur,* ET VSQVE AD INFEROS, profundissimum infernum, de quo supra C
audiuimus PECCATVM ILLIVS.

OBLIVISCATVR EIVS MISERICORDIA, vt nimirum *sit ei iudicium sine*
Iacob. c. 2. *misericordia,* DVLCEDO ILLIVS, Caro nimirum quæ ipsi in delicijs fuit, VERMES, scatebit enim vermibus, eo magis quo plus delicatè nutrita fuit & fota, atque adeo dulcedinem quam viua præstitit suo hero, mortua præstabit vermibus. NON SIT IN RECORDATIONE, sed ex aduerso re-
Psal. 87. digatur in numerum illorum de quibus scriptum est, *Vulnerati dormientes in sepulchris quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt.* Damnatorum enim Deus non recordatur ad vllatenus miserendum. SED CONTERATVR QVASI LIGNVM INFRVCTVOSVM, de quo, vt dixit Ezechiel non
Ezech. 15. fiat *velut paxillus vt pendeat ex eo quodcumque vas.*

Dans autem rationem cur dixerit, Obliuiscatur eius misericordia, subiungit, PAVIT ENIM STERILEM, QVÆ NON PARIT, quia opes suas im- D
Lucæ 16. pendit eis qui bonorum operum erant infructuosi, *faciens quidem sibi amicos de mammona iniquitatis,* sed non tales qui *deficientem reciperent in æterna tabernacula. Sunt enim iusti qui tanta sanctitate vixerunt, vt alios quoque recipiant in tabernacula æterna, quibus amici facti sunt de mammona iniquitatis: Illi autem qui recipiuntur à talibus in tabernacula æterna, fatendum est quod non sint his moribus præditi, vt eis liberandis sine suffragio sanctorum sua possit vita sufficere ac per hoc multo amplius in eis superaltat misericordia iudicium,* inquit
21. de ciuit. c. 27. Augustinus. ET VIDVÆ, ope, patrocinio ac solatio destitutis, hi enim, vt bene obseruauit Aquinas nomine viduæ omnes significantur. Huiusmodi ergo viduæ misericorditer BENE NON FECIT, vt proinde audire non pote-
Mat. 25. rit vocem dicentis, *Venite percipite regnum, esuriui enim,* &c.

DETRA-

A DETRAXIT FORTES IN FORTITVDINE SVA, per vim poteſtate ac opibus deturbans potentes ET CVM STETERIT, ſemetipſum & rem ſuam ſtabiliuerit, NON CREDET VITÆ SVÆ, plenus metu ab inſidijs & timore inimicorum, arbitratus ſe ſemper in periculo mortis verſari, quale quid Dominus Deuter. 28. Iudæis minatus eſt cum diceret, *Erit vita tua pendens ante oculos tuos & non credes vitæ tuæ.*

DEDIT EI DEVS LOCVM PÆNITENTIÆ, ſiue tempus vt pœnitentiam ageret, & non ſolum non voluit agere pœnitentiam, *diuitias bonitatis, patientiæ & longanimitatis Dei contemnens, atque ignorans quod benignitas Dei ad pœnitentiam ipſum adducat*, ſed, quod peius eſt ILLE ABVTITVR EO IN SVPERBIAM, quia tempore ſibi ad pœnitendum indulto fruitur honoribus, ſtudet gloriæ, vacat iactantiæ. OCVLI AVTEM EIVS, Dei videlicet SVNT IN VIIS ILLIVS, vt omnia ipſius opera videat. Et ob id fru- Rom. 2.
B ſtra Eliphas ſupra quæſiuit, *An cogitarem quod Deus ſupra ſtellarum verticem ſublimetur & dicerem, Quid nouit Deus?* Imo, quandoquidem recenſui non eſſe abſcondita à Deo tempora in quibus alij transferunt terminos, diripiunt greges, & paſcunt eos, ſatis ſignificaui Deum non quaſi per caliginem iudicare, *Sed omnia clara & aperta eſſe oculis eius.* Denique ex eo quod dixi, Deus inultum abire non patitur; &, Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium, ſatis declaraui Deum non ſic ambulare circa cardines cæli vt noſtra non conſideret, atque adeo, vt ex Tertulliano diximus, Hominibus nullus ſit. ad Hebræos cap. 4.

ELEVATI SVNT AD MODICVM, ET NON SVBSISTENT, inſtabilis enim & tranſitoria eſt exaltatio eorum. ET HVMILIABVNTVR SICVT OMNIA. *Quia dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum & excelſum, & ſuper omnem arrogantem & humiliabitur. Et ſuper omnes cedros Libani ſublimes*
C *& erectas, & ſuper omnes quercus Baſan. Et ſuper omnes montes excelſos, & ſuper omnes colles eleuatos, & incuruabitur ſublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & eleuabitur Dominus ſolus in die illa*, inquit Iſaias. ET AVFERENTVR, *quaſi tabernaculum vnius noctis*, inquit Iſaias, *& grauabit terram iniquitas ſua & corruet, & non adijciet vt reſurgat.* ET SICVT SVMMITATES SPICARVM CONTERENTVR. Legunt 70. *Sicut ſpica à calamo ſponte decidens*, quando nimirum implebitur illud Abacuc, *Mentietur opus oliuæ & arua non adferent cibum, abſcindetur de ouili pecus & non erit armentum in præſepibus:* Tunc, inquam, ipſi quoque de culminibus ſuis, vt ſpicæ de culmo ad ſui vſque contritionem ſponte decident. cap. 2. cap. 24. cap. 3.

QVOD SI NON EST ITA, QVIS ME POTEST ARGVERE, atque adeo conuincere ESSE MENTITVM? Habeat ſaltem hæc probabiliter dixiſſe, & in his confundi non poſſe, Et quis poterit PONERE ANTE DEVM
D VERBA MEA, vt ipſe de veritate & falſitate eorundem ferat ſententiam? Quod cum nemo poterit, reſeruetur ſententia mea vt probabilis in aduentum Iudicis, *Quando vnuſquiſque ex verbis ſuis iuſtificabitur, & ex verbis ſuis condemnabitur.* Mat. 12.

A

CAPVT XXV.

RESPONDENS AVTEM BALDAD SVHITES, & quædam quæ Iob superiore capite dixerat, vt etiam August. in hunc locum obseruauit, probans, DIXIT: POTESTAS, Quæ tametsi intelligi posset in hoc
Iob c. 23. *quod nemo possit auertere cogitationem Dei, & anima eius quacumque voluit fecit,*
Psa 134. attamen ex hoc quod additur ET TERROR, conuenientius intelligitur de potestate puniendi. De qua dixerat Iob, *Deus inultum abire non patitur,* & alia quæ de impiorum tormentis & iudicio sine misericordia eodem capite dicta sunt. Huiusmodi itaque potestas, de qua vnus Machabæorum ad suum
2. Mach. 7. tortorem, *Tu autem sustine patienter & videbis potestatem eius magnam, qualiter te, & semen tuum torquebit:* ET TERROR, de quo Basil. hexam. hom. 11. B
Tempore iudicij terram omnem terror vndique occupabit. Angore & horrore corripietur omnis creatura, sudorque anhelus & inexplicabilis coorietur. Ipsi etiamnum iusti prætrepidi & anxij pro sententia quæ tandem proferetur. Abraham & ipse tum aderit non sine agonia: non quasi veriturus ne in gehennam condemnetur, verius, quemnam inter iustos sortiturus sit ordinem. Hæc Basilius. Cuius sententiam commemorat Hieronymus in capite 38. Isaiæ. Hic inquam terror, fateor, vnà cum potestate, APVD EVM EST, QVI, ex aduerso FACIT CONCORDIAM IN SVBLIMIBVS SVIS: In primis supremis mundi corporibus, *in quibus nulla inuenitur contrarietas, vnde nec generationi subiacent nec corruptioni,* inquit Aquinas. Vt autem in illis, ita conformiter facit concordiam, suauitatis, consolationis, & amicitiæ plenam vnitatem in sublimium incolis, tametsi innumeris. Innumeris dico: NVNQVID, enim, EST NVMERVS MILI-
Luc. 2. TVM, Angelorum, EIVS? Angeli enim à Luca appellantur *militia cælestis,* C
per legiones distincti, dicente Christo: *Exhibebit mihi Pater modò plusquam*
Mat. 26. *duodecim legiones Angelorum.* Horum itaque NVNQVID EST NVMERVS?
Dan. 7. Apparet quod sic, Nam dicit Daniel, *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei:* Sed bene notat Hieronymus id à Daniele dici, *non quod Angelorum numerus vel tam amplo numero comprehendatur, sed*
Psa. 146. *quo maiorem multitudinem humanus sermo explicare nequiuerit. Ei interim qui numerat multitudinem stellarum* etiam numerus Angelorum in numerato est. ET SVPER QVEM, eorum, qui in sublimibus ipsius sunt, NON SVRGET LV-
Psal. 35. MEN ILLIVS? Nam *& filij hominum qui in tegmine alarum ipsius sperauerint,* Deo dicere audent, *In lumine tuo videbimus lumen.* Ex cuius intuitu cum proueniat concordia in militibus ipsius, ex eodem vtique proueniet & concordia in illius habitaculi hominibus. Imo hominibus simul & Angelis, non obstante quod vt hi, ita & illi nobis sint innumerabiles; sicut scriptum D
Apo. 7. est: *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat stantes ante thronum;* Quorum vt videas concordiam, voce magna clamabant, *Salus Deo nostro & Agno:* & vt videas concordiam inter ipsos & Angelos, *Omnes Angeli stabant in circuitu throni dicentes,* Amen. Et tum inter nos & te ô Iob erit etiam concordia.

Interim, contra id quod dixisti, *Cum iudicatus fuero, scio quod iustus inueniar, & nunc dicis, vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiui & non declinaui ex ea, A mandatis labiorum eius non recessi,* Interrogo NVNQVID IVSTIFICARI POTEST HOMO COMPARATVS DEO, AVT APPARERE MVNDVS NATVS DE MVLIERE? Videtur quod non, quia, ECCE LVNA ETIAM NON SPLENDET, ET STELLÆ NON SVNT MVNDÆ IN CONSPECTV EIVS, QVANTO

MAGIS

A MAGIS HOMO PVTREDO, ET FILIVS HOMINIS VERMIS? Subaudi, non splendet neque mundus est in conspectu eius, præsertim in hac mortalitate, ratione cuius *protoplastus dicitur putredo, quia in moriendi necessitatem contrusus est, & filius hominis vermis, quia de putredine natus est mortalis*, inquit August. Epist. 120. cap. 8. & tract. 1. in Ioan. Si enim comparatione Dei, splendoris & munditiei imminutio inueniuntur in sublimibus in quibus nulla mortalitas, quanto magis in mortalibus, præsertim cum corruptio mortalitatis etiam adiunctam habeat concupiscentiam carnis, per quam infirmatur homo & inclinatur ad immunda? Sed ex his sequitur quidem quod non iustificatur homo comparatus Deo, quia Deus immutabiliter & indefectibiliter, atque adeo ipse lux est; non sequitur autem quod homo nullatenus iustificetur à Deo, & coram Deo: *quia Deus iustus est, & iustificans eum qui est ex fide*, est proinde homo iustus Rom. 3. per similitudinem Dei non æqualitatem, *quia sicut ille est, & nos sumus in hoc*
B *mundo*, Atque adeò est homo iustus per iustitiam quandam minorem de qua supra ex Augustino diximus, quam agnoscere noluerunt aut iustitiæ nomine dignati non sunt amici Iob, & ad instar illorum Hæretici nostri temporis. Nec, suam opinionem probant ex allegata similitudine de luna? Quia sicut luna, tametsi mutuato lumine, tamen lucet, iuxta quod scriptum est, *Luna in diebus suis lucet*, sic vt mereatur dici luminare magnum, nec absolutè, sed tantum per interualla non splendet, iuxta quod legunt 70. Si luna ordinat, & non illucet, ac si dicerent, Si luna in ordine suo non lucet, ita Ecclesia per splendorem acceptæ à Deo iustitiæ dicitur, *pulchra vt luna*: & si in aliquibus per interualla lumen amittit, nouit, ad instar lunæ, conuerti ad lumen quod EST, & quod amisit, ab ipso in eodem gradu sensim ac sæpius recuperare. Similiter vt stellæ non sint mundæ in conspectu Domini, non facit macula inhærens, sed quia *Deus stellas claudit quasi subsignaculo*, & tamen sic clausæ, *dederunt lumen in custodijs suis, vocatæ verò sunt, & ablato signaculo dixerunt; Adsumus & luxerunt ei cum iucunditate*; ita apparere potest mundus cum inhærente immunditia de muliere natus, *is enim qui solus est, mundum facere potest de immundo conceptum semine.*

Eccl. 10. Gen. 1. Cant. 6. Iob. 9. C Baruch. 3. Iob. 14.

CAPVT XXVI.

RESPONDENS AVTEM IOB ad latius enarrandam Dei potestatem cuius mentionem vna tantum in parte superiore capite fecerat Baldad, DIXIT: CVIVS, ô Baldad ADIVTOR ES? NVNQVID IMBECILLIS? Nunquid enim adiutorium tuum vlli exhibere paras quam imbecilli? ET SVSTENTAS BRACHIVM EIVS, QVI NON EST FORTIS? Vtique, nemo
D enim sustentabit illum qui suis viribus sufficit semetipsum sustentare. Similiter CVI DEDISTI CONSILIVM? FORSITAN ILLI QVI NON HABET SAPIENTIAM, ET PRVDENTIAM TVAM, sapientiæ per pondus numerum & mensuram librantem & dispensantem, OSTENDISTI PLVRIMAM. Illi enim qui habet sapientiam & prudentiam si quis vellet dare consilium diceret Sapiens; *Noli importunè extolli in tua sapientia*, Et, *penes Regem noli velle videri Sapiens*. Eccl. 32. Eccl. 7.

QVEM DOCERE VOLVISTI? NONNE EVM, QVI FECIT SPIRAMENTVM, inserendo animæ vim attrahendi & reddendi spiritum, & corpori inserendo pulmonem & reliquos meatus qui habent rationem follis, dicente Anaxarcho Philosopho cum pistillo tunderetur in mortario, Tunde, tunde follem Anaxarchi, vt refert Tertull. Qua de re Ambros. *Nobis pulmo per thoracis laxiora* Apol. c. vlt. 3 hexam. c. 4.

laxiora penetralia recipit spiritum: & cum sit ipse plerisque penetralilis, spiritus infusione interiorem calorem refrigerat. Thorax enim vt suscipit alimenta, ita superflua ciborum & succos salubres, sanguinemque discernit. Fit pulmo peruius, vnde facilius ad eum potest aspiratio spiritus peruenire. Pisces verò branchias habent, quas nunc plicant & colligunt, nunc explicant & aperiunt. In hanc ergo collectionem & apertionem dum suscipitur aqua & transmittitur ac penetrat, respirationis munus videtur impleri. Hæc Ambros. Hunc ergo qui fecit spiramentum, & qui in manu sua habet flatum tuum, docere voluisti? Absit à te talis temeritas, vt qui non soles adiuuare hominem nisi infirmum, non docere nisi insipientem, docere velis Creatorem; sed credes Isaiæ dicenti, *Quis adiuuit spiritum Domini? aut quis Consiliarius eius fuit, & ostendit illi? Cum quo iniyt consilium, & instruxit eum, & docuit eum semitam iustitiæ. & erudiuit eum scientiam, & viam prudentiæ ostendit illi? Ecce Gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt,* quia sapientia omnium Gentium comparatione scientiæ diuinæ velut stilla & mobilis.

cap. 40.

A B

Ad quem effectum pergam potentiam, sapientiam & prudentiam Dei vberius enarrare. In primis igitur ECCE GIGANTES GEMVNT SVB AQVIS. Quod Aquinas exponit de gigantibus tempore diluuij omni conatu ac tormine molientibus semetipsos ab aquis diluuij expedire, & cum dolore non potuerunt, sicut nec illi qui in minori corporis statura cum ipsis illo tempore orbem inhabitabant. Si tamen vera sunt quæ de quibusdam hominibus, in mari sparsim degentibus referuntur, ac in lucem eduntur; iste versiculus conuenientius (textus enim non præteritum, sed quod in præsenti erat ob oculos ponere videtur) intelligetur de talibus inter quos quidam sunt gigantes, alij statura mediocres, iuxta quod hic dicitur, GIGANTES, ET QVI HABITANT CVM EIS. Ex quibus vnus inter Daniam & Norwegiam anno 1621. mandato Legati Regis Daniæ dicitur comprehensus & in medio vectorum nauis iacens supinus, cum audisset quendam ex circumstantibus dicentem, Quam est mirabilis Deus, qui etiam fecit homines maris incolas, erexit se & dixit, Multo mirabiliora sunt sub aquis quam in terra, & comminatus, quod nisi citò ab eis dimitteretur, nulla nauis illud mare nauigans perueniret ad portum, dimissus est, & ipsis videntibus in mare se recepit. Quin & Damianus à Goes in descriptione Vlyxiponis scribit in hæc verba: *Nostris temporibus piscator quidam dum inter scopulos barbarij promontorij, filo hamoque iuxta D. Virginis sacellum pisces capere contendisset, de repente ex vndis in scopulum mas Triton exiliuit, barba prolixa, crinibus oblongis, pectore hispido, facie non admodum deformi, absolutaque hominis forma. Qui cum paululum apricatus esset, & hominem à tergo ipsius formam contemplantem inspexisset, voce non dissimili prolata, territus confestim se in salum demersit. Deinde paucis ab hinc annis haud procul à lunæ promontorio, vt nobis retulit Ferdinandus Aluarus domus Indicæ scriba vir integræ fidei qui iuxta illud littus rusculum habebat, cuique vicinus erat vir probus minimeque fallax, Is enim vicinus persæpe piscandi gratia se in quosdam littoris scopulos conferebat. Ibi cum negotium die quadam feliciter succederet, pisces quos hamo capiebat à tergo sui in scopuli anfractum, quo tutius asseruarentur proyciebat, persæpe inculcans quod interdum nudum adolescentem imberbemque per anfractum conspiciebat. Attamen cum in illo loco circumvicini incolæ frequenter natare consueuissent, credebat ex ijs aliquem fortè esse. Cui cum intentus piscationi esset, nihil verbi faciebat, Tandem intensius animaduertens adolescentem pisces manu capere & ad os deductos edere inspicit. Qua re commotus occurrit hominem petiturus. Qui violento cursu cachinnans ridensque in fugam se proripuit pelagoque vrinans sese submersit. Eodem fermè tempore è regione vrbis, pelago interiecto, similis formæ hominem marinum exanimem*

C D

A *animem æstus maris in littus eiecit. Praterea in antiquis regni archiuis quibus ego ipse præsum, extat adhuc compositionis chyrographum vetustissimum inter Regem Alphonsum tertium & Pelagium Petreum equestris ordinis D. Iacobi magistrum, transacta, qua decretum fuit non magistris ordinis, sed Regibus deberi vectigal Syrenum aliarumque belluarum in ipsius ordinis littoribus captarum, vnde facile colligitur Syrenes, cum de ijsdem lex lata fuerit, frequentes olim in nostris littoribus fuisse.* Hæc Damianus.

Gigantes itaque, & qui habitant cum eis, GEMVNT SVB AQVIS, cum enim non versentur in aëre, non respirant, sed tantum è corde subinde constricto emittunt atque ebulliunt spiritum. Quos non incongruè designauerit Apocalipsis capite 5. dicens: *Et omnem creaturam qua in cælo est & super terram & sub terra & qua sunt in mari & qua in eo, omnes audiui dicentes sedenti in throno & agno, Benedictio & honor & gloria & potestas in sæcula sæculorum.* Amen.

B Nec magis videtur incredibile eos qui sunt in mari dare gloriam Agno, quam quod animal illud petulcum fronte cornutum, in quod incidit D. Antonius cum inuestigaret Paulum, nouerit Christi mentionem facere, quodque euangelium ipsius annunciatum esset per vniuersum mundum prout in vitam primi Eremitæ refert Hieron. Ex quibus apparet Deum illius fortitudinis esse & consilij, vt nemo possit ipsi adiutorium vel consilium præbere, quia hæc superant hominum captum & potestatem. In coronidem adijcimus Augustini verba hæc: *Si homines sunt de quibus illa mira conscripta sunt, quid si propterea Deus voluit etiam nonnullas gentes ita creare, ne in his monstris qua apud nos patet ex hominibus nasci, eius sapientiam qua naturam fingit humanam, velut artem cuiuspiam minus perfecti opificis putaremus errasse? Non itaque nobis videri absurdum debet vt quemadmodum in singulis quibusque gentibus quadam monstra sunt hominum, ita in vniuerso genere humano quadam monstra sint gentium.* 16. de ci. uit. c. 8.

C *Quapropter vt istam quæstionem pedetentim cauteque concludam, aut illa qua talia de quibusdam gentibus scripta sunt, omnino nulla sunt, aut si sunt, homines non sunt, (sed hominum viua quadam simulachra vt simia, cercopitheci, siue simia caudata, sphinga) aut ex Adam sunt si homines sunt.* Hæc August.

NVDVS EST INFERNVS CORAM ILLO. Explicans autem quod nomine inferni hic designet locum tormentorum præsertim æternorum in corde siue intima terræ parte positum, subiungit, ET NVLLVM EST OPERIMENTVM PERDITIONI, sed omnes pænas perditorum ipsosque perditos eorumque dolores habet perspectos. Et proinde ne quidem de perditione quasi per caliginem iudicat.

QVI EXTENDIT AQVILONEM, *superius Hemisphærium quoad nos: nobis enim Aquilonaris polus supra Horizontem eleuatur*, inquit Aquinas. Hunc inquam extendit SVPER VACVVM, *quia de superiori Hemisphærio cæli nihil nobis apparet*
D *nisi spatium aëre plenum quod vulgares reputant vacuum, More enim suo loquitur hic scriptor secundum existimationem vulgarem*, inquit idem. Dicit tamen August. *Aquilonis nomine posse intelligi diabolum qui extenditur super vacuum quia otiosos tentationibus replet nec solum tentationibus, verum etiam semetipso, assumens enim septem alios spiritus nequiores se, qui inuenientes domum vacantem ingressi habitant ibi & fiunt posteriora hominis illius peiora prioribus.* Quocirca dicebat Sapiens, *Multam malitiam docuit otiositas:* Contra quam Hieron. *Semper aliquid operis agito vt te semper occupatum inueniat Diabolus*, ET APPENDIT TERRAM SVPER NIHILVM. *Super quo enim bases ipsius solidata sunt?* Sed in medio fluidi elementi Deus præcepto suo terram sic suspendit vt loco moueri non patiatur, dicente Ambrosio: *Non fundamentis suis nixa subsistit, nec fulcris suis stabilis perseuerat, sed Dominus statuit terram & firmamento voluntatis sua continet, quia in manu*

Matth. 12. Luca. 11. Eccl. 33. Hieron. ad Rustic Epist. 4. Iob. 38. 1 Hexam. c. 6.

manu eius omnes fines terræ. ET *hæc fidei simplicitas argumentis omnibus antecellit.* A

Psal. 94. Orat. cont. idola. Hæc Ambros. Cui consentiens Athan. *Quis considerans terram natura grauissimam in aqua stabiliri, immotámque consistere in re suapte natura agitabili, non secum expendat esse aliquem, qui hæc ita dispesuerit & fecerit, Deum?* Ac rursus, *terram omnium grauissimam esse, rursus verò aquam hâc leuiorem, tamen grauius à leuiori portari, nec subsidere, sed terram immobilem consistere, eius nimirum voluntate qui firmauit terram super aquas.*

Psal. 135. QVI LIGAT AQVAS IN NVBIBVS SVIS, VT NON ERVMPANT PARITER DEORSVM, de qua re ibidem Athan. *Quis spectans in aëre nubes ferri & in nubibus pondus aquarum colligatum, non cognitionem concipiat de eo qui eas res colligauit, cuiusque iussu hæc omnia fiunt? Aqua enim per se grauis est, & deorsum fluit: nubes contrà, leues & ex eo numero rerum quæ agiles sunt sursumque feruntur, nihilominus tamen aquam quæ ponderosior est in nubibus per aërem circumferri.* Hæc Athan. Qui videtur arbitratus nubes velut quosdam vtres aquas continere, B quod & sonant verba Iob: LIGAT AQVAS IN NVBIBVS SVIS; tametsi Posteriores, ex Philosophis, teneant nubes in aquas resolui. Quandoquidem verò per nubes solent intelligi verbi Dei Prædicatores, Deus etiam in his ligat aquas ne erumpant pariter deorsum, quia facit eos doctrinam veritatis per mensuras dispensare, quantum rigandis Auditorum cordibus pro tempore satis est, & non permittit ipsos totam doctrinam suam magis ad obruendum quam ad humectandum, vt notauit Diuus Gregorius simul effundere.

Luc. 10. 1. ad Cor. 7. cap. 6. QVI TENET VVLTVM SOLII SVI *sic vt nemo nouerit patrem nisi filius & cui voluerit filius reuelare.* Nihilominus EXPANDIT SVPER ILLVD NEBVLAM SVAM, vt vbi voluerit *videatur per speculum in ænigmate*, iuxta quod Isaias, *vidit Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum.* Aquinas interim istud intelligit de cælo visibili quod iuxta Isaiam est sedes Dei, cuius tametsi illustris C & maximè conspicui, vultum operit Deus per nubes & nebulas, vt non nisi per caliginem videatur.

TERMINVM CIRCVMDEDIT AQVIS, iam in vnum locum collectis, id-
Psal. 103. que per montes de quibus Psalmus, *Ascendunt montes & descendunt campi in locum quem fundasti eis*, per quos terminum posuisti quem *aquæ non transgredientur, neque conuertentur operire terram*, prout prius, *antequam in vnum*
Gen. 1. *locum congregarentur vt appareret arida*. Id autem VSQVE DVM FINIANTVR LVX ET TENEBRÆ: Cesset inquam vicissitudo diei ac noctis. Tunc enim elementa quæ nunc magna ex parte locum habent vsibus humanis competentem, sortientur locum ordini naturæ debitum, atque ita tum denuò *abyssus, velut vestimentum, erit amictus terræ atque adeo super montes iterum stabunt*
Psal. 103. *aquæ.*

Gal. 2. COLVMNÆ CÆLI Supremi Angeli, qui, *vt Iacobus, Petrus, Ioannes* D inter Apostolos, ita & hi inter Angelos *videntur columnæ esse*, Hi dico CONTREMISCVNT ET PAVENT AD NVTVM EIVS. Intelligunt enim Angeli quod si ipse ad conseruationem ipsorum inciperet quasi nutare, se non posse firmiter subsistere, & si desineret eos conseruare, se diutius esse non posse. Ostensa itaque sibi sui interitus vel remotâ possibilitate, pauore corripiuntur. Poterunt tamen intelligi pauere ad nutum siue modicum indicium imperij ipsius, præ reuerentia maiestatis.

IN FORTITVDINE ILLIVS quasi increpando & tonando dicentis. *Congregentur aquæ in locum vnum*, REPENTE MARIA CONGREGATA SVNT. Quod repentè congregari Psalmus dicens, *Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt*, per fugere & formidare insinuat, Formidantium eum fuga

A fuga velox & repentina, ET PRUDENTIA EIUS PERCUSSIT SUPERBUM. Legunt 70. CETUM, & videtur alludi ad draconem marinum, de quo Psalmus: *Draco iste quem formasti ad illudendum ei:* Nam pisces rictum ipsius perhibentur astu declinare, & sic ei illudere. Sed sub figura illius hic sermo est de diabolo, quem Dominus sua prudentia percussit; *obijciens illi*, vt ait Leo. *formam serui, intus celans formam Dei, & cum sæuissimo hoste non in sua maiestate, sed in nostra congrediens humilitate, obijciens ei eandem formam, eamdemque naturam, mortalitatis quidem nostræ participem, sed peccati totius expertem. Sed malitia nocendi auidus, dum irruit, ruit, dum capit, captus est, dum persequitur mortalem, incidit in Saluatorem.* Psal. 103. Serm. 1. de nat. Dom. de pass. serm. 9.

SPIRITUS EIUS ORNAVIT CÆLOS, *nam verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus*, ornatus, constellatio eorum, prout etiam Authore Gregorio spiritus Domini per dona sua ab Isaia & Apostolo enumerata, B ornauit & roborauit Apostolos tanquam alios quosdam cælos, ET OBSTETRICANTE MANU EIUS, in primis, ex idolis EDUCTUS EST COLUBER TORTUOSUS, Authore Hieron. sic dictus, quia nihil in se habet rectum. Dicente in idipsum de Christo Isaia, *Delectabitur puer ab vbere*, dum nimirum adhuc pendet ab vberibus matris, *super foramine aspidis*, quod rectè accipias esse os idoli, *& in cauernam reguli*, interiora idoli, ipse puer qui ablactatus fuerit *manum suam mittet:* Mox enim à natiuitate Domini dæmones cæperunt idolis extrahi, dicente per versiculum ipso colubro, Psal. 32. Homil. 30. in Euang. Isaias 11. 1. Cor. 12. loco alleg. Scribunt hoc Niceph. lib. 1. hist. cap. 17. Suidas in Augusto. Cedren. in Compendio hist.

Me puer Hebræus diuos, Deus ipse, gubernans,
Cedere sede iubet tristemque redire sub orcum,
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris:

In eoque, increscente paulatim pueri ætate, progressum est, vsque dum omnia idola suis incolis fuerunt nudata. Atque per id oracula sensim ob- C mutuerunt dicente B. Antonio, *Præsagatorum dolis apud delubra, dæmonum quondam credebantur oracula quæ aduentu Christi indicto sibi silentio obmutuerunt suosque perdiderunt captiuos*, & Athan. *Olim vbique Delphica, Dodonea, Baeotia, Lycia, Aegyptiaca, Iabirorum oracula imposturis vaticiniorum scatebant, Pythia apud homines in admiratione erant: nunc ex quo Christus vbique prædicatur, eiusmodi vesaniæ conquierunt nec vllus superest fatidicus.* Quin & obstetricante manu eius educitur coluber tortuosus de hominum cordibus quibus se penè inexplicabiliter intorserit, atque intricauit. Nam si molitus fueris ipsum educere, hic inuolucrum, ibi animaduertes retinaculum, infixum enim tenet consuetudo inolita, detinet verecundia, inuoluit deserendorum amor, deterret suscipiendorum horror vt rectè ipsi dixerit Prudentius, Apud S. Athanasium in vita c. 17. de corp. aduent. verb. Lib Cathemerinon in hymno ante somnü.

O tortuose serpens,
Qui mille per mæandros,
D *Fraudesque flexuosas,*
Agitas quieta corda.

Memor tamen ipsum obstetricante manu Christi educi, subiungit,

Discede Christus hic est,
Hic Christus est liquesce.

Per ipsum enim rumpuntur vincula tua, deteguntur versutiæ, euoluuntur tricæ.

ECCE, HÆC EX PARTE DICTA SUNT VIARUM, operum ad extra, EIUS, Diceret Aquinas, Emanationum eius, Disputaturus enim de operibus Deo extrinsecis, ponit titulum, De modo emanationis rerum à primo principio, sed August. *Metuo*, inquit ad Petrum Presbyterum, *ne fortè consenseris huic homini, Vincentio nimirum Victori, quod anima ex Deo ita sit, vt ab ipso emanarit.* Et 3. de anima & eius orig. c. 3. 1. part. quæst. 45.

Et c. 5. *Si manet quidem ipse integer Deus, nec tamen de nullo vel de alio sed de se- ipso diuersum aliquid in deterius creat, & de incorporeo Deo corpus* EMANAT, *absit vt hoc catholicus animus bibat: non est enim fluentum fontis diuini, sed figmentum cordis humani:* Itaque VIARVM, non emanationum, sed operum verbo atque imperio productorum. Et dicuntur viæ Domini, quia per illa Deus ad creaturam quodammodo processit atque exiuit. ET CVM VIX PARVAM STILLAM SERMONIS EIVS AVDIERIMVS: comparatione enim eorum quæ de vijs Domini dici possent, hæc quæ recensui tam sunt exigua, vt comparatione pluuiæ parua stilla; Dicit namque Ecclesiasticus, *Multa absconditu sunt maiora his, pauca enim vidimus operum eius.* QVIS POTERIT TONITRVVM MAGNITVDINIS ILLIVS, quod Aquinas intelligit æternum Dei verbum, comprehendendo INTVERI? Dicens verbum appellari tonitruum ad insinuandam ipsius manifestationem, Addi potest, & virtutem, nam verbo semetipsum manifestanti dicit Psalmus, *Tecum principium in die virtutis tuæ:* magnus enim vigor tantæ manifestationis. Quæ expositio satis est conueniens verbis textus, Nam tonitruum æterni patris per prius visu percipitur quam vllo alio creaturæ sensu. Imo, conueniens est & contextui, vt quemadmodum Propheta paulò ante mentionem fecit spiritus Domini, ita nunc faciat mentionem æterni verbi, & insinuet completam de diuinitate doctrinam fidei. Videntur interim tandem secutura alium magis sensum requirere: In illis enim Dominus magnitudinem operum suorum Prophetæ enarrans, dicit ad eum, *Si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas?* Enarrationem operum suorum quam de turbine facit appellans TONITRVVM, quia tonitru è turbine magno cum fragore, & vigore ruit. Vt sensus sit, QVIS POTERIT TONITRVVM MAGNITVDINIS ILLIVS, opera sua, vocibus à se factis enarrantis, INTVERI? cum Apostoli, *Audita voce de nube loquentis, in facies suas ceciderint*, nèc valuerint nubem de qua procedebat vox, erecta fronte conspicere? Poterit etiam intelligi neminem tonitruum hoc posse intueri ratione rerum enarratarum: Iuxta quod exclamat Psaltes, *Mirabilia opera tua & anima mea cognoscit nimis:* Cognoscit, inquam, illa nimia esse & homini secundum numerum incomprehensibilia. Quocirca de operibus Christi, vt idem iudicium sit de operibus Dei ante Christi Incarnationem editis, Athan. *Virtutes officiaque Saluatoris per Incarnationem talia ac tanta sunt, vt si quis ea recensere velit, non absurdè cum eo comparari possit, qui alta maris prospectans eius vndas enumerare studeat. Quemadmodum enim fieri nequit vt oculus comprehendat vniuersos fluctus, nouo semper aduentu vndarum sensum conantis eludente; ita quoque cupiens præclara Christi per carnem opera intra numerum concludere, rem tentat, quam ne animo quidem aut cogitatione assequi poterit, cum plura semper eius intellectum elabantur quam animo concipiat. Rectius igitur fuerit, in mentione istarum rerum non ad omnia simul respicere, sed vnum tantummodo in speciem allegare, atque ita reliqua aliorum æstimationi admirationique relinquere, cum singula ex æquo habeant quod in ipsis admireris.* Hæc Athan. Iob itaque futuri ad se diuini eloquij præsagus, videtur hic aperire voluisse distantiam sermonum quos edit Deus per semetipsum, ab ijs, quos edit per eos qui Deo inspirante loquuntur sermones Dei, Idque tam quoad rem, quam quoad dicendi modum. Vel, Deus horum verborum ratione habita, videtur voluisse verba Prophetæ hæc, proprijs suis sermonibus quasi exemplariter declarare; & ostendere quid intersit inter sermones Dei ab ipso prolatos & sermones hominum Deo inspirante differentium. Quo animaduerso dicet postea Iob, *qui leuiter locutus sum*, sic vt verba mea, quoad rerum ac dictionis pondus tantum comparari potuerint tenuiter sonantis stillæ,

Marginal notes: cap. 43. — 4. cont. Gent. c. 1. — Psal. 109. — cap. 40. — Matt. 17. Luc. 9. — Psal. 138. — de Incarn. verb. circa finem.

Margin letters: A, B, C, D

A stillæ, respectu tonitrui, *respondere quid possum?* Diuus Gregorius interim præ oculis habens quod tonitruum terribile sit atque percellens, per illud hoc loco intelligit sententiam Iudicis, præ ouibus, hædos amandantis. Quod tonitruum quis valebit intueri, cum in Apocal. *dicant* reprobi *montibus, Cadite super nos & abscondite nos à facie sedentis in throno & ab ira Agni.* Apoc. 6.

CAPVT XXVII.

Finitis verbis superioris capitis, exspectabat Iob, si iuxta seruatum hactenus ordinem, Sophar quippiam replicaret: animaduerso autem quod non, cœpta prosequens, ADDIDIT QVOQVE IOB ASSVMENS PARABOLAM SVAM. 70. prooemium, & conuenientius, Non est enim facile
B animaduertere, hoc & sequenti cap. quippiam parabolicè dici, sed clarè obserues ipsum in amicos non pauca præfari.

Per vsitatam verò in Israël iurisiurandi formulam, DIXIT: VIVIT DEVS, ac si diceret, per Deum immortalem, id enim verbum VIVIT importat. Deum inquam QVI ABSTVLIT IVDICIVM MEVM quod implorabam cum 23. dicerem, *Quis mihi tribuat vt veniam vsque ad solium eius, ponam coram eo iudicium,* & quæ sequuntur, id ergo iudicium cum mihi non concesserit, oportet me sententiam quam cœpi defendere, more vsitato, iure nimirum iurando confirmare & hoc ipsum non obstante quod abstulerit iudicium meum, ET OMNIPOTENS AD AMARITVDINEM ADDVXIT ANIMAM MEAM venerari ac colere.

Per Deum itaque immortalem, DONEC SVPEREST HALITVS IN ME, dum viuo & vescor aura ætherea; ET SPIRITVS DEI IN NARIBVS MEIS.
C De quo Ambros. *Non hic auram vitalem & spiramentum corporeum designauit, sed nares interioris sui hominis quibus vitæ odorem carpebat æternæ, & gratiam cœlestis vnguenti geminis quibusdam sensibus hauriebat. Sunt enim interioris quædam membra hominis, cuius manus in actu, aures in auditu, pedes in processu boni operis æstimantur. Itaque ex officijs colligimus quasdam membrorum figuras:* Hæc Ambros. Dicit itaque Iob SPIRITVS DEI, siue vt alibi legit Ambros. cum 70. SPIRITVS DIVINVS, vt significet se ad præstandum quod affirmabat, non in se sed adiuncta sibi Spiritus Sancti gratia confidere quam sperabat sibi ad mortem vsque adfore. NON LOQVENTVR LABIA MEA INIQVITATEM, profitendo vel admittendo sententiam vestram, NEC LINGVA MEA, in cogitatione sua, MEDITABITVR MENDACIVM, vt vel cogitet num velit mendacem vestram sententiam amplecti. 2. de Spir. sanct. c. 9. in Psa. 37.

ABSIT A ME VT IVSTOS censores VOS ESSE IVDICEM, DONEC DEFI-
D CIAM, NON RECEDAM AB INNOCENTIA MEA, prout cœpi, asserenda atq; tuenda. Quē sensum aperit, subiungens, IVSTIFICATIONEM MEAM QVAM COEPI contra vos TENERE, NON DESERAM: NEQVE ENIM REPREHENDIT ME COR MEVM, IN OMNI VITA MEA. De ijs quæ cap. 22. mihi obiecit Eliphas, Neq; enim vnquam in vita mea, *Abstuli pignus fratrum meorum sine causa, aut nudos spoliaui vestibus, aut aquam lasso non dedi, aut esurienti subtraxi panem, aut viduas dimisi vacuas, aut lacertos pupillorum comminui.* Dico igitur quod postmodum August. *Senti de Augustino quod vis, sola me conscientia non accuset in oculis Dei, & persisto in iustificatione mei.* Hunc sensum non animaduertentes Pelagiani, opinati sunt Iob hic asserere se tota vita sua sine peccato vel veniali vixisse. Sed respondet Aug. *Tunc nos in ista vita in qua corde creditur ad iustitiam non reprehendit cor nostrum, si eadem fides non negligit reprehendere peccatū nostrum:* Cont. secund. c. 1. De perfect. iust. rat. 19

P vt pro-

vt proinde qui ſine peccato veniali non eſt, rectè poſſit dicere non reprehendit me cor meum in omni vita mea, quia conſcius eſt ſe peccata admiſſa per pænitentiam quotidianam expiaſſe, & per id ſui cordis de ijs reprehenſionem euaſiſſe, more Diui Hieronymi, qui admiſſo veniali quopiam peccato dicebat, *Nec Prius à pectoris ceſſabam verberibus quam rediret Domino increpante tranquilitas*. Nec tamen Auguſtinus ſua expoſitione noſtram reprobat. De illa enim ſua paulò poſt dicit; *Teſtimonia qua Celeſtius poſuit de verbis Sancti viri Iob, nos ſicut potuimus quemadmodum ſint accipienda oſtendimus.* Qui autem dicit *ſicut potuimus*, ſatis indicat eadem & alio modo accipi poſſe. Nam & ipſe Auguſtinus eodem loco ipſa in alium ſenſum accipiens, dicit, *Non reprehendit me cor meum in omni vita mea, id eſt in fide mea ex qua iuſtus viuit*, ac ſi diceret Iob, ſe defectu fidei nulla parte peccaſſe. Si ergo per Auguſtinum licet verba Iob limitare ad certam ſpeciem peccati, nempe perfidiæ, cur non & nos eadem limitare poſſumus ad ſpeciem peccatorum quæ obiecerat Eliphas?

Epiſt. 22. ad Euſtoch.

SIT, vaticinij eſt non voti, quocirca alij inter quos Pagninus vertunt ERIT, VT IMPIVS, INIMICVS MEVS: cuius inimicitiam explicans, cohærenter dicit, ET ADVERSARIVS MEVS QVASI INIQVVS, aperiens ſe per inimicum aduerſarium deſignare, Cuius inimicitia non verſetur inter perſonas, ſed conpugnantes ſententias. SIT ergo demerito, non autem euentu, vt impius inimicus meus. VT IMPIVS, inquam, quia putauit Deum ipſius egere mendacio fraudulentijſque poſſe decipi, nitebanturque in iudicando Dei perſonam accipere nec in cauſis Dei ſtudebant ex veritate iudicare, Per quæ omnia peccabant in Deum & reddebantur impij. Sit etiam aduerſarius meus QVASI INIQVVS, quia obiectione falſorum criminum grauat me proximum ſuum, vt autem peccata in Deum impietatis ſunt, ita peccata in proximum iniquitatis.

QVÆ EST ENIM SPES, quæ exſpectatio, quis fructus HYPOCRITÆ, Deum in ſpeciem abſque veritate colentis, SI AVARE exactè RAPIAT violento labore vndique conquirens, per quæ Deo ſeruire atque placere videatur: ET ab iſta hypocriſi, NON LIBERET DEVS ANIMAM EIVS?

NVNQVID DEVS AVDIET CLAMOREM EIVS, ipſum inuocantis, CVM VENERIT SVPER EVM ANGVSTIA? Quæ hypocritas circa finem vitæ ferè inuadit quando lampades fatuarum quæ viſæ erant ſplendere incipient extingui. Non audiet, quia ſcriptum eſt, *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui:* Hyppocrita autem, nunquid POTERIT IN OMNIPOTENTE DELECTARI? Nequaquam; quia in omni auaro ſuo raptu, non delectatur bono ſpirituali, ſapientia, dico, bonitate, prudentia, prouidentia Dei, & ſimilibus: ſed delectatur *die hominis*, claritate inquam quam apud homines obtinet, vel aucupatur; Qua pro voto non obtenta, acerbè cruciatur, ſic vt dulcedo, ſi quam guſtauit, ipſi vertatur in abſynthium. ET, quod, vt exaudiaris, ex altera parte neceſſarium eſt, poterit hypocrita INVOCARE DEVM IN OMNI TEMPORE? Nequaquam, hypocritis namque dicit Chriſtus, *quod deuorant domos viduarum ſimulantes longam orationem*: non ergo Deum quem non amant, inuocant niſi in ſpecie: *ob id non exaudiet Deus, cum venerit ſuper eos anguſtia, quia propè eſt Dominus omnibus qui inuocant eum in veritate:* Sed vt loco allegato dicit Chriſtus, *Accipient maiorem damnationem; quia eius qui doloſè egit in conſpectu Domini, inuenitur iniquitas ad odium,* atque adeo redditur magis oidoſa, *ſimulata enim æquitas, duplex eſt iniquitas.*

Pſal. 36. Ierem. c. 8. Luc. 14. Pſal. 144. Pſal. 35.

Huc

A Huc vſque procemium, venit nunc Propheta ad rem, & aggreditur enarrare quæ Deus etiam in hac vita repoſita habeat ac donet ſolis iuſtis ſiue pauperes ſint ſiue opulenti: prius tamen recenſens amicorum ſententiam qui iam ſæpius dixerant bona huius vitæ ſolis iuſtis deberi & ad eos tandem deuolui: vt temporalium atque ſpiritualium, per oppoſitionem oſtendat differentiam, & pateat bona ſpiritualia temporalibus tanto eſſe præſtantiora, vt non hæc ſed illa demum digna ſint quæ iuſtis peculiariter donentur ac reſeruentur. Dicit ergo Iob DOCEBO VOS PER MANVM cooperationem & auxilium DEI, QVÆ OMNIPOTENS in ſuis thezauris repoſita & timentibus ſe reſeruata ac communicanda HABEAT, NEC ABSCONDAM. Id autem cap. ſequenti.

Prius vero commemorabo quæ ECCE VOS OMNES NOSTIS: Nam ipſi illa & ſimilia dixiſtis. ET QVID SINE CAVSA fructu aut operæ pretio, VANA, veritate vacua, LOQVIMINI? Dicitis enim, HÆC EST PARS, B portio, retributio, HOMINIS IMPII APVD DEVM, in præſenti vita ipſi infallibiliter obuentura, ET HÆREDITAS VIOLENTORVM, QVAM ad poſteros tranſmittendam AB OMNIPOTENTE SVSCIPIENT.

Pars ergò ipſius ac hæredum eius. SI MVLTIPLICATI FVERINT FILII EIVS, IN GLADIO ERVNT, quia gladio peribunt, ET NEPOTES EIVS præ inopia rei familiaris NON SATVRABVNTVR PANE.

QVI RELIQVI FVERINT EX EO, gladio videlicet & fami ſuperſtites, nec per iſta fuerint violenter mortui, SEPELIENTVR IN INTERITV mortis non violentæ: ET VIDVÆ ILLIVS NON PLORABVNT maritos ſuos obijſſe, idque vel præ animi inclementia vel quia mariti dum viuerent vxoribus ſuis oneri erant ac inuiſi.

Dicitis etiam SI COMPORTAVERIT QVASI TERRA ARGENTVM, ſupra C quam Salomon, qui 3. Reg. c. 10. *fecit vt tanta eſſet abundantia argenti in Ieruſalem quanta & lapidum*, iſte verò ſi congregauerit argentum vt terram ſiue arenam maris, ET SICVT LVTVM PRAEPARAVERIT VESTIMENTA, vt nimirum ſint ipſi in tanta abundantia, vt vſu ea non capiente in loculis ſuis pœnè putreſcant, aut ipſi hero ſuo faſtidio ſint & nauſeam pariant.

PRÆPARABIT QVIDEM, SED IVSTVS VESTIETVR ILLIS, quaſi vero iuſtus fuerit qui deſcriptus eſt vſque ad mortem indutus *fuiſſe purpura & byſſo*, Luc. 16.
& non dixerit Dominus ijs quos ad iuſtitiam erudiebat, *De veſtimento quid* Mat. 6.
ſolliciti eſtis? ET ARGENTVM INNOCENS per innocentes diſtribuendo DIVIDET tanquam rem iniuſtis poſſeſſoribus abreptam & ipſis debitam.

ÆDIFICAVIT SICVT TINEA DOMVM SVAM, quia familiam, rem familiarem, habitacula quæ ipſe ſibi comparauit, vitijs ſuis, imprudentia, ac in- D temperantia tacitè ipſe conſumpſit. Quo facto, SICVT CVSTOS FECIT VMBRACVLVM, quia alienis bonis aſſeruandis deſeruiens, in vmbraculo ſiue tugurio degere debebit.

DIVES CVM DORMIERIT, NIHIL SECVM AVFERET. *Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid poſſumus.* 1. Tim. 6.
Quod vtique commune eſt diuitibus bonis & malis, ſed malis peculiare eſt quod ſequitur, APERIET OCVLOS SVOS, quaſi circumſpectans num quippiam eorum quæ hic reliquit ibi præſto ſit, ET NIHIL INVENIET ſicut ſcriptum eſt, *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.* Pſal. 75.

APPREHENDET EVM in hac vita rebus vndique direptis, diſſipatis, deſtructis, in innocentes tranſlatis, QVASI AQVA impetu irruens & inundans

INOPIA. Aut saltem NOCTE quæ tempestatibus solet esse oportuna, OPPRIMET EVM TEMPESTAS & auferetur *quasi tabernaculum*, quod dixit A
Cap. 24. Isaias, *vnius noctis*. Imo, malo spiritu agente TOLLET EVM IVENTVS
in cap. 27. Ezech. VRENS, qui teste Hieron. apud Ezechielem *Auster dicitur*, *Hebræis Kadin*, *Græcis καύσων*, *quem nos ventum vrentem*, inquit, *interpretari possumus*. Hic in-
קדים quam tollet ET AVFERET, ET VELVT TVRBO qui est ventus validus & tempestuosus ac inuoluens RAPIET EVM DE LOCO SVO, & in alium transponet: quod turbinis esse indicatur per id quod *Elias ascendit per turbinem in*
4. Reg. 2. Ezech. 1. *cælum*, & est proprium vento Aquilonari sicut scriptum est, *Ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone*. Hic tamen vis venti Aquilonaris extraordinariè tribuitur Austro, vt res inusitata augeat stuporem. Ex quo vaticinio orta videtur vulgata maledictio, quæ dicit *Diabolus auferat te*. De quo sequitur, ET MITTET SVPER EVM ET NON PARCET, quia totam virtutem suam malignus spiritus in ipsum exeret, Ipse verò DE MANV EIVS FVGIENS FVGIET, quia omni conatu nitetur manum malignus spiritus euadere; sed B
ex aduerso, malignus spiritus STRINGET SVPER EVM MANVS SVAS comprehendendo eum vt non euadat, ET, insultando, irridendo SIBILABIT SVPER ILLVM, Id enim inter cætera irridentium esse, testatur illud Ieremiæ 19. *Ponam ciuitatem hanc in stuporem & in sibilum: omnis qui præterierit per eam, obstupescet & sibilabit super vniuersa plaga eius*. Sibilabit ergo INTVENS LOCVM, statum EIVS ad quem iam deuenerit. Hæc sunt ergo quæ vos sine causa loquimini. Sed ex aduerso, *ego per manum Dei bonam mecum docebo vos quæ Omnipotens habeat* & in hac vita solis iustis siue inopes sint siue diuites distribuat, & illarum rerum originem à fundamentis enarrabo, rem orsus in hunc modum.

CAPVT XXVIII. C

HABET ARGENTVM VENARVM SVARVM, per quas intra terræ viscera diffunditur PRINCIPIA, *& sunt vapores humidi resoluti à terra per virtutem solis & aliarum stellarum, & in terra retenti, qui vbi in aptis locis miscentur terræ vel lapidi, efficiuntur ibi venæ argenteæ* (inquit Aquinas, ET AVRO LOCVS EST IN QVO CONFLATVR, in massam aliquam coagmentatur, ex pluribus auri granulis. *Idque, vt plurimum in fluminum arenis, propter multitudinem euaporationum & caliditatem arenæ*, inquit idem. Ex quibus exempli
Gen. 2. gratia in medium adferrem *Physon qui circuit terram Euilath vbi nascitur aurum*, & dicerem illud nasci in fundo dicti fluuij, nisi Moyses dicens, aurum illius terræ optimum esse, suum VBI determinaret ad terram non ad flumen, præsertim cum Hieronymus in capite 34. Isaiæ dicat in terra Euilath nasci D
aurum. Itaque recurro ad Tagum fluuium Lusitaniæ omnium confessione auriferum, cum hoc emolumento, quod primus liber Machabæorum dicens, *Romanos in potestatem redigisse metalla argenti & auri quæ erant in regione Hispaniæ*, testetur id non esse vanum nec fabulosum, eo quod sub regio-
1. Mach. 8 ne Hispaniæ generaliter dictæ comprehendatur Lusitania.

FERRVM DE TERRA TOLLITVR, quia in terra quasi indigesta inuenitur. ET LAPIS SOLVTVS CALORE, IN ÆS VERTITVR, *dum scilicet quod in lapide est de natura æris, per calorem ignis eliquatur*, inquit Aquinas.

Cap. 60. TEMPVS POSVIT TENEBRIS, de quibus Isaias, *Tenebræ operient terram & caligo populos*; sed, *vsque dum tempora illius ignorantiæ dispiciens Deus*, *annunciauit*

A *ciauit hominibus pænitentiam in Deum & fidem in Christum.* Posuit interim etiam tenebris huius aëris TEMPVS, quia non nisi statis temporibus fecit aërem contenebrari sicut scriptum est, *Sol cognouit occasum suum, Posuisti tenebras, & facta est nox.* ET VNIVERSORVM FINEM IPSE CONSIDERAT, nam, vt præsens, habet præ oculis quo tempore, qualiter, in quo statu quisque sit hanc vitam finiturus. Quia & Petro dixit, *qua morte esset clarificaturus Deum*; Et dixit, quod *sicut in diebus Noë edebant & bibebant, vxores ducebant & dabantur ad nuptias, & venit diluuium & perdidit omnes,* ita repentinus circa diem iudicij quibusdam superuenturus sit interitus. Nec solum intuetur fines per quos vnusquisque vitam præsentem terminabit, verum etiam fines ad quos perueniet; nam sequitur, considerat LAPIDEM QVOQVE CALIGINIS, Regnum, dico, cælorum quod hic per lapidem designatur, *quia munimenta saxorum,* inquit Isaias, *sublimitas eius,* nec abs re appellatur LAPIS CALIGINIS, *quia posuit tenebras latibulum suum,* sic vt impij regnum nequeant videre. *Abscondes enim timentes te in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum.* Considerat & VMBRAM MORTIS, mortuorum dico tenebras quæ sunt exteriores tenebræ inferni de quibus supra. Et quandoquidem regnum atque infernus sunt duo extremi fines vniuersorum, ille iustorum, hic reproborum; & Deus dicitur vniuersorum fines siue metas considerare, conuenienter & scripturis conformiter lapidem caliginis per regnum, vmbram mortis per infernum declarauimus.

Actor. 17. / Psal. 103. / Ioan. 21. / Cap. 33. / Psal. 17. / Psal. 30.

B

Cæterum hactenus de mineralibus quæ sunt in locis ad quæ ex sedibus collocutorum istorum erat accessus. Transitur nunc ad illa quæ sunt in locis inaccessis, declarato prius per quid illa loca inaccessa sint, & dicitur DIVIDIT TORRENS, fluuius rapidissimus qualis est Tigris ob velocitatem defluxus sic appellatus, eo quod fera hæc velocitate præstet. Tametsi enim torrens designet aquæ defluxum vehementissimum quidem, non tamen perpetuum, eo quod originem accipiat non ex fonte nec aqua viua, sed ex pluuijs; Prophetam tamen hoc loco in torrente tantum considerasse vehementiam decursus, argumento est, quod terra trans torrentem describatur inaccessa, ad eam verò esset accessus per vada si torrens quem dicit aliquando deflueret, Ergo torrentis nomine hic designat fluuium torrentissimum collocutoribus notum, qui ob impetum defluentium aquarum nec natatu nec nauibus possit transmitti, nec ob profunditatem transuadari. Hic ergo torrens A POPVLO PEREGRINANTE, omnem terram peragrante, DIVIDIT EOS, terræ trans torrentem positæ incolas, QVOS OBLITVS EST PES EGENTIS HOMINIS, quia nec pauperes omnia alioqui loca ad conquirendum victum peragrantes ac penetrantes, vel cogitant populos illos adire, quos iustè voco INVIOS, quia nullus eò accessus.

C

D

TERRA DE QVA vt frumentorem ferace, ORIEBATVR PANIS IN LOCO SVO, IGNI SVBVERSA EST, Declarat id Aquinas per Sodomam & Gomorram, sed illis igne subuersis, præter Bitumen nihil ibi remansit fructuosum, nihil pretiosum, nihil vtile, dicente Cypriano in carmine de Sodoma.

Nullus arat frustra piceas fuligine glebas,
Semiperempta etiam si qua illic iugera, lætas
Autumni conantur opes; facilè optima sese
Promittunt oculis pyra persica & omnia mala,
Donec carpantur: nam protinus indice tactu,
Soluitur in cinerem, fit vana fauillaque pomum.

Terra verò hæc, post incendia refertur genuisse sapphiros lapides, atque aurum. Itaque conuenientius hæc intelligas de igne qui emerserit è visceribus ipsius atque montibus, prout hodie emergit ex Ethna & Vesuuio. Quod ipsum etiam significare videntur verba, IN LOCO SVO, tanquam ex ipso loco ignis emerserit. Melior ergo conditio huius loci quam Sodomæ & Gomorræ: ex incendio enim harum prouenerunt quæ diximus; ex incendio autem huius terræ LOCVS SAPPHIRI LAPIDES EIVS, vel quia lapidibus illius inspersi sunt sapphiri, vel quia lapides eius in saphyros sunt conuersi. ET GLEBÆ ILLIVS AVRVM, *Calore enim superabundante sequitur quod resolutiones tam siccæ quam humidæ ad magnam digestionem perueniant, vt exinde generentur aliqua pretiosa, puta lapides vel metalla*, inquit Aquinas. A

SEMITAM terræ sic exustæ IGNORAVIT AVIS, NEC INTVITVS EST EAM OCVLVS VVLTVRIS, quia nec aues sublime volantes, nec vultures transmarina cadauera sentientes, situm illius desuper viderunt, eo quod aërem illi terræ superfusum ob ardorem vel etiam graueolentiam, quam Tertull. ascribit exustæ terræ Sodomorum, semper declinauerint. B

Apol. c. 40

NON CALCAVERVNT EAM FILII INSTITORVM; De quibus tamen Poëta,

> *Impiger extremos currit mercator ad Indos,*
> *Per mare pauperiem fugiens per saxa per ignem.*

Horat. Epist. I.

NEC PERTRANSIVIT PER EAM LEÆNA, nam nec feræ (videtur enim hic poni species pro genere) solitudinum incolæ, ob ardorem eam peragrant.

AD euertendum SILICEM EXTENDIT Deus MANVM SVAM, hunc enim sensum insinuat quod sequitur SVBVERTIT A RADICIBVS MONTES, vt sicut EXTENDERE MANVM SVAM commune est monti & silici, ita & SVBVERTERE competat vtrique. Ad quid autem? An ad ostendendam potentiam? Sed illa hic ex professo non describitur. Extendit igitur ad euertendum silicem manum suam prout etiam subuertit à radicibus montes, quia, OMNE PRETIOSVM sub silice ac montibus latens VIDIT OCVLVS EIVS. C

PROFVNDA QVOQVE FLVVIORVM SCRVTATVS EST, quia nouit qui lapilli pretiosi, quod aurum lateat in alueis fluminum, ET ABSCONDITA, iam recensita, euersione silicis ac montium & fluuiorum exsiccatione IN LVCEM PRODVXIT. Quin & EXCIDIT IN PETRIS RIVOS, quos opinor esse olei, sicut infra dicit Iob, *Petra fundebat mihi riuos olei.* Nam & oleum in pretio habetur & in diuitum censetur thezaurus. Hæc ergo omnia & originem & locum habent in terra & ibi inueniuntur.

SAPIENTIA VERO VBI INVENITVR? Dices, in omnibus rebus creatis, eo quod vestigium sapientiæ in qua creatæ sunt, sicut scriptum est, *Omnia in sapientia fecisti*, in eis non obscurè appareat. Nam in hac Dei per creaturas resplendente sapientia tametsi non cognouerit, potuit tamen mundus per sapientiam sibi inditam cognoscere Deum. Dicendo autem, VBI INVENITVR? indicat sapientiam de qua loquitur in mundi creatura non inueniri. Est igitur ipsi sermo de sapientia quadam magis recondita, illa nimirum quæ inter dona Spiritus sancti apud Isaiam recensetur prima: De qua vt quærit, VBI INVENITVR? Ita & cohærenter quærit, ET QVIS EST LOCVS INTELLIGENTIÆ? Quam Aquinas dicit esse sapientiæ principium, quia videlicet est donum disponens intellectum humanum per quod sit capax sapientiæ percipiendæ, inuestigandæ, enarrandæ. 70. tamen loco INTELLIGENTIÆ legunt SCIENTIÆ, illamque lectionem amplexi sunt August. D

Psal. 103. *1. Cor. 3.* *Cap. 11.* *in hunc locum.*

A gust. & Ambros. Et est conuenientior contextui, nam quod in fine dicitur RECEDERE A MALO, magis conuenit scientiæ vt ibidem declarabitur quam intelligentiæ sapientiæ scrutratrici, quia recedere à malo est quidem impedimentum sapientiæ remouere, non est verò sapientiam captare, inuestigare, percipere. Rectè autem prius quærit quodnam sapientiæ VBI, & exinde quis intelligentiæ LOCVS, tametsi nec illa nec hæc localiter extendatur. Dicit namque August. *quod locus sit vnicuique rei vbi est*, Vsque adeo, vt affirmet, *quod locus Christi æternus vbi semper est, ipse pater sit, & locus Patris Filius, quia ego, inquit, in Patre, & Pater in me est: Et locus noster ipsi sunt, quia sequitur, vt & ipsi in nobis vnum sint.* Tract. III. in Ioan. Ioan. 17.

Ad suam igitur interrogationem responsurus & declaraturus in primis vbi sapientia & intelligentia non inueniatur, prius declarare proponit quod hæc nullo temporali pretio possint comparari. Cui declarationi præmit-
B tens fundamentum, generali sententia determinat, NESCIT HOMO PRETIVM; diceres præstantiam EIVS, sed enarratio secutura requirit, pretij nomine intelligi valorem qua ipsa coëmatur. Hunc nescit homo, quia illum humanitus exhibere vel præstare non potest. *Quid enim prosunt stulto diuitiæ cum sapientiam emere non possit? Imo, si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione* (vt idem iudicium sit de sapientia) *quasi nihil despiciet eam.* Dicturus autem quod sapientia quam dicit, in natura siue creatura rerum cognoscibiliter non sit, vno verbo præmittit vbi etiam per hominum mores non sit, & dicit, NEC INVENITVR IN TERRA SVAVITER VIVENTIVM, sensibus suis suauia & commoda præbentium. Dicit proinde Ambros. *Anima quæ Verbi bona videt, corpus hoc non requirit, minimamque sibi familiaritatem cum eo esse debere intelligit, renunciat seculo, abducit se à vinculis carnis, exuit se omnibus voluptatem istarum nexibus.* Quocirca & Sapiens, *Cogitaui ab-*
C *strahere à vino carnem meam vt animum meum transferrem ad sapientiam, deuitaremque errores & stultitiam.* Prou. c. 17. Cant. c. 8. Epist. 11. Eccles. 2.

ABYSSVS quam Basilius dicit significare copiosam aquam ad cuius fundum haud facilè penetrari poterit deorsum versus. Hæc inquam DICIT: NON EST IN ME, quia re ipsa profitetur ex profundo abyssi profunditatem huius sapientiæ non inueniri. Dicit proinde Ambros. *Qui sapientiam vult inuestigare, non in abysso eam quærat sicut Philosophi, qui arbitrantur quod ipsi sua sponte, suo ingenio profunda eius possint cognoscere.* Qui interim alibi scribit. *Benè abyssus dixit non est in me, quia resurrexit: Non enim habet quem infernus tenere non potuit.* ET MARE, Abyssi istius superficies LOQVITVR: NON EST MECVM. Quod eodem loco ad Christum referens Ambr. per mare intelligens seculum & mundum hunc, dicit illud rectè dicere, Non est mecum: *quia supra mundum est, quem vita humanæ lapsus atque illecebra non immutauit: quia pec-*
D *catum non fecit nec inuentus est dolus in ore eius. Sed cælum non dixit quia non est apud se, quem receperat resurgentem. Paradisus non dixit, Non est in me, quem regnare in se absoluto quoque latrone cognouerat sicut ipse Dominus dixit, Hodie mecum eris in paradiso.* Hæc Ambrosius. Qui alibi hæc verba moraliter exponit, dicens, *sapientiam in mari non inueniri, etenim vbi tempestas, vbi procella venti est, non potest ibi esse sapientia. Sed ibi quæratur vbi est tranquillitas mentis & pax, quæ super omnem intellectum est.* Sed hæc Ambros. per accommodationem. Litteræ verò sensus est, MARE LOQVITVR NON EST MECVM, quia vt scrutando abyssum, sapientiæ huius non attinges profundum, ita percurrendo latitudinem maris respondebit tibi res ipsa, quod amplitudinem sapientiæ huius non apprehendes. Quocirca Baruch. cap. 3. *Quis transfretauit mare, & inuenit illam & attulit illam super aurum electum?* Hom. 3. Hexam. 2. de interp. c. 5. Exhort. ad virg. & 1. de interpel c. 9. 1. Pet. 2. Luc. 23. 2. de interpret. c. vlt.

NON DABITVR AVRVM OBRIZVM. 70. Aurum ophyr, PRO EA, vnde A
rectè docet Victorius aurum obrizum, dici quasi ophirizum, estque, inquit, defæcatissimum & purgatissimum, quod in decoctione nihil deperdit. NEC APPENDETVR ARGENTVM IN COMMVTATIONE EIVS, quia per emensa pondera argenti non acquiritur.

In æstimatione, NON CONFERETVR TINCTIS INDIÆ COLORIBVS, vestibus pretiosis industria artis & copia Indicæ frugis variè coloratis, NEC LAPIDI SARDONYCHO qui substantiue dicitur Sardonix, Imò, ne quidem huic inter sui ordinis lapides peculiaris sui loci beneficio ac gratia PRETIOSISSIMO. Simpliciter enim Sardonix inter lapides pretiosos præ-
Apocal. 21 stantissimus non est, quia inter eos quinto demum loco in Apocalipsi nominatur, VEL SAPPHIRO, *qui* teste Hieron. *cæli & aëris habet similitudinem*; nisi dixeris lapides pretiosos suum ibi ordinem sortiri non ratione pretij sed mysterij. B

NON ADÆQVABITVR EI AVRVM. Cum prius dixerit aurum obrizum,
in cap. 10. Ierem. hic dicit AVRVM, Hebræo nomine *Tahaf*, quia Auctore Hieron. Aurum apud Hebræos septem gaudet nominibus, quæ suis vocabulis recenset Victorius in tabula Hieron. sub voce Ophir. Aurum verò apud ipsos generali
in cap. 10. Isaiæ. nomine Paz dicitur Authore eodẽ. Vt proinde Iob qui prius dixerat sapientiam non comparari auro Ophir, hic commemorando aurum *Tahaf*, quod
זהב Zahab. à Neotericis vertitur AVRVM PVRVM; paulo inferius denique commemorando aurum sub nomine Paz, significet quod sapientia ne vllo quidem auro comparari possit. VEL VITRVM. Alij, cristallus, quæ pellucidorum præstantissima est, tametsi & vitrum præsertim trigonum apud Chinenses in pretio habitum fuisse legamus. NEC COMMVTABVNTVR, vllo sæculari mercimonio PRO EA, affabrè facta VASA AVRI, non tantum præstantia materiæ, sed etiam artificij pretiosa. C

EXCELSA, regna, ET EMINENTIA, sedes Ducum superborum & Iudicum, NON MEMORABVNTVR, ne quidem commemoratione digna habe-
Sap. 7. buntur COMPARATIONE EIVS: Dicente Sapiente, *Præposui eam Regnis &*
Gen. c.6. *sedibus, & diuitias nil esse duxi, in comparatione illius. Quin nec, Gigantes à sæculo viri famosi* per suam celsitudinem & existimationem, apud Deum commemorati sunt sapientia digni, vt nimirum quemadmodum *orationes & eleemo-*
Actor. 10. *synæ Cornelij*, ita & eminentia istorum *ascenderint in memoriam coram Deo* in ordine ad æternam salutem, dicente Baruch, *Ibi fuerunt Gigantes nominati*
Cap. 3. *illi qui ab initio fuerunt statura magna scientes bellum: Non hos elegit Dominus neque viam disciplinæ inuenerunt, propterea perierunt: Et quia non habuerunt sapientiam perierunt propter suam insipientiam.* Dixit namque Dominus ad Samue-
1. Reg. 16. lem de Eliab, *Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius, quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico, homo enim videt ea quæ parent,* D
Dominus autem intuetur cor. Possunt præterea excelsa & eminentia hic moraliter accipi pro sapientia & prudentia sæculari, quæ non commemorabuntur apud Deum, in ordine ad hanc sapientiam, quia dixit Christus, *Ab-*
Mat. 11. *scondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Quod approbando dicit, *Ita Pater, quoniam sic placuit ante te.* TRAHITVR AVTEM SAPIENTIA DE OCCVLTIS, quod hic ex abrupto inseritur, & (secundum nostrum lectionem) verbum TRAHITVR ingerit modum quo sapientia acquiritur DE OCCVLTIS, designans locum vnde. Si enim de OCCVLTIS trahitur, oportet eam ibidem reconditam esse. Trahitur autem, desiderio,
Psa. 118. sicut scriptum est, *Os meum aperui & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam.* Trahitur & inuocatione, vtrumque enim coniungens dicit Sapiens:

Optaui

A *Optaui & datus est mihi sensus, & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ.* Trahitur denique de OCCVLTIS intimis dico illius *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Pulchrè proinde Ambros. *Attrahite filiæ sapientiam in interiora vestri cordis promptuaria, quoniam ea est omni auro argentoque pretiosior quam mors nescit.* Qui benè dicit, *in interiora promptuaria*; Vt enim sapientia trahitur de occultis, ita vt piè dixit August. sentitur in intimis sicut scriptum est: *Sapientia requiescit in corde illius.* Sap 7. Col. 2. Exhort. ad Virg. Prou c. 14.

His per transennam dictis resumit propositum & dicit, NON ADÆQVABITVR EI TOPAZIVS DE ÆTHIOPIA, sic dictus, quia lapis ille pretiosus ibidem primitus est inuentus, inquit Aquinas. NEC TINCTVRÆ MVNDISSIMÆ, telæ niueæ quam præbet aut saltem amat Æthiopia tametsi horridè nigra: Huic inquam telæ tanquam paris cum ipsa pretij sapientia non COMPONETVR. Tincturæ inquit, Dealbatio enim talis telæ sortitur nomen
B tincturæ; quia vt hæc colorem, ita illa inducit candorem. Hæc de sapientiæ præstantia atque pretio, quod cum in terris nullum exstet, hic opportunè dixeris cum Sapiente: *Quid prodest stulto habere diuitias, cum sapientiam emere non possit?* Aut cuius illæ sunt præstantiæ, vt censeri debeant malis indignæ, & solis bonis in hac vita reseruandæ? Cum malis propter naturæ bonum vt August. dicit creatis, naturæ bona, bonis vero ad altiora eleuatis, bona sublimiora congruant? Prou. 17.

Post quæ repetit Iob quæstionem quam proposuerat in exordio, & dicit. VNDE ERGO SAPIENTIA VENIT? ET QVIS EST LOCVS INTELLIGENTIÆ? Tametsi enim in discursu priore dicens, Trahitur sapientia de occultis, & viam & locum ipsius insinuarit, hic tamen iterum de ijs mouet quæstionem, vt per eam excitata collocutorum attentione, illa capacioribus plenius enarret: ostendens & ipsius viam & locum, imò illam ipsam crea-
C turis incognitam, solius Dei, ipsam quoad hæc omnia perspectam habentis, dono reuelari, & dicit.

ABSCONDITA EST AB OCVLIS OMNIVM VIVENTIVM, ita vt suis eam viribus nemo inuestigare, suis oculis nemo valeat conspicere, VOLVCRES QVOQVE COELI LATET. Quod Aquinas arbitratur dici contra Augures qui euentus futuros ex auium garritu vel motu coniectantes, tradebant quasdam aues augurales quendam affectum sapientiæ participare supra homines, in quantum scilicet ex eis ad homines peruenire credebant cognitionem futurorum. Non ignorabant enim quod sapientia scit præterita, & de futuris æstimat. De quibus accipias illud Baruch, *Qui in auibus cæli ludunt,* quia per eas hominibus illudunt: nisi, quandoquidem de *Principibus gentium qui dominantur super bestias terræ,* sermo est, ibi magis notentur aucupes quam Augures, præsertim quia Principes magis incumbunt aucupio, quam au- Baruch. 3.
D gurio. Mirarer autem si inter cætera hic non notarentur volucres cæli de quibus Dominus, *Semen cecidit secus viam & volucres cæli comederunt illud,* qui extra controuersiam sunt Dæmones. *Nam & hos latet sapientia, Tametsi enim conentur quædam futura prædicere, & subinde prædicant, Non tamen æternas temporum causas & quodammodo cardinales in ipsa Dei sapientia contemplantur, prout Angeli sancti, sed quorundam signorum nobis occultorum, maiore experientia, multo plura quam homines futura prospiciunt,* inquit August. Luc 8. 9. de ciuit. c. 21. & 22

PERDITIO ET MORS perditi homines & Deo mortui siue in hac vita degant siue in inferno, DIXERVNT: AVRIBVS NOSTRIS AVDIVIMVS FAMAM EIVS, quia ex eo quod inter bonos aliquando conuersati sunt, multa audiuerunt de sapientia prædicari, quorum memoria eos ne quidem in inferno deserit, nihil autem eorum mente preceperunt, *quia in maleuolam animam non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Sap. 1.

DEVS

Ioan. 14. DEVS INTELLIGIT VIAM EIVS, & est Christus qui dicit, *Ego sum via,* A
7. confess. c. 18. *veritas & vita:* de qua August. *Quærebam viam comparandi roboris quod esset idoneum ad fruendum te, nec inueniebam donec amplecterer mediatorem Dei & hominum, Christum* IESVM *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, vocantem* 1. Tim. 2. Rom. 9. *& dicentem: Ego sum via, veritas & vita. Et cibum cui capiendo inualidus eram,* Ioan. 1. *miscentem carni: quoniam Verbum caro factum est vt infantiæ nostræ lactesceret sapientia tua, per quam creasti omnia. Verbum enim tuum æterna veritas, superioribus creaturæ tuæ partibus supereminens, subditos erigit ad seipsam: in inferioribus autem ædificauit sibi humilem Domum de limo nostro: per quam subdendos deprimeret à seipsis & ad se traijceret, sanans tumorem, & nutriens amorem: ne fiducia sui progrederentur longius sed potius infirmarentur, videntes ante pedes suos infirmam diuinitatem ex participatione tunicæ pelliceæ nostræ & lassi prosternerentur in eam, illa autem surgens leuaret nos.* Hæc ibi. Cæterum per hanc viam gradatim ascendendum est vt perueniatur ad sapientiam: Cuius Gradus describit Idem, po- B
2. de doctr. Christ. c. 7. nens primum gradum esse timorem Domini qui faciat humiles, proximum, Pietatem, quæ faciat mites, atque adeo dociles; exinde scientiam, quæ faciat lugentes & flentes, vlterius fortitudinem quæ faciat esurire & sitire iustitiam, Denique, misericordiam in cuius consilio purgatur oculus ad videndum. Concludit tandem, *Talis filius ascendit ad sapientiam qua pacatus tran-* Psa. 110. *quillusque perfruitur. Initium enim sapientiæ timor Domini. Ab illo enim vsque ad ipsam per hos gradus tenditur & peruenitur.* Hæc August. ET IPSE NOVIT Eccles. 1. LOCVM ILLIVS ex quo ad homines deueniat, Qui locus est filius Dei, *Nam fons sapientiæ est Verbum Dei in excelsis.*

IPSE ENIM FINES MVNDI INTVETVR: ET OMNIA, QVÆ SVB COELO SVNT, RESPICIT. Si locus sapientiæ esset in mundo, videretur per hæc dari ratio eius quod dixit, *Deum nosse viam & locum sapientiæ.* Sed cum sapientia de qua hic, reposita sit in thezauris Dei Patris, dicitur hic Deus intueri fines C
mundi, & omnia quæ sub cœlo sunt, ad probationem versiculi superioris, Psal. 103. quia *cum Deus omnia in sapientia fecerit,* oportuit vtique ipsum viam per quam ad illa sapientiam deduxit, nosse.

Quod autem omnia in sapientia fecerit declarat Iob paucis exemplis, vt idipsum de reliquis quorum non fit mentio, intelligas: & dicit, QVI FECIT VENTIS PONDVS, de quo pro diuersitate ponderum maiore vel minore, semper tamen conuenienter dimenso impetu ferantur, quod vtique prudentiæ est de sapientia eductæ, nam filia huius illa, tanquam omnia modificans sapientiæ dispensatrix: Propter quod creationi mundi vtraque tribui-Prou. 3. tur à Sapiente dicente; *Dominus sapientia fundauit terram, & stabiliuit cœlos prudentia.* ET AQVAS, per eandem prudentiam, APPENDIT IN MENSVRA, *vt* Gen. 9. *non sit amplius diluuium dissipans terram.*

Et hæc quidem de via & loco sapientiæ quatenus illa diffusa est per crea- D
turam mundi, non tamen impertinenter, quia ex illa tanquam notiore declaratur sapientia quæ à creatura mundi non relucet, & ostendendo quod Deus viam & locum eius norit & exinde quid ipsa sit, adiungit. QVANDO, in prouidentia sua PONEBAT PLVVIIS LEGEM, secundum quam concrescerent, ET VIAM PROCELLIS SONANTIBVS, per quam cum turbine, impetu, & sonitu deciderent, TVNC, in eodem æternæ suæ prouidentiæ instanti: neque enim Deus apud se prius opera naturæ disposuit, deinde Eccle. 18. gratiæ: *Sed qui viuit in æternum, in prouidentia sua creauit omnia simul,* quæ tamen per tempora diesque ad effectum deduxit: TVNC inquam, per prænotionem & eandem suam prouidentiam VIDIT ILLAM *in seipso* inquit l. 5. de gen. ad lit. c. 15. August. Affirmans ex his verbis Iob probari, *omnia priusquam fierent, fuisse in*

notitia

A *notitia facientis*, Et vtique ibi meliora, vbi veriora, æterna & incommutabilia. *Quamquam sufficere debeat vt quisque nouerit vel inconcusse credat quod Deus hæc omnia fecerit: non opinor eum esse tam excordem, vt Deum quæ non nouerat fecisse arbitretur. Porro si nouerat ea priusquam faceret, profectò priusquam fierent apud eum erant eo modo nota, quo sempiternè & incommutabiliter viuunt, & vita sunt, facta autem eo modo quo vnaquæque creatura in genere suo est.* Hæc August.

Imo quandoquidem sapientia hæc donum est Spiritus sancti, DEVS VIDIT ILLAM, quod dicit Ecclesiasticus, *in Spiritu sancto*. Quod de æterna sapientia non intelligas, quia hæc ex beneuolentia Spiritus sancti in certa Dei scientia non disponitur, quia Spiritus sanctus de ea vt principio procedit. Nec obstat quod Ecclesiasticus eo loco de æterna sapientia verba faciat, quia eorum quæ dicit, quædam congruunt æternæ sapientiæ in se, quædam, & in primis istud, eidem, in creata sua imagine: Eo sermonis ge- *Eccles. 1.*
B nere quo Christus dixit de Paulo: *Quid me persequeris?* Ita enim loquebatur de Paulo, quia Paulus erat ipsius imago, vt docet Athanasis. Videre ergo de quo hic sermo, est videre locum eius. Vt enim æternæ sapientiæ Augustino locus est Deus Pater, ita sapientiæ spiritualis locus est Spiritus sanctus. Cuius describens viam, addit, ET ENARRAVIT, quia modum quo illam hominibus notam faceret, simul adinuenit, qui est enarratio, suo tempore facta per Prophetas, inquit Ambros. & sapientes de quibus, Sapientia Dei dixit, *Mittam ad illos Prophetas & Apostolos:* quæ & ipsa cum esset in carne sapientiam nobis enarrauit, ET enarrando PRÆPARAVIT, per enarrationem enim præparatur auditus, & audientis animus ad percipiendam sapientiam. Et præparando INVESTIGAVIT quia non cœpit eam enarrare ex abrupto, sed ad ipsius cognitionem gradatim quasi per quædam vestigia perduxit: ET inuestigando, non Angelo, sed DIXIT *Act. 9.* *Serm. 3. cont. Arr.* *1. de Interp. c. 9.* *Luc. c. 11.*
C HOMINI, per vestigia enim ex Augustino recensita, non Angelo, sed homini lapso erat ad sapientiam deueniendum. Cum enim scriptum sit: *Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo,* Angeli ad sapientiam non gradatim, sed in sua creatione per infusionem peruenerunt. Dixit autem homini sapientiæ reduci, ECCE, in primo suo vestigio, TIMOR DOMINI IPSA EST SAPIENTIA, *quia initium sapientiæ timor Domini*. Ceterum, cum dictum sit quod Deus VIDIT sapientiam & enarrauit, sub his verbis non solum cõprehendi debet modus, & ordo quo ipsam enarrauit, sed etiam quod enarrauerit quid ipsa sit. Quod obseruantes 70. pro TIMOR DOMINI transtulerunt *Theozobæiam*, quæ teste Augustino, *Latinè dicitur Pietas, siue, si ad verbi originem interpretaretur, dici poterat cultus Dei*. Qua in parte videntur mihi 70. etiam respexisse ad communicationem quam habet vocabulum Hebraicum cum Syriaco, nam vox Hebræa quæ hic Sy- *Eccl. 1.* *Psal. 110.* *de spir. & lit. c. 11.*
D riace ponitur cultum Dei significat, eum quidem qui solet deferri idolis, is tamen includit verum Dei cultum quia idololatria non est nisi Dei cultum deferre idolis. Idque 70. fecerunt maiore cum fundamento, per hocquod Iob credatur primitus Syriace conscriptus. Quærit autem Augustinus: *Et quis cultus eius? Nisi amor eius quo nunc desideramus eum videre, credimusque & speramus eum nos esse visuros, & quantum proficimus videmus nunc per speculum in ænigmate; satagimusque mentem nostram in inuisibilia eius intentam, ex eius æternitate, veritate, charitate proficienter formari.* inquit idem. Formari inquit. Dicit enim Bernardus: *Sapiens & pius animus in contemplatione summi boni speculatur etiam regulas incommutabilis veritatis, & exinde format sibi modum conuersationis cuiusdam cœlestis & formam sanctitatis.* Qua in re excelluit Diuus Antonius, qui cum non nosset legere, scripturarum intelligentiam & sanctissimæ con- *12. de Trin. c. 14.* *ibid c. 12.* *de vit. solit.*

in vitam D. Anton. mæ conuerſationis formam à ſumma veritate ſibi intus lucente percepit, teſte S. Athanaſio, ET RECIDERE A MALO, INTELLIGENTIA, ſiue SCIENTIA, vt diximus. *Quandoquidem ergo*, inquit Auguſtinus, *ſecundum tempus* 12. de Trin. c. 14. *in malis ſumus à quibus abſtinere debemus, vt ad bona æterna veniamus, quidquid prudenter, fortiter, temperanter, & iuſtè agimus, ad eam pertinet ſcientiam ſiue diſciplinam, qua in euitandis malis boniſque appetendis actio noſtra verſatur; & quidquid propter exempla vel cauenda vel imitanda. Et propter quarumque rerum quæ noſtris accommodata ſunt vſibus neceſſaria documenta, hiſtorica cognitione colligimus.* Ex quibus capite ſequenti concludit: *Si ergo hæc eſt ſapientia & ſcientia recta diſtinctio vt ad ſapientiam pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis, ad ſcientiam verò temporalium rerum cognitio rationalis, quid cuique præponendum ſiue poſtponendum ſit, non eſt difficile iudicare.* A

CAPVT XXIX. B

8. de geneſ. ad lit. c. 4. CVm ad præmiſſa amicorum nemo replicaret, ADDIDIT QVOQVE IOB ASSVMENS PARABOLAM SVAM. Parabolam inquit, *de qua nunquam exigitur vt etiam ad litteram facta monſtrentur quæ ſermone proferuntur*, inquit Auguſt. Patet in parabola decem virginum & ſimilibus. Allegoria verò & rei geſtæ & ſignificatæ poſtulat veritatem, prout patet in Abraham, qui ſecundum carnem duos habuit filios, & hoc ipſo figurauit duo Teſtamenta. Cum ergo ad ea quæ hoc & ſequenti capite Propheta eſt dicturus, ASSVMAT PARABOLAM, non debet exponi de rebus, aut geſtis Iob, ſed tanquam parabolicè dicta, nimirum de, & in perſona Eccleſiæ, vt in hunc locum. exponit Auguſtinus, dicens: *Hæc ex perſona dici videntur Eccleſiæ*, ſimul cum capite Chriſto, tanquam totus ipſe homo loquatur tempore abundantiæ tentationum & tribulationum. ET DIXIT, in perſona Eccleſiæ in ætate deuexa conſtitutæ inſuper per malorum multitudinem & improbitatem, honore ac priſtina authoritate multis partibus ſpoliatæ. C

Dixit autem QVIS MIHI, in tali rerum ſtatu conſtitutæ, TRIBVAT VT SIM IVXTA MENSES PRISTINOS, SECVNDVM DIES QVIBVS DEVS CVSTODIEBAT ME? ſicut dicit Chriſtus, *Quos dediſti mihi cuſtodiui*, Et cum Ioan. 17. eſſem cum illis, ego ſeruabam illos in nomine tuo. Nulla enim tunc erat ſollicitudo, ne aut à malis male gubernaretur Eccleſia, aut hæreſum vel ſchiſmatum laniaretur iniurijs. Nam nec corporales perſecutiones paſſa eſt, non aliquas pertulit intrinſecus vel extrinſecus aduerſitates. Loquitur itaque Iob ex perſona populi ad nouum Teſtamentum pertinentis, deLuc. 17. ſiderantis illos dies de quibus Dominus, *Venient dies quando deſideretis videre vnum diem filij hominis, & non videbitis.* Dicit autem menſes, non annos, D quia ex quo elegit Dominus diſcipulos, vſque ad paſſionem, *non anni, ſed* in hunc locum. *menſes fuerunt*, inquit Auguſtinus. Vel ſaltem tam pauci anni, vt magis per menſes & dies quam per annos fuerint commemorandi.

QVANDO SPLENDEBAT LVCERNA EIVS, ipſe Chriſtus, cui niſi competeret nomen lucernæ, non diceret Apocal. *Lucerna ciuitatis Dei eſt agnus*: qui Apoc. 21. ſecundum diuinitatem in ſe conſideratam lux eſt; SVPER CAPVT MEVM, quia vt caput & rector dicendo & demandando quid mihi foret agendum dirigebat me: Quod claret de præceptis quæ Dominus dabat Apoſtolis cum mitteret eos ad prædicandum in Iſraël, ET AD LVMEN EIVS AMBVLABAM IN TENEBRIS ignorantiæ meæ, nam talia præcepta ego per memetipſum excogitare non potuiſſem. Imo quam eſſent opportuna ne quidem

A quidem intelligere, sed ex sola fide quæ est argumentum non apparentium, ambulabam ad solum mandatum diuinæ lucernæ.

SICVT FVI IN DIEBVS ADOLESCENTIÆ MEÆ, ablato videlicet recenter secundum visibilem formam sponso, tunc enim in forma & authoritate quam nunc obtinet Ecclesia cœpit adolescere & loco Christi visibile caput habere. QVANDO SECRETO DEVS ERAT IN TABERNACVLO MEO per inuisibilem paracletum Spiritum sanctum dirigens & consolans me?

QVANDO, ad propugnandum & corroborandum ERAT OMNIPOTENS MECVM; Omnipotentia enim Dei commemorari solet quando agitur ad confortandum sicut clementia & misericordia quando agitur ad indulgendum, ET IN CIRCVITV MEO PVERI MEI? *qui mihi obsequebantur humiliter temporalia administrantes*, inquit August. Vel PVERI MEI, qui à prima

B fidei ætate *erant perseuerantes in doctrina Apostolorum & communicatione*, sic vt ædificando alterutrum *haberent gratiam ad omnem plebem*. Act. 2.

QVANDO LAVABAM PEDES MEOS BVTYRO? vt nimirum pinguedo charitatis multitudinem peccatorum quotidianorum non solum tergeret, verum etiam bonis operibus ac eleemosynis abunde compensaret. Pedum enim lotionem quotidianorum peccatorum abstersionem esse notum est. ET PETRA, quæ est Christus, FVNDABAT MIHI RIVOS OLEI? abundanter administrando introitum in regnum Dei. Quod item implebatur quando discipuli primitiuæ Ecclesiæ replebantur gaudio & Spiritu sancto. 1. Cor. 10. 2. Petr. 1. Act. 13.

QVANDO PROCEDEBAM AD PORTAM CIVITATIS? *Quæ iudicij secularis solet esse locus: vt nec agricola ad causam veniens, frequentia ciuitatis & nouo terreretur aspectu: nec vrbis habitator longè ab vrbe properaret, & subuectionem*

C *quæreret iumentorum*, inquit Hieronymus. Dicit ergo Ecclesia in suis Præpositis, QVANDO iudicia sæcularia tractaturus vel determinaturus, PROCEDEBAM AD PORTAM CIVITATIS, quia iuxta doctrinam Apostoli, *hoc ipsum habere iudicia & lites de sæcularibus rebus, delictum est, quod tamen ferendum esse admonet, si vel Ecclesiastico iudicio lites huiusmodi finiantur*, inquit Augustinus qui etiam se sæcularia iudicia exercuisse, vt hoc ipso dici possit ad portam ciuitatis processisse declarat alibi scribens: *Quærite & agnoscite labores occupationum nostrarum. Multo mallem per singulos dies certis horis, quantum in bene moderatis monasterijs constitutum est, aliquid manibus operari, quam tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotijs sæcularibus, vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præcidendis: quibus nos molestijs affixit Apostolus, non vtique suo; sed eius qui in eo loquebatur arbitrio. Quem tamen laborem non sine consolatione Domini suscipimus pro spe vitæ æternæ, vt fructum feramus cum* in cap. 5. Amos. 1. Cor. 6. 50. hom. vlt. de oper. mon. c. 29.

D *patientia*. Hæc Augustinus. Id autem officium circa viduas præsertim & pupillos Ecclesiam non solum de partium consensu, sed præstitisse iure tutelari, patet ex Concilio Matisconensi, dicente, *Quid scriptura diuina de viduis & pupillis præcipiat, nobis clam non est. Ideoque quia prouisioni nostræ Deo authore causæ principaliter viduarum & pupillorum sunt commissæ, decernimus, vt Iudices non prius viduas & pupillos conueniant, nisi Episcopo nunciarint cuius sub velamine degunt. Quod si Episcopus præsens non fuerit, Archidiaconus & Presbyter pariter sedentes communi deliberatione causis eorum terminos figant, ita iustè & rectè, vt deinceps de talibus antedictæ personæ non conquassentur. Quod si quis Iudex aut impetitor eis iniuriam aliquam ingesserit, aut hanc definitionem transgressus fuerit, à communione suspendatur.* Hæc ibid. quæ nunc extra vsum sunt, propter quod dixit Iob SICVT FVI IN DIEBVS ADOLESCENTIÆ MEÆ, 2. c. 12.

nouerat enim huius authoritatis vsum, sæcularium quodam typho abolendum. ET IN PLATEA PARABANT CATHEDRAM MIHI? Me enim ad portam procedentem vrgebat populus in ipsa platea docere vel prædicare, imo ad id posita cathedra mihi locum parabat. Cathedra enim docentium sella est. Id autem, ne sedulitatem Auditorum vel apparatum quem fecerant, mutus, ac velut aspernator præterirem. Quam consuetudinem primitiua Ecclesia deduxisse videtur à Domino, cui tempore iudicij quidam dicturi sunt, Domine nonne in plateis nostris docuisti? A

Luc. 13.

VIDEBANT ME IVVENES, ET ABSCONDEBANTVR, prout etiamnum iuuenum verecundia maiorum authoritate & grauitate conterrita, præ metu quodam reuerentiali ex eorum aspectu se subducit. Me verò accedente, SENES ad reuerentiam ASSVRGENTES erecta mente & corpore STABANT.

Denique me Portam ciuitatis ingresso PRINCIPES si negotia aut iudicia tractare cœpissent, CESSABANT LOQVI, ET ad continendum os suum sicut scriptum est. *Super ipsum continebunt Reges os suum*, DIGITVM SVPERPONEBANT ORI SVO. B

Isaie 52.

VOCEM SVAM COHIBEBANT DVCES. Diceres quia voce minus sonora, timidè & verecundè loquebantur, nisi sequeretur, ET LINGVA EORVM GVTTVRI SVO ADHÆREBAT, Quod importat absolutum silentium eorum qui vel metu conterriti vel veritate superati non habent quod dicant, nisi fortè dixerint, *Non est sermo in lingua mea.*

Psal. 138.

AVRIS AVDIENS BEATIFICABAT, ob abundantiam sapientiæ & gratiam spiritus qui in me loquebatur beatum prædicabat ME, prout *mulier extollens vocem de turba*, beatificabat Christum, cum diceret, *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Non enim verba mea oris eligebantur industria, sed, quod dixit Augustinus, *pectoris sequebantur ardorem.* ET OCVLVS VIDENS opera & conuersationem meam TESTIMONIVM REDDEBAT MIHI quod essem vir bonus, cum Barnaba, plenus spiritu sancto & fide. C

Luc. 11.

Act. 11.

EO QVOD LIBERASSEM PAVPEREM VOCIFERANTEM, præ violentia qua apud Iudices à parte opprimebatur, sicut scriptum est, *Eripite pauperem & inopem de manu calumniatoris liberate.* Vel vociferantem præ inopia, vt eleemosynam acciperet aut etiam in idipsum præ foribus canentem. Dicit namque Augustinus de suis temporibus, *Iam mendicus ad ianuam cantat Christum.* ET PVPILLVM CVI NON ESSET ADIVTOR, Quod significat hic magis esse sermonem de iudicio quam eleemosyna.

Psal. 81.

Ep. 40.

BENEDICTIO, quæ Ambrosio *est sanctificationis & gratiæ votiua collatio.* prout benedictio Dei est earundem collatio effectiua; PERITVRI, morte violenta; SVPER ME VENIEBAT, quia iuxta mandatum Sapientis prece ac pretio *erui eos qui ducebantur ad mortem.* Quos variè describens Ambros. & huius subuentionis necessitatem aperiens, dicit, *Grandis culpa si sciente te fidelis egeat: si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, ærumnam perpeti: Si in causam ciciderit aut captiuitatis suorum aut calumnia & non adiuues; Si sit in carcere, & pœnis & supplicijs propter debitum aliquod excrucietur; si tempore afflictionis suæ nihil à te impetret; Si tempore periculi quo rapitur ad mortem plus apud te pecunia tua valeat quam vita morituri. De quo pulchrè Iob dixit, Benedictio perituri in me veniebat.* Hæc ibi, & alibi, *Quantum ò diues sumis tibi iudicium. Populus esurit, & tu horrea tua claudis: populus deplorat, & tu gemmam tuam versas. Infelix, cuius in potestate est tantorum animas à morte defendere, & non est voluntas. Totius vitam populi poterat annuli tui gemma seruare:* D

de benedict. Patr. c. 20.

Prou. 24.

1. offic. c. 30.

de Naboth. c. 13.

Audi

A *Audi planè qualis diuitem deceat prædicatio: liberaui, inquit, pauperem de manu potentis & orphanum, cui non erat adiutor. Benedictio perituri super me venit, os autem viduæ me benedixit.* Hæc Ambrosius. Qui tamen alibi pro PERITVRI, legit MORITVRI, explicans de illis qui ex infirmitate corporis decumbentes videntur morituri, de quibus sic dicit. *Isaac & Iacob benedixerunt filios suos, tamen benedictionis illius gratia poterat benedicentium meritis deputari: hic verò* (vbi de benedictione morituri sermo est) *nulla prærogatiua meritorum est, nulla pietatis, sed solius mortis priuilegium, cum benedictio cuiusque morituri tantum virtutis habeat, vt eam sibi sanctus Iob optauerit* (legit Ambrosius cum 70. pro venit, VENIAT.) *Et per hoc cogitemus semper hunc versiculum, & corde teneamus. Si viderimus pauperem moriturum sumptu iuuemus, & dicat vnusquisque nostrum: Benedictio morituri in me veniat. Si quem viderimus debilem, non deseramus: Si quem in extremis positum, non relinquamus: occurrat & nobis dicere, Benedictio morituri in me veniat. Laudet & te vnusquisque moriturus, vnusquisque depositus æuo, vnusquisque confectus vulnere graui, vnusquisque morbo absumptus etiam morti proximus. Hic versiculus quantos benedici fecit! Quoties mihi pudorem incussit si moriturum præterij, si non visitaui grauiter ægrum, si fastidiui inopem, si captiuum non redemi, si senem spreui? Sit ergo in corde semper vt stimulet duriores, vt admoneat promptiores. Resonent te postrema verba morituri, & benedictionem tui egrediens corpore anima secum vehat.* Hæc Ambrosius. ET COR VIDVÆ CONSOLATVS SVM tristitiæ ac necessitati ipsius ea humanitate, facilitate, liberalitate subueniendo, vt mihi respondere posset, *Locutus es ad cor ancillæ tuæ*, quod D. Hieronymo est, *consolatus es me.* Quod monuisse videtur Isaias quando dixit, *Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris.*

[Margin: Psal. 34. — de bon. mort. c. 8. — Ruth. 2. — cap. 58.]

IVSTITIA INDVTVS SVM: ET VESTIVI ME, SICVT VESTIMENTO, quia ad authoritatem vel reputationem non quæsiui exteriora ornamenta, sed iustitia mea præbuit mihi splendorem, qui nunquam marcessit, dicente Ambrosio. *Sapiens nunquam inanis est, semper in se habens amictum prudentiæ, qui potest dicere, Iustitiam induebam sicut dixit Iob. Namque hæc mentis sunt interna velamina, quæ nemo alius possit auferre nisi cum aliquem sua culpa despoliat. Denique sic despoliatus Adam, nudus inuentus est: At verò Ioseph etiam vestimento exteriore relicto nudus non erat, quia salua habebat indumenta virtutis.* Augustinus interim legit, *Iustitia vestitus eram, & circumdedi mihi iudicium sicut chlamydem: Nam*, inquit, *& ista vestis belli magis solet esse quam pacis, vbi adhuc expugnatur concupiscentia, non vbi erit plena sine aliquo prorsus hoste iustitia, nouissima inimica morte destructa.* ET DIADEMATE IVDICIO MEO, Insigne enim iudiciariæ potestatis meæ non fuit splendidum aliquod capitis ornamentem, sed iudicium verum & iustum.

[Margin: C — 2. de Iacob. c. 5. — Gen. 3. — Gen. 39. — de perfect. iust. rat. 17]

D OCVLVS FVI CÆCO, quia cæcis miraculosè oculos & visum restitui. ET PES CLAVDO, dans ei pedes quibus posset absque defectu ambulare. Vel etiam fui OCVLVS CÆCO quia tantum *absfuit me ponere coram cæco offendiculum, vt magis per viam ipse deduxerim eum.* Similiter fui pes claudo, quia ipsum aut sustentaui, aut meos humeros quibus inniteretur exhibui vt valeret procedere. Quin & iudicio cæcis, prudentiæ consilia suppeditans, ipsis quasi oculus fui, & vacillantes sermonibus meis confirmans, absque claudicatione progredi feci.

[Margin: Leuit. 19.]

PATER ERAM PAVPERVM, in eos paterno affectu studioque propensus, nihilominus CAVSAM QVAM NESCIEBAM, DILIGENTISSIME INVESTIGABAM, ne vllatenus acciperem personam pauperum vel eorum in iudicio misererer.

CONTEREBAM MOLAS INIQVI, iuxta quod scriptum est, *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, molas Leonum confringet Dominus*, quia hæreses ex ipso hæreticorum ore conuincebam, & sic dentatas eorum doctrinas inualidabam, ET DE DENTIBVS ILLIVS AVFERREBAM PRÆDAM, nam quibus hæretici ad deuorandum iam dentes immiserant, eos ex potestate eorum cum effectu auferebam. Cuius rei figuram gessit Dauid cum de *ore Leonis vel vrsi raperet abreptam è grege suo prædam*. A

Psal. 57. *1.Reg. 17.*

DICEBAMQVE: IN NIDVLO MEO pace & quiete, MORIAR, neque præmaturè, sed SICVT PALMA MVLTIPLICABO DIES, deuenturus ad extremam senectam, Quod intelligi debet Ecclesiam dixisse in suis rectoribus per piam præsumptionem, prout & euenit Hieronymo alijsque, qui ad senectam & senium Ecclesiam direxerunt.

RADIX MEA APERTA EST SECVS AQVAS, vt similis sim ligno quod apud Ieremiam, *ad humorem mittit radicem suam*, vt illa nunquam arescat. B
ET ros affluentis diuinæ gratiæ MORABITVR IN MESSIONE MEA, vt nimirum semper æquè magnum colligam laborum meorum prouentum.

Ierem. 17.

Me autem decedente GLORIA MEA SEMPER INNOVABITVR in successoribus meis. Illi enim vt meæ virtutis, ita & meæ authoritatis ac gloriæ erunt hæredes. ET ARCVS MEVS ex quo emitto verbi Dei *sagittas* cadentes (ad conuersionem) *in corda inimicorum Regis*, IN MANV MEA, successorum inquam meorum, qui erunt mihi altera manus, INSTAVRABITVR, in eis enim non erit minor virtus dicendi, mouendi, penetrandi, quam fuit in me.

Psal. 44.

QVI, ex ordine Auditorum, ME AVDIEBANT, tanquam acquiescere parati & morem gerere resoluti EXPECTABANT SENTENTIAM, contra eam nihil excepturi, moturi, disputaturi. ET INTENTI TACEBANT AD CONSILIVM MEVM, non solum præceptis, aut definitionibus, sed & consilijs meis toto animo inhærere parati. C

VERBIS MEIS ADDERE NIHIL AVDEBANT, non solum quia verebantur more falsariorum verba sua tanquam mea obtrudere, verum etiam quia non volebant plus quam traditum aut definitum erat recipere vel admittere, dicente Tertulliano. *Nobis nihil ex nostro arbitrio licet inducere, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos habemus Authores, qui nec ipsi quidquam quod ex suo arbitrio inducerent elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam nationibus fideliter assignauerunt.* Et Cyrillo, *Patrum studiosis laboribus nostram intelligentiam coaptantes, ita eos per omnia sequimur, vt nihil nouum rectis dogmatibus inferamus.* Rectè ergo dicit Iob NIHIL ADDERE, quia licet Ecclesiæ ex principijs Apostolorum ac Patrum plures conclusiones deducere. Id enim est acceptis duobus denarijs, cum stabulario euangelico, supererogare. ET SVPER ILLOS STILLABAT ELOQVIVM MEVM, non enim duriter cadebat vt dicerent, *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire*, sed decidebat vt stillæ pluuiæ humectantes, emollientes, & ad frugem disponentes Auditorum affectum. Cuiusmodi eloquium optabat sibi Moyses cum diceret, *Concrescat* in animo ac conceptu meo, *vt pluuia doctrina mea*, quæ possit Auditoribus fœcunditatem adferre, *fluat vt ros eloquium meum*, vt illius fœcunditatis sit verbum quando dicetur, cuius erit quando concipitur. D

de præscrip. c. 6. *Epist. ad Successum.* *Luc. 10.* *Ioan. 6.* *Deut. 32.*

QVI EXPECTABANT ME SICVT PLVVIAM, conueniebant ad audiendum sermonem meum, prout & illi qui desiderabant meum ad ipsos aduentum, scientes quod cum venirem, venirem in abundantia benedictionis Dei.

Rom. 15.

A nis Dei. ET me dicente vel adueniente præ auiditate audiendi, OS SVVM APERIEBANT, QVASI AD IMBREM SEROTINVM, diu exſpectatum, præſertim quia exſpectabant etiam ſermonem meum, vt perficerem ea quæ adhuc deerant fidei ipſorum; Imber verò ſerotinus decidit ad perfectam maturitatem & complementum frugis.

SI QVANDO RIDEBAM AD EOS, arridendo illis vel quippiam dicendo per iocum, NON CREDEBANT me tantum ludere vel iocari velle, non dubitabant enim quin ridendo vera dicerem, vtilia inſinuarem: Tanta primitiuo tempore erat exiſtimatio de grauitate Eccleſiæ explentis illud Bernardi, *Iocus non redoleat leuitatem, & authoritas, hilaritatis non minuat gratiam.* ET LVX VVLTVS MEI NON CADEBAT IN TERRAM, ſiue enim vultu eſſem hilari, ſiue ſubtriſti, ſiue indignabundo, ſiue toruo, excipiebatur ab intuentibus ad correptionem aut aliam vtilitatem, ſic vt me ne fruſtra quidem B aſpicerent, ſed forma vultus mei etiam valeret ad ædificationem. Epiſt. 227.

SI VOLVISSEM IRE AD EOS, SEDEBAM PRIMVS, quia eccleſiaſticæ dignitati tunc temporis primus in omni conſeſſu deferebatur locus. Nec abs re, *Habemus enim nos Sacerdotes noſtram nobilitatem, præfecturis & conſulatibus præferendam. Habemus inquam fidei dignitates, quæ perire non norunt*, inquit Ambroſius. CVMQVE SEDEREM, QVASI REX CIRCVMSTANTE EXERCITV, eo quod ſeculares præ reuerentia non auderent coram Epiſcopis niſi ſtare: Nec vacat quod dicit: CIRCVMSTANTE EXERCITV, id enim indicat quod circumſtabant Epiſcopum protecturi: quale quid contigit Ambroſio de quo ſcribit Zozomenus, *quod cum iuſſu Valentiniani à militibus pertraheretur eadem hora abducendus in exilium, circumfuſa illi multitudo, nixu toto obſiſtebant militibus, adeo vt in commune ſtatuerint prius mortem oppetere quam neglectim tranſmittere Sacerdotem.* Quò pertinet quod Euariſtus Papa anno ſuo C primo inſtituerit ſeptem Diaconos qui Epiſcopum prædicantem cuſtodirent. ERAM TAMEN MOERENTIVM CONSOLATOR, quia in tanta gloria aut authoritate non dedignabar pauperes prouidentia, imo ope & opera conſolari, ac refrigerare. Quod in Leone ſecundo claruit.

de exhort. ad Virg. in fine. 7. c. 13. Baron. anno Chriſti. 112. Tom. 2. Breuiar. Rom. 28. Iunij.

CAPVT XXX.

NVNC AVTEM, tranſacto tempore adoleſcentiæ meæ & me ad ſenectam atque ſenium vergente, implendo illud Petri, *Venient in nouiſſimis diebus in deceptione illuſores iuxta proprias concupiſcentias ambulantes*, DERIDENT ME IVNIORES TEMPORE, hæretici nimirum qui poſterius orti ſunt, idque, quia, vt bene docet Tertullianus, *Opus eorum de deſtru-* D *ctione venit. Nihil autem poteſt deſtrui quod prius non fuerit ædificatum.* Quocirca idem ibidem, *Ineptum eſt, vt doctrinâ prior hæreſis habeatur.* Poſterius autem emergere, quantopere præſcribat hæreticis, docet Athan. dicens, *Quod non à Patribus profectum eſt, ſed nuper inuentum, quid de eo aliud exiſtimari debet quam illud Pauli, In nouiſſimis temporibus deficient quidam à recta fide.* Et Hilarius, *Primum orata à te impatientiſſimi doloris mei venia, loqui me apud te Omnipotens Deus patere, & me terram ac cinerem, charitatis tamen tuæ religioni deuinctum, liberum in hæc verba permitte. Ego infelix nihil antea fui & vitæ ſenſus expers ſine mei intelligentia, eo quod ſum, carebam. Sed miſericordia tua ad viuendum mihi cauſa eſt, & non ambigo, quin tu bonus, bonum mihi ſtatueris eſſe quod natus ſum. Neque enim qui mei non eges, ad mali me originem inchoaſſes. Sed cum me in vitam animatum, rationis quoque intelligentem præſtitiſſes, ad cognitionem me tui, ſacris, vt*

2. Petri 3. de præſcrip. c. 41. cap. 29. ſerm. 2. con. Arr. 1. Tim 4. lib. 6. de Trin.

arbitror, per seruos tuos Moysen & Prophetas voluminibus erudisti, ex quibus te non in solitudine tua venerandum prodidisti. Cognoui tecum illic Deum, non alterum in natura, sed in sacramento substantiæ tuæ vnum. Hoc mihi rursum euangelicæ atque Apostolicæ voces loquuntur, & ex ipso sacro Vnigeniti tui ore condita in libris verba testantur. Filium tuum ex te ingenito Deo Vnigenitum Deum, & hominem ex virgine ad mysterium salutis meæ natum, in quo te generationis ex te veritas contineret, & quem in te, manentis ex te natiuitatis natura, retineret. In quod me oro profundum desperati reditus demersisti? Hæc enim ego ita didici, ita credidi, & ita confirmatæ mentis fide teneo, ne aut possim credere aliter aut velim. Quid me miserum de te fefellisti, & infelicem carnem atque animam aliena à te cognitionis doctrinâ tradidisti? Decepit me post rubri maris diuisionem gloria descendentis de monte Moysi, & omnia tecum arcanorum cælestium decreta cernentis? Huic ego de te verbis tuis credidi. Perdidit me repertus secundum cor tuum Dauid, & dignus Salomon diuinæ sapientiæ munere, & viso Domino Sabaoth Isaias prædicans, & ante conformationem sanctificatus in vtero Ieremias, & mysterij resurrectionis Ezechiel testis, & vir desideriorum Daniel temporum conscius, & Prophetarum consecratus chorus, & omne prædicationis euangelicæ sacramentum, electus ex publicano Matthæus in Apostolum, & ex illa familiaritate Domini & reuelatione cælestium mysteriorum dignus Ioannes, & post sacramenti confessionem beatus Simon ædificationi Ecclesiæ subiacens & claues regni cælestis accipiens, & reliqui omnes Spiritu sancto prædicantes, Et ex persecutore Apostolus vas electionis tuæ Paulus, in profundo maris viuens, in cælo tertio homo, in paradiso ante Martyrium, in Martyrio perfectæ fidei consummata libatio? Ab his ergo quæ teneo edoctus sum, his immedicabiliter imbutus sum. Et ignosce Omnipotens Deus quia in his, nec emendari possum & commori possum. Tarde mihi hos pijssimos, quantum ego arbitror, Doctores, ætas nunc huius seculi protulit. Sero hos, habuit fides mea quam tu erudisti, magistros. Inauditis ego omnibus his, in te ita credidi, per te ita renatus sum, & exinde tuus ita sum. Hæc Hilarius. QVORVM NON DIGNABAR PATRES, hæresiarchas PONERE CVM CANIBVS, aduigilatoribus, propugnatoribus, GREGIS MEI, mihi à Christo ad pascendum dirigendumque demandati. De quibus canibus Psal. *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso, eo quod huiusmodi canum sit, in medelam dolentium vulnerum venenorum virus extinguere, animorum desipientium labes reddita sanitate purgare, infestis iubere pacem, violentis quietem, ferocientibus lenitatem*, inquit Cypr. Cum his inquam canibus non dignabar Patres eorum ponere, nec Ecclesiarum illis sollicitudinẽ imponere. Quod Epiphanius declarat exemplo Marcionis, *qui cum virginem corrupisset, à proprio patre, Episcopo præcellente, ex Ecclesia (* Ecclesiasticorum ordine *) eijcitur. Ipse autem non ferens multorum ludibrium, ab vrbe sua aufugit, & venit Romam, cum mortuus est Hyginus Episcopus à Petro & Paulo Apostolis nonus: & cum senibus adhuc superstitibus à discipulis Apostolorum, congressus, petebat vt in congregationem reciperetur & nemo ipsi permittebat. Æmulatione igitur elatus, vbi non accepit præsidentiam & ingressum Ecclesiæ (* Collegij Præpositorum Ecclesiæ, de quo scriptum est, *Dic Ecclesiæ*, Et, *In Ecclesiam non transilient.)* Huius dico Ecclesiæ ingressum *cum non accepisset, scissuram efficit, sibimetipsi hæresim erigens, & dicens, Ego scindam Ecclesiam vestram & mittam fissuram in eam in æternum.* Hæc Epiphan. Quod ipsum potest alijs exemplis commonstrari, ita vt hæresiarchæ, etiam ante excogitatam hæresim, ob prauos mores vt plurimum habiti fuerint præfectura Ecclesiastica indigni.

Psal. 67. *Epist. 2.* *Hæresi 42.* *Mat. 18.* *Eccl. 38.*

QVORVM VIRTVS MANVVM MIHI ERAT PRO NIHILO. Noueram enim Apostolum dixisse, *Speciem quidem pietatis habentes virtutem autem eius abnegantes.* ET VITA IPSA PVTABANTVR INDIGNI, ob scelera quæ etiam

2.Tim. 3.

A iam ante conditam hæresim commiserunt: inter quos reponi potest Donatus de quo dicit Cypr. *Quod vxoris suæ vterum calce percutiens, suum filium occidit antequam eum vidit natum*, Imo putabantur vita indigni ob solam hæresim, quia potestates sublimiores quæ gladium portant censebant vel solam hæresim esse crimen morte mulctandum. *Ecclesiastica enim lenitas sacerdotali contenta iudicio, cruentas refugit vltiones, seueris tamen principum constitutionibus adiuuatur dum ad spirituale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium*, inquit Leo. Quocirca cum Ecclesiasticus ordo hactenus locutus sit in prima atque sua persona, hic dicens, PVTABANTVR, in tertia persona loquitur insinuans eos qui id censuerunt, alterius à se ordinis esse: se tamen ipsorum censuram non improbare, eo quod Tertull. talem censuram licitam esse deducat ex veteri lege, vbi præcipitur Propheta falsus occidendus. Et non inconcinnè, quia, inquit, *radix euangelij lex, & per legem* B *Deum didicimus. Ad officium hæreticos compelli, non illici dignum est. Duritia vincenda est non suadenda.* Dicente in idipsum Bernardo, *Melius hæretici à legitima potestate occiderentur, quam diutina vita multos seducant.*

Epist. 49. — Epist. 92. — Scorp. c. 2. — Deut. 18. — serm. 66. in Cant.

EGESTATE ET FAME STERILES, conuersi enim ad vesperam, ab Occidente obuenientem famem patiuntur vt canes, quia veram saturitatem è verbo Dei non inueniunt. QVI RODEBANT IN SOLITVDINE, in principio nimirum priusquam in apertum prorumperent. Tunc enim in suis latibulis tenellas contradictiunculas suas apud semetipsos rodebant, quale quid August. de gentilibus dicit, *quod clarescente Ecclesia tepidas & trepidas contradictiunculas in sinu suo rodebant*. SQVALLENTES CALAMITATE ET MISERIA, quia partim remorsu conscientiæ, partim inuidia ac æmulatione contabescebant.

Psal. 58. — 1. de consen. Euan. c. 8.

ET MANDEBANT HERBAS, *quia de scripturis verbotenus tamen disputantes* C *eas solum mandunt, non digerunt*, inquit Hieron. *vt vniuersam doctrinam eorum, sicut & Scribarum & Pharizæorum, & cuncta mysteria dicamus vomitu plena & sordium, dum scripturarum sanctarum non digerunt cibos: nec vniuerso corpori faciunt esse vitales, sed immaturos & fætentes egerunt, ita vt nullum in eis Deus reperiat locum.* Hæc Hieron. ET ARBORVM CORTICES, *quia verbis tantum scripturarum inhærent. Si enim ad scientiam & profunda diuinorum venerint librorum, errare non poterunt*, inquit Idem. ET RADIX IVNIPERORVM quæ in arenosis frequentes crescunt, vnde & Elias desertum penitius ingressus, inuenit iuniperum sub qua quiesceret. Harum ergo arbuscularum radix ERAT CIBVS EORVM. Neque enim vescuntur *de ligno quod transplantatur super aquas quod ad humorem mittit radicem suam*, sed radicibus aridis & infructuosis pasti ipsi radicitus aridi sunt & spiritu destituti.

in cap. 28. Isa. — in cap. 16. Ezech. — 3. Reg. 19. — Ierem. 17.

QVI DE CONVALLIBVS, suis cordibus, ISTA, quæ in medium adfe- D runt RAPIENTES, iuxta quod dixerat Ieremias seductionem cordis sui prophetant vobis, & visionem cordis sui Prophetæ vestri loquuntur. Bene ergo de conuallibus, *non est enim sapientia eorum de sursum descendens à patre luminum.* CVM SINGVLA, particulas quasdam de scripturis aut Patrum verbis REPERISSENT, tanquam cordium suorum sensibus accommodatas, nihil circumspicientes ad illa quæ circumstant, aut quæ de eadem re alijs locis dicuntur, AD EA, quasi parta euidenter victoria triumphabundi CVM CLAMORE CVRREBANT. Dicit verò Cyrill. *Probè facerent hæretici omnes, si vndique studerent verum scripturarum sensum venari, nec ad voluntatem suam omnia vertere, atque inde falsos syllogismos connectere. Si enim offendit eos quod Pater maior Filio scribitur; iuuet illud quod de Filio ab Euangelista apertissimè dicitur, Patrem suum dicebat Deum æqualem seipsum faciens Deo: quomodo ergo aliena substan-*

Cap. 14. — Iac. 1. — 1. Thesau. c. 3. — Ioan. 14. — Ioan. 5.

 tia est,

tia est, cui æqualis est? Nam quæ naturaliter æqualia sunt, eiusdem penitus substantiæ A
sunt. Esse autem hæreticis proprium SINGVLA apprehendere & non amplecti totum, scribens Cyprian. *Corruptores*, inquit, *euangelij atque interpretes falsi extrema ponunt & superiora prætereunt, partis memores, & partem subdolè comprimentes*. Et Hieron. *Nostra Ierusalem ab hæreticis scinditur; quia vnum & alterum testimonium scripturarum de proprijs carpentes locis, conantur assuere his quibus non queunt coaptare*. Propter quod Iren. *Quemadmodum in palestra insueti concertantes alijs, vnam quamlibet partem corporis totis complectentes manibus, per illud quod detinent cadunt, & cadentes putant se vincere, eo quod contentiosè teneant illud quod primum apprehenderunt membrum, super hoc autem quod ceciderunt & derisui habeantur, sic & hæretici*. Nec differt August. dicens, *Dixit Dominus, quæ dicunt facite, sed quæ faciunt, facere nolite. Quando illud audiunt Clerici mali quod in ipsos dicitur, volunt peruertere istam sententiam. Nunquid non si illis liceret, delerent illam de Euangelio? Quia verò delere illam non possunt, peruertere illam quærunt*. B *Sed adest Domini gratia & misericordia, nec sinit eos facere, quia circumsepsit veritate sua omnes sententias suas & librauit: vt quisquis inde aliquid præcidere voluerit, aut inducere male legendo, vel interpretando, ille cor habet quod præcisum est. Iungat scripturæ, & legat superiora vel inferiora & inueniat sensum quem volebat ille malè interpretari*. Hæc August.

de vnit. Ecclesiæ. *in cap. 16. Ezech.* *5. c. 13.* *serm. 49 de verb. Domini.* *Mat. 23.*

IN DESERTIS HABITABANT, sed monuit Dominus, *Si dixerint, Ecce in deserto est, nolite exire*. Desertis inquam TORRENTIVM, quia de illis dicit Dominus, *me dereliquerunt fontem aquæ viuæ & foderunt sibi cisternas, quæ non valent continere aquas*. Torrentes enim è collectaneis pluuiarum defluunt. Dicit proinde de hæreticis Psalmus, *Ad nihilum deuenient sicut aqua decurrens*. ET IN CAVERNIS TERRÆ, de quibus Dominus, *Si dixerint, Ecce in penetralibus, nolite credere*. Et illi propriè sunt qui sectam suam commendant titulo secretioris doctrinæ, vt fuerunt Priscillianistæ. VEL SVPER GLAREAM, C quam diximus esse arenam multis lapillis inspersam, quæ inuenitur in littore maris vel ripis fluminum. Super quam habitare propriè competit hæreticis. *Non enim sunt fundati super viuam petram, sed super arenam habentem in se multos lapillos*, inquit Irenæus. Lapillos inquit, tenent enim hæretici multos articulos veræ fidei atque doctrinæ, quæ tamen omnes non efficiunt vnam aliquam petram, sed sparsim inhærent arenæ & proinde quidquid ædificant superexstruunt glareæ. Sed viua petra de qua Irenæus hic non potest intelligi Christus, quia tametsi hæretici non ædificent super Christum ex fide, ædificant tamen super Christum professione. Vt itaque ad oculum ostendas ipsos super viuam petram non ædificare, petram viuam, intellige petram animatam, atque adeo eum cui pro se suisque successoribus dictum est: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Cum enim hæretici ad vnum omnes illam petram repudient, manifestè inueniuntur super viuam D petram non ædificare.

Mat. 24. *Ierem. 2.* *Psal. 57.* *Mat. 24.* *Matt. 7.* *lib. 3. c. 4.* *Mat. 16.*

QVI INTER HVIVSCEMODI, deserta videlicet, cauernas, infida fundamenta LÆTABANTVR, arbitrati se veritatem singulariter adeptos. ET ESSE SVB SENTIBVS spinetis, infructuosis, vel ipso fructu suo amaris, DELICIAS COMPVTABANT, se enim ibidem in delicijs agere sibi persuadebant, sed frustra, *Nunquid enim colligunt de spinis vuas aut de tribulis ficus?*

Matt 7.

FILII STVLTORVM ET IGNOBILIVM. Huiusmodi enim vt plurimum sunt patriarchæ hæreticorum, ET ob ignobilitatem & obscuritatem IN TERRA PENITVS NON PARENTES, nullum sui indicium aut notamen ostendentes.

NVNC IN EORVM CANTICVM VERSVS SVM, ET FACTVS SVM EIS IN PRO-

A IN PROVERBIVM, quia irrisorias cantilenas ac dicteria in me passim iactant, & per illa me ludibrio exponunt. Nam sequitur, ABOMINANTVR ME, ET LONGE FVGIVNT A ME, nam ne minimam quidem mecum habere volunt communionem. Exemplum habes in Puritanis. ET FACIEM MEAM CONSPVERE NON VERENTVR, quod ad litteram frequenter euenit Ecclesiasticis, qui venerint in potestatem hæreticorum.

PHARETRAM ENIM SVAM in qua ad tempus oportunum sagittas suas, vt habet Psalmus 10. dudum abscondit, Hanc dico APERVIT, ET quod diu in animo coxerat in me effundendo, AFFLIXIT ME, ET FRÆNVM POSVIT IN OS MEVM, quo me ducat, & reducat ad suam ipsius voluntatem.

AD DEXTERAM ORIENTIS, huius quem dico aduersarij mei, CALAMITATES MEÆ ILLICO SVRREXERVNT. Vt primum enim oritur hæresis; B vnicuique Prouinciæ mox magnas secum inuehit calamitates. PEDES MEOS SVBVERTERVNT, vt non valeam secundum fidem meam ambulare. Nec enim possum festis diebus officinam claudere, ieiunia & reliquos religionis meæ ritus exercere. ET OPPRESSERVNT QVASI FLVCTIBVS SEMITIS SVIS, quia mores suæ conuersationis tam copiosè & violenter in rempub. inuexerunt, vt mores religionis antiquæ videantur de repub. palàm exterminati.

DISSIPAVERVNT ITINERA MEA, quia non licet mihi ad ea quæ religionis meæ sunt ingredi consortibus stipato, sed dum nobis procedendum est, oportet nos per diuersas semitas dissipari, si fortè possimus ad optatum terminum conuenire. In quibus tamen dissipatis itineribus, INSIDIATI SVNT MIHI, vt non possim per illa multis me obseruantibus tutò procedere; ET PRÆVALVERVNT secundum exteriorem hominem & exterio- C rem reipubl. formam, ET NON FVIT QVI FERRIT AVXILIVM omni ope, propugnatore, præsidio, destitutæ. Idque, quia ob multitudinem quæ factioni hæreticorum se adiungit QVASI RVPTO MVRO, ET APERTA IANVA, IRRVERVNT SVPER ME, ET AD MEAS MISERIAS exasperandas ac multiplicandas successu prono, velut cum globus deorsum voluitur, DEVOLVTI SVNT.

REDACTVS SVM IN NIHILVM, quoad pristinum statum, splendorem & authoritatem: ABSTVLISTI. Conuertit enim hic Propheta sermonem ad Deum, sub cuius iustis iudicijs hæc transfiguntur. Abstulisti ergo QVASI VENTVS cui non est reditus DESIDERIVM MEVM, quo desiderabam siue sperabam à te in integrum restitui, quia in potestatem hæreticorum quibusdam locis eousque deueni, vt non sit spes pristinum recuperandi: ET VELVT NVBES, quæ, vt supra auditum est pertransit, & non reuertitur, PER- D TRANSIIT SALVS MEA status mei publici, quia etiam tali in tempore non desunt Ecclesiæ qui ad salutem perueniunt.

NVNC AVTEM præ luctu & mœrore IN MEMETIPSO MARCESCIT ANIMA MEA, ET POSSIDENT ME DIES AFFLICTIONIS, *nolentem consolari quia non sunt.* *Matth. 2.*

NOCTE OS MEVM PERFORATVR DOLORIBVS, quia afflictio animi ossa & medullas eorum peruadit, idque tempore ad refocillationem mihi concesso, vt ne tunc quidem mihi quies. ET QVI ME COMEDVNT NON DORMIVNT, quidam intelligunt vermes, de quibus supra diximus, &, sicut reliqua huius capitis, accommodant personæ Iob. Sed obstat quod sequitur, IN MVLTITVDINE EORVM CONSVMITVR VESTIMENTVM MEVM. Sunt igitur quasi qui carnem hominis & vestimentum tantum consumunt. Id autem

autem faciunt hæretici quia ſpoliant fideles veſtibus ſuis præſertim Eccleſiaſticis, ET ad ludibrium QVASI CAPITIO TVNICÆ more ſtultorum SVCCINXERVNT ME, reddentes me plenum verecundia & confuſione ſicut ſcriptum eſt: *Tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei mea cooperuit me.* Quem ſenſum ſuggerit Bernardus, dicens, *Omnes capitium ſua verecundiæ portant.* A

Pſal. 43. ſerm 78. in Cant.

COMPARATVS SVM LVTO, quia vt lutum ita res meas æſtimauerunt ſordes ipſas. ET ASSIMILATVS SVM FAVILLÆ, ET CINERI quia *incenderunt igni ſanctuarium tuum, polluerunt tabernaculum nominis tui.*

Pſal. 73.

CLAMO AD TE, ET NON EXAVDIS ME, ad meam voluntatem, etiamſi orationes eaſdem non deſinas exaudire ad ſalutem, vt ſupra ex Auguſt. allegauimus, STO in oratione perſiſto, ET NON RESPICIS ME per prouidentiam circa ſtatum meum.

MVTATVS ES MIHI IN CRVDELEM. Cum autem crudelis malis delectetur alienis, id verò à Deo ſit alienum qui non delectatur perditionibus noſtris, per ſequentia explicatur quovſque hæc crudelitas debeat intelligi, nam ibi dicitur ET IN DVRITIA MANVS TVÆ, dura caſtigatione tua quæ pro magnitudine virtutis atque iuſti iudicij tui dura eſt mortali, In hac dico ADVERSARIS MIHI dando hoſtibus ſucceſſum, meis rebus nullum. B

Sap. 1.

ELEVASTI ME ad florem & priſtinam ſtatus mei authoritatem ſuperiori capite deſcriptam: ET QVASI SVPER VENTVM, rem fragilem & verſatilem PONENS ELISISTI ME VALIDE, prout omne quod in ſublimi ponitur, quando corruit grauius colliditur.

SCIO QVIA MORTI TRADES ME. Veniet enim tempus quo per mortem vniuerſorum, ſtatus Eccleſiæ præſentis deueniet ad finem, ad quem per perſecutionem Antichriſti ſe non deueniſſe ſibi gratulatur, cum dicit, *Caſtigans caſtigauit me Dominus, &, morti non tradidit me.* VBI CONSTITVTA EST DOMVS OMNI VIVENTI, *quia ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, ſcimus quod ædificationem ex Deo habemus domum non manu factam æternam in cælis,* prout & aduerſarij mei tunc ingredientur domum de qua ſcriptum eſt, *Sepulchra eorum domus illorum in æternum.* C

Pſa. 117. 2. Cor. 5. Pſal. 48.

Tametſi ergo à morte quam dixi illa domus maneat aduerſarios meos: VERVMTAMEN NON AD CONSVMPTIONEM EORVM EMITTIS MANVM TVAM. Non enim *omnes aduerſantes mihi ſine cauſa* penitus conſumes, quia etiam tempore perſecutionis quoſdam ex eis ad me conuertes, vt vel ea ex parte non deſit mihi conſolatio, ET SI CORRVERINT à fide, & conuerſi mihi fuerint in aduerſarios, per eorundem conuerſionem & pænitentiam IPSE quibus iratus eras, SALVABIS.

Pſal. 3.

FLEBAM QVONDAM tempore honoris & authoritatis meæ SVPER OMNI EO QVI AFFLICTVS ERAT, ita enim vel legit, vel exponit hæc verba Ambroſ. ET COMPATIEBATVR ANIMA MEA PAVPERI, quia videbam ipſum in neceſſitate, me verò in bonis: ſed & tunc *Propheta magis fuiſſe dies malorum, cum ſe habere cerneret alios indigere,* inquit Idem ibidem. D

de Nabot. c. 13.

Ob quam condolentiam & commiſerationem: EXPECTABAM BONA, ET VENERVNT MIHI MALA, quoad ea quæ hactenus circa ſtatum meum exteriorem enarraui. Putabam enim mala illa miſericordijs pauperum auertere, ſed altiore Dei iudicio abundauit iniquitas. *Miſericordia interim mea & oratio in ſinu meo conuertetur.* PRÆSTOLABAR LVCEM, maiorem ſtatus mei ſplendorem, ET ERVPERVNT TENEBRÆ, quæ omnem ſtatum meum obſcurauerunt.

Pſal. 37.

INTERIORA MEA EFFERBVERVNT ABSQVE VLLA REQVIE. *Non enim* vllam

A nullam habui requiem spiritui meo, sed foris pugnæ intus timores. PRÆVENERVNT ME DIES AFFLICTIONIS, quia ante tempus me occupauerunt, cum crederem eos differendos esse vlterius. *2. Cor. 7.*

MOERENS INCEDEBAM, SINE FVRORE. Non enim vel animi mœror vel aduersitas mouebat mihi bilem, vel iracundam, sed erat mœror tranquillus: CONSVRGENS, IN TVRBA CLAMABAM præ mœroris abundantia, prout Mardochæus audito funesto Regis edicto plorans pergebat ad palatiū. *Est. 4.*

FRATER FVI DRACONVM, ET SOCIVS SRVTHIONVM, quia ad instar Machabæorum tempore enarratæ vastitatis, in multis recipiebam me ad desertum, draconum & struthionum incolatum. In quo deserto præ ardore solis & intemperie aëris CVTIS MEA DENIGRATA EST SVPER ME, in exteriore inquam corporis mei parte in qua cutis. ET OSSA MEA ARVIRVNT PRÆ CAVMATE, ardore, feruore, Id enim cauma Græcum, Lati- *1. Mach. 2.*
B nis. Hæc ergo dicit Ecclesia ratione illorum qui ad instar Sanctorum veteris testamenti *errauerunt*, vt refert Apostolus, *in montibus, speluncis & cauernis terræ*. Quo tempore cessantibus organis & canticis Ecclesiasticis quæ solent excitare exultationem & lætitiam. VERSA EST, inquit Ecclesia, IN LVCTVM CITHARA MEA, ET ORGANVM MEVM IN VOCEM FLENTIVM. *Super flumina enim Babilonis illic sedimus & fleuimus dum recordaremur Sion, In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra,* illa non resumpturi nisi restituta nobis Ierusalem, *adhæreat enim lingua mea faucibus meis, si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ,* vt nimirum exultatio & lætitia mea principium sumat à restitutione ciuitatis sanctæ. *Hebr. 11.* *Psa. 136.*

CAPVT XXXI.

C HIc iam incipit Iob merita Ecclesiæ commemorare in his qui perseuerant in finem in tentationibus magnis, *abundante iniquitate & refrigescente charitate multorum*, inquit August. Fateri interim oportet quam plurima ex his competere Iob in propria persona: Qui vt capite 27. dicendo, Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea, refutauit quæ Eliphaz capite 22. obiecerat quoad iniustitias & violentias Iob: ita hoc capite censeri potest eadem refellere quoad omissionem bonorum operum, quam Eliphas ibidem itidem obiecerat, vt suis locis ostendemus. Dicit itaque Iob PEPIGI FOEDVS CVM OCVLIS MEIS. Metaphora est, à re propria ad non propriam translata locutio. Fœdus enim propriè non nisi inter duos qui sui iuris sunt hinc inde initur. Sensus itaque est, constanter, stabiliter, firmiter indixi continentiam oculis meis. Id autem VT NE CO- *Matt. 24. in hunc locum.*
D GITAREM QVIDEM DE VIRGINE.

QVAM ENIM PARTEM HABERET IN ME DEVS DESVPER, ET HÆREDITATEM OMNIPOTENS DE EXCELSIS? Quid verò? Per cogitare de virgine, non haberet Deus partem in homine nec Omnipotens hæreditatem? Nequaquam. Dicit namque Cypr. *Ille potest suis oculis obnoxius non teneri, cui nolenti repentinus occursus mulieris scandalum mouerit, quod protinus mens quod nolebat expellit.* Quid est ergo quod dicit, VT NE COGITAREM QVIDEM DE VIRGINE? nisi quia fœdus de quo loquitur iniji ad cautelam, dicente Ambros. *Scriptum est, Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam adulterauit eam in corde suo. Hic vtique cogitauit vt videret mulierem, vt videret ad concupiscendum* (& per talo videre non habet Deus partem in eo.) *Alius non cogitauit quidem, sed subito aspexit, & captus est, & vidit, & concupiuit, & ideo lapsus est.* *de singul. Cleric. num. 16.* *serm. 8. in Psal. 118. v. 3.* *Matt. 5.*

est. Quod si fragilem suum considerasset affectum, & ante timuisset ne cum vidisset A
mulierem caperetur animo, vtique non prospexisset ad mulierem, ne concupisceret eam. Videns autem mulierem non direxerit pedem suum in testimonia Domini; qui si ante lapsum suum cogitare potuisset, forsitan direxisset. Vnusquisque ergo prius cogitet quo modo videat mulierem, aut non attendat eam. Si autem videns repentè, vel bona cogitatione fundatus dirigat pedem suum ad testimonia Domini ne in captiuitate permaneat, vtique ei profuit cogitatio. Hæc Ambros. Non abs re verò non dixit Iob DE MVLIERE, sed, DE VIRGINE, scriptum est enim; *Virginem ne conspicias,*
Eccl. 9. *ne scandalizeris in decore eius:* Idque, *quia aliena,* vt loquitur Tertull. *concupiscentiæ reliquiæ quæ sunt in mulieribus vel scortis, ipsum libidinis appetitum deflorant.* Dicit autem, QVAM PARTEM HABERET IN ME DEVS DESVPER, ET
Thren. 3. HÆREDITATEM OMNIPOTENS DE EXCELSIS? quia vt Ieremias dicit,
Psal. 15. *Pars mea Dominus dixit anima mea:* Et Psalm. *Dominus pars hæreditatis meæ:* Ita
Deut. 32. dicit Moyses, *Pars Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius,* sic vt tam B
nos pars Dei, quam Deus pars nostra dicatur.

Dans autem rationem quare cogitatio de virgine, quæ nimirum peruenerit ad ea quæ dixit Ambros. faciat Dominum non habere partem in nobis, subiungit, NVNQVID NON PERDITIO EST INIQVO, qui nimirum iniquitatem intus exercet in semetipso, vel cui iniquitas inhærens placet, ET ALIENATIO, ab æterna hæreditate OPERANTIBVS, exteriore opere INIVSTITIAM? Nunquid id clarum & timentibus Deum in confesso est? Vtique, nam qui dixit, *Non fornicaberis*, idem dixit, *Non concupisces vxorem*
Iac. 2. *proximi tui, nec omnia quæ illius sunt. Si ergo non fueris fornicatus, concupieris autem, factus es transgressor legis & omnium reus.*

Si dixero cogitationem de virgine occultam esse; quid proderit mihi? NONNE IPSE CONSIDERAT VIAS MEAS ET CVNCTOS GRESSVS MEOS tam occultos quam manifestos DINVMERAT, prout supra dixi, *Tu quidem* C
1. Paral. 28 *gressus meos dinumerasti? Omnia enim quæ sub cælis sunt respicit Dominus & vniuersas mentium cogitationes.*

Si, deseruiens sæculo AMBVLAVI IN VANITATE, more illorum *qui in vano accipiunt animam suam*, & non sunt quidem facinorosi, nihil interim agunt quod prosit in futurum. ET FESTINAVIT IN DOLO PES MEVS: Qui enim adornant dolos, festinant eos ad effectum deducere timentes ne dolus cum tempore deprehendatur & in irritum abeat, prout etiam teste Cypriano Epist. 55. semper scelera festinant quasi contra innocentiam festinatione præualeant. quod declarat exemplo Felicissimi à quo Felicianus à Cypriano Romam missus præuentus est & mendacijs suis aures Papæ Cornelij præuenit.

APPENDAT ME IN STATERA IVSTA in die iudicij in quo omnia ope-
cap. 5. ra hominum expendi debent ad pondus sanctuarij de quo Leuiticus, an D
nimirum in præstantia tantum habeant ponderis quantum exigit Deus, quod profectò habebunt si fuerint transacta in charitate de qua dicerem
serm. 13. de verb. Apostol. cum Augustino. *Non modo quæritur quanta sit ipsa charitas, vtrum magna, an parua, an mediocris, vtrum vel sit quæro.* ET SCIAT exploratè cognoscat DEVS SIMPLICITATEM MEAM, à dolo & fictione alienam. Sciat inquit non quasi ante stateram, illam ignorauerit, sed quia per stateram manifestatur
Psal. 138. nobis in Deo ille cognoscendi modus, de quo scriptum est, *Domine probasti me & cognouisti me,* cum etiam ante probationem intellexeris cogitationes meas de longè.

SI DECLINAVIT GRESSVS MEVS DE VIA, mandatorum Dei vel ad dexteram quia volui esse iustus multum, prout euenit Tertulliano qui studio perfe-

A perfectionis immodicæ à via Domini declinauit: Vel per delictum siue defectum declinauerim ad sinistram, ET SI SECVTVM EST OCVLOS MEOS COR MEVM, ita nimirum vt cum incautè aliquid vidissem quod mihi scandalum moueret, cor meum in id consenserit. ET SI MANIBVS MEIS ADHÆSIT MACVLA, vt maculas quotidianæ conuersationis neglexerim eluere. Dicit namque August. *Cum dicimus, Dimitte nobis debita nostra, non ea nobis dimitti* Epist. 108. *volumus quæ dimissa non dubitamus in baptismo, sed illa vtique quæ humanæ fragilitati quamuis parua, tamen crebra subrepunt. Quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt & opprimens sicut vnum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta impleat nauem atque submergat?* Hæc August. Qui per similitudinem neglectæ atque contemptæ tenellæ inundationis, vel indicat quod negligētia & contemptus pec-
B catorum venialium interitum adducat: Vel quod multitudo venialium tandem inducat aliquod mortale peccatum, & sic demergat, dicente, & quod loco allegato scripserat explicante ipso August. *Dum homines negligentes in* serm. 88. *primis despiciunt peccata sua quia parua sunt, crescentibus minutis peccatis adduntur* de temp. *etiam crimina & cumulum faciunt & demergunt.* Aquinas tamē maculam de qua hic, limitat ad maculam iniustitiæ. Cui conuenienter ex Hebræo vertitur, SI IN VOLIS MEIS ADHÆSIT QVIDQVAM, & à 70. *Si manibus meis tetigi dona:* quæ omnia insinuant iniustitiam. Cui in conformem pænam subijcitur, SERAM, ET ALIVS COMEDAT, quia iniustitia admissa vindicatur illatâ. *Qui enim ædificat domum suam impendijs alienis, quasi qui colligit lapides in hieme,* siue ex lapidibus domum sibi construit in hieme, quæ vtique tam importunè constructa caduca est & decidua. Ad quem modum res familiaris iniquè congesta fragiliter consistit, furtis, rapinis, aduersitatibusque obnoxia, prout & ipsa iniqui ad Eccle. 21.
C posteros transmittenda familia: propter quod hic sequitur ET PROGENIES MEA ERADICETVR.

SI DECEPTVM EST COR MEVM SVPER MVLIERE, vt in gratiā decoris ipsius in iudicio à recto declinauerim: Vel si mulier cor meū commouerit ad concupiscendum eam, sicut scriptum est, *Species decepit te & concupiscentia subuertit* Dan. 13. *cor tuum,* ET SI AD OSTIVM AMICI MEI INSIDIATVS SVM, circa id oberrādo, vt insidiosè consequerer quod amabam. Iuxta quod Sapiens dicit, *De fenestra* Prou. 7. *Domus mea per cancellos prospexi, & video paruulos, considero vecordem iuuenem qui transit per plateam iuxta angulū, & prope viam domus mulieris extraneæ, & alienæ, quæ verba sua dulcia facit, graditur in obscuro, aduesperascente die, in noctis tenebris & caligi-Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas: garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians.* Si inquit sic insidiatus sum, vicissim obueniet mihi vt SCORTVM ALTERIVS SIT VXOR MEA, & ipsa, ob adulterium meū,
D diuortium operata & se non continens, alteri viro turpiter iungatur. ET nec vno contenta, SVPER ILLAM, vt scortum commune, per concubitum INCVRVENTVR ALII. Tametsi etiā non facto diuortio arbitrentur sæpenumero mulieres se fidem non seruanti, vicissim datam fidem seruare non debere.

HOC ENIM, decipi super mulierem amici, NEFAS EST, relatu indignum, ob turpitudinem rei, ita vt dixerit Apostolus, *Fornicatio & omnis immunditia nec nominetur in vobis sicut decet sanctos.* ET INIQVITAS MAXIMA, Ephes. 5. quia redundat in Deum dicente Ambros. *Ex correptione quam fecit Deus Abimelech Regi Geraræ, cognoscimus velut præsulem custodemque coniugij esse Deum, qui non patiatur alienum thorum pollui. Et si qui fecerit, peccare eum in Deum, cuius legem violet, gratiam soluat. Et ideo quia in Deum peccat, sacramenti cælestis amittit consortium.* 1 de Abraham c. 7. Gen. 20.

R

1. Hexam. c. 7. fortium. Et alibi, *Graue est adulterium & naturæ iniuria. Duos primum Deus fecit Adam & Euam, hoc est, virum & vxorem. Et vxorem de viro, hoc est, de costa Adam: & iussit ambos esse in vno corpore & in vno spiritu. Quod vnum separas corpus, vnum diuidis spiritum, naturæ adulterium est.* Hæc Ambr. His itaq; rationibus adulteriũ INIQVITAS MAXIMA quia in ordine maximarum iniquitatum censetur, pro- A

Ephes. 5. ut auaritia ab Apostolo dicitur idololatria, quia est crimen in magnitudine delicti, eiusdem ordinis, vt considerauit Cyprianus.

Eccles. 28. IGNIS EST, concupiscentia mulieris, *hæc enim*, inquit Sapiens, *velut ignis exardescit:* Et quidẽ ignis VSQVE AD PERDITIONEM DEVORANS, non enim restinguitur donec hominem corporaliter consumptum præcipitauerit in

Prouerb. 7. damnationem, cui apposité dicit Sapiens, *Via inferi domus meretricis, penetrantes in interiora mortis.* ET OMNIA ERADICANS GENIMINA, redditur enim cõcupiscentiæ seruus planè carnalis, & omnia plantaria virtutis de visceribus ipsius paulatim eradicantur. Tametsi rectè intelligatur adulterium etiã eradicare omnia genimina familiarum, quia scriptum est, *Spuria vitulamina*, siue B

Sap. 1. vt declarat August. *adulterinæ plantationes, non dabunt radices altas.*

SI, dedignabundus, CONTEMPSI SVBIRE IVDICIVM arbitrariũ, vel fori, CVM SERVO MEO, ET ANCILLA MEA, CVM in materia querelæ vel iuris DISCEPTARENT ADVERSVM ME, sed arbitratus sum eos indignos qui contra herum suum quasi ex æquo audirentur, eo quod omnia heri dicta & facta vel solo dominij titulo deberent præualere.

QVID ENIM FACIAM CVM SVRREXERIT AD IVDICANDVM DEVS? ET, CVM QVÆSIERIT, QVID RESPONDEBO ILLI? De hoc meo contemptu, dedignatione, supercilio?

NVNQVID NON IN VTERO FECIT ME QVI ET ILLVM OPERATVS EST: ET FORMAVIT ME IN VVLVA VNVS? Vt proinde sicut heri & serui par formatio, ita in iudicio Dei omnia inferiora iudicia retractante, eorundẽ futu- C

c. 24. ra sit par conditio. Dicente Isaia, *Ecce Dominus dissipabit terram & nudabit eam, & erit sicut populus, sic Sacerdos: & sicut seruus, sic Dominus eius: sicut ancilla, sic domina eius: sicut emens, sic ille qui vendit: sicut fænerator, sic is qui mutuum accipit: sicut qui repetit, sic qui debet.* Imo potior ibi erit conditio seruorum quam heri, *quia exi-*

Sap. 6. *guo conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.*

SI NEGAVI, QVOD VOLEBANT, PAVPERIBVS, ita vt ijs prout petebant, quod & quantum petebant non præstiterim. Circa quod tamen attenda-

1. offic. c. 30. tur illud Ambrosij, *Nos omnibus quidem debemus misericordiam: sed quia plerique fraude eam quærunt & fingunt ærumnam, ideo vbi causa manifestatur, persona cognoscitur, tempus vrget, largius se debet profunderè misericordia.* ET OCVLOS VIDVÆ internæ miseriæ indices, misericordiæ illices, auiditatis testes, EXPECTARE FECI, ipsa mora extrahens ipsarum anxietatem, differens consolationem,

Eccles. 4. Cum scriptum sit, *Non protrahas datum angustianti.* Quid est ergo quod mihi obiecit Eliphas, *Viduas dimisisti vacuas?* D

SI COMEDI BVCCELLAM tenuem & modicam portiunculam MEAM SOLVS, ET NON COMEDIT PVPILLVS EX EA, vt totius portionis meæ fieret particeps. Vel BVCCELLAM MEAM, sustentationi meæ necessariam, iuxta quod

3. Reg. 17. Prou. 18. dicebat Elias ad necessitatem redactus, *Adfer mihi, obsecro (cum obsecrationibus enim loquitur pauper) & buccellam panis in manu tua*, ita vt hic Iob indicet se non solum superflua, verum etiam vitæ suæ pene necessaria sibi dimunita pauperibus communicasse.

QVIA AB INFANTIA MEA CREVIT MECVM MISERATIO, misericordiæ exercitatio, nam illa cum ætate paria in me sumpsit incrementa. Et in sua radice quæ est misericordia, DE VTERO MATRIS MEÆ EGRESSA EST MECVM,

A MECVM, sortitus sum enim in vtero indolem ad miserendum propensam, quam medici auderent tribuere temperationibus corporum, *sed quanto satius dona Dei esse faterentur*, inquit August. *4 cont. Iulianum, c. 31.*

SI DESPEXI PEREVNTEM, tendentem ad mortem & per id in necessitate positum, EO QVOD NON HABVERIT INDVMENTVM, ET ABSQVE OPERIMENTO PAVPEREM, arbitratus parum referre quod inopes perirent, aut versarentur in miseria mortisque periculo. Et non ante omnia, amouendo causam quæ mihi miserationem poterat impedire, præbui ipsi vestimentum: Quo accepto, SI NON per gratiarum actionem & vicissitudinariam boni imprecationem BENEDIXERVNT MIHI LATERA EIVS, prius nuda, meo autem beneficio tecta ac refocillata, ET DE VELLERIBVS OVIVM MEARVM CALEFACTVS EST: quod additur, ne credatur Propheta indumentum nudo suppeditatum, in inopis gratiam emendicasse, B sed deprompsisse de suo, nec parcè, sed abunde, eo quod dicat se nudo suppeditasse vellera quæ non solum integumento sunt, sed calorem adferunt, ventumque ac frigus valide repellunt.

SI procedendo ad rigorosam executionem, LEVAVI SVPER PVPILLVM MANVM MEAM, ETIAM CVM VIDEREM ME IN PORTA, iudicio fori, per obtentam victoriam causæ, SVPERIOREM, & etiam tunc me ab executione non continui.

HVMERVS MEVS A IVNCTVRA SVA CADAT, ET BRACHIVM MEVM CVM SVIS OSSIBVS CONFRINGATVR, vt competenti pœna mihi reddatur in corpore, quod morali iniquitate pupillis & viduis irrogauero: nam per executionem sententiæ super pupillum irruere, quid aliud est, quam quod cap. 22. obiecit Eliphas, *lacertos pupillorum comminuere?* vt ex his meis verbis Eliphas in illis suis sit refutatus.

C Et hæc exercui non tantum ad euadenda mala huius vitæ quæ variè hactenus commemoraui, videlicet ne scortum alterius fieret vxor mea, Ne seram & alius comedat, Ne humerus meus à iunctura sua cadat: SEMPER ENIM non dico erumpentes, obruentes, sed QVASI TVMENTES, minaces, prout fluctus istiusmodi naufragium magis minari solent quam operari, SVPER ME FLVCTVS TIMVI DEVM, ET PONDVS EIVS FERRE NON POTVI. Videtur enim Prophetæ semper insonuisse quod tandem per Isaiam dixit Dominus, *Tacui semper, silui semper, patiens fui, quasi parturiens loquar. Dissipabo & absorbebo simul.* Quarum rerum timor cohibuit me ne agerem vel prætermitterem quæ præmisi. *cap. 42.*

SI, more hominum de quibus Baruch, *Aurum in quo confidunt homines*, & Psaltes, *Qui confidunt in virtute sua*, PVTAVI AVRVM ROBVR MEVM, ET OBRIZO DIXI: FIDVCIA MEA: vt proinde abs re mihi obiecerit Eliphas, *In* D *fortitudine brachij tui possidebas terram, & potentissimus obtinebas eam.* *cap. 3.* *Psal. 48.*

Imo SI absque iniuria cuiusq; LÆTATVS SVM SVPER MVLTIS DIVITIIS MEIS patrimonialibus ex legitima successione ad me deuolutis, ET QVIA PLVRIMA, quasi casu & sorte feliciter mihi obuenientia, REPERIT MANVS MEA, & non magis libero ac soluto animo diuitias vtrouis modo obtentas possedi, sic vt omnibus repente sine tristitia vel animi afflictione possem carere, prout patuit in prima mea tentatione.

SI VIDI SOLEM luminare magnum quod fecit Deus vt præesset diei, vnde & ab Ambros. appellatur iubar diei, CVM FVLGERET; ET LVNAM luminare itidem magnum vt præsit nocti INCEDENTEM CLARE, vt incedit tempore suæ plenitudinis & serenitatis. ET LÆTATVM EST IN ABSCONDITO COR MEVM, quasi tacitè gratulans sibi super gloria Deorum *Gen. 1.*

 meorum,

meorum, eaque, se exhilarans, quod est quædam dictarum creaturarum A adoratio interna & inuisibilis à multis extra hominum oculos vsitata, dicente Domino ad Ezechielem, *Fili hominis fode parietem, & videbis abominationes quas faciunt filij Israël vnusquisque in abscondito & cubili suo. Et fodi parietem, & ecce viri habentes dorsum contra templum Domini & adorantes militiam cæli.* Hoc ergo quoad adorationem internam. Sequitur de exteriore & dicit, ET OSCVLATVS SVM MANVM ORE MEO. *Qui enim adorant, solent deosculari manum & capita submittere, quod se B. Iob elementis & idolis fecisse negat, dicens, Si vidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem clarè, & osculatus sum manum meam ore meo*, inquit Hieronymus. Et alibi: *Iob inter cæteras virtutes etiam hoc habuisse se dicit quod nunquam aspiciens cælum, & solem, & lunam, & astra fulgentia, osculatus sit manum suam, id est, adorauerit creaturam.* Et alibi, *Qui adorant, solent deosculari manum suam, quod Iob fecisse se negat, dicens, Si osculatus sum manum meam apponens ori meo.* Quæ adorantium consuetudo & ritus, astruitur verbis Domini ad Eliam, *Omne os, quod non adorauit eum (Baal) osculans manus.* Itaque Leo, *Abijciatur à consuetudine fidelium damnanda peruersitas, nec honor vni Deo debitus eorum ritibus, qui creaturis deseruiunt misceatur, Dicit enim scriptura, Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies. Et B. Iob, Numquid vidi solem cum fulgeret & lunam incedentem clarè, & lætatum est cor meum in abscondito? Et osculatus sum manum meam? Quid autem est sol, vel quid est luna, nisi visibilis creatura & corporeæ lucis elementa?* Hæc Leo. B

Cap. 8. — Apol. adu. Orig. ad Amach. c. 1 — in cap. 8. Ezech. — in cap. 13. Ozeæ. — 3. Reg. 19. — serm. 7. de nat. Dom. — Deut. 6.

QVÆ EST INIQVITAS MAXIMA, quia per id peccatur in Deum & ea quæ Dei sunt immediate; talia autem peccata sunt alijs ex suo genere grauiora dicente Heli; *Si peccauerit vir in virum placari ei potest Deus, si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* ET NEGATIO CONTRA DEVM ALTISSIMVM. Ipse enim dixit, *Videte quod ego sim solus*; Et, *Extra me non est Deus*; Qui autem adorat creaturam, hoc ipso recognoscens quippiam C extra Deum, in Deum, vel esse Deum, negat quod asseruit Deus. Imo, negat omnem Deum; *Numinum enim multitudinem, numinum esse nullitatem supra diximus*, inquit Athan. Interim allegata Dei verba etiamsi tempore Iob nondum fortè exstiterint descripta, per fidei tamen reuelationem tunc temporis non fuerunt omnino incognita. Proinde non abs re in explicationem præsentis sententiæ allegantur.

1. Reg. 2. — Deut. 32. — Isaie 45. — Orat. cont. idol.

SI, in sinu meo tacitè ridens, GAVISVS SVM AD RVINAM EIVS QVI ME ODERAT, ET EXVLTAVI QVOD INVENISSET EVM MALVM. NON ENIM DEDI AD PECCANDVM GVTTVR MEVM, VT EXPETEREM, mala imprecatione, MALEDICENS ANIMAM, incolumitatem, vitam temporalem EIVS.

Quod cum notorium sit, ad iustificationem hac in parte meam oportuit me tantum explicare quomodo me intus erga ipsum & in animo gesserim. D SI NON DIXERVNT VIRI TABERNACVLI MEI, domestici mei, mecum in hoc sæculo familiariter peregrinantes: Iuxta quod Abraham cum cohæredibus suis professus, *quod essent peregrini & hospites super terram*, dicuntur habitasse in tabernaculis. QVIS DET DE CARNIBVS EIVS, amica, facili humanitate plena conuersatione eius, VT SATVREMVR? Ad satietatem reficiamur? Erat enim Iob conuersatione tam suauis, ædificatione tam plenus, vt domestici arbitrarentur se ipsius contubernio nunquam sat posse demulceri: dicente Aquinate, *Præmissis Propheta verbis dat intelligere quod eius conuersatio tantum fuit suis domesticis grata, quod eius carnali præsentia cuperent saturari.* Chrysostomus verò refert hoc domesticorum desiderium ad ipsam carnem Iob, affirmans vehementer amantium esse vt caro amicorum commisceatur,

in hunc locum. — Hom 45. in Ioan & 24. in 1 ad Cor in moral.

attactu

A attactu nimirum amplexu osculis, & similibus, prout explicat ipsemet in catena Græcorum allegatus. Sed saturari de quo loquuntur requirit magis vt id optent fieri per comestionem. Cuiusmodi verò? Nunquid domestici Iob antropophagi vt desiderarent humanis carnibus vesci; aut nunquid vel apud antropophagos mutuas carnes ad vescendum appetere vehementer amantium est? Itaque saturari velle carnibus dilectissimi sui, extra controuersiam non fuit appetitus carnalis. Nam & cum Dominus tale quid apprehenderetur promittere dixerunt etiam discipuli, *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Proinde viri tabernaculi Iob allegatis verbis explicant quoddam suum desiderium, cuius implendi nec ipsimet putabant se inuenire nec ab vllo homine præstari posse modum. Dicunt enim, QVIS DET, quia non credebant quempiam desiderij sui ipsos reddere posse compotes. Erat igitur desiderium istud spirituale, & à Spiritu sancto B suscitatum, tametsi non sat explicitum, quo iam tum incipiebant Ecclesiæ filij tanquam viri tabernaculi Iob, dilecti heri ac capitis sui carnes ad manducandum expetere, nec inuenerunt modum donec diceret Christus, *Accipite & manducate, hoc est corpus meum.* Ex illo namque tempore cœperunt Ecclesiæ filij carnibus Christi saginari in ordine ad perpetuam saturitatem. Quod desiderium non improbabiliter affirmaueris etiam in posteris veteris temporis fidelibus perseuerasse vsque dum veniret cui repositum erat rem ipsam conuenienti modo exhibere & desiderantium explere votum. Ioan. 6. Mat. 26.

FORIS NON MANSIT PEREGRINVS, eo quod ipsos ad hospitium non solum precario admiserim, verum etiam inuitarim, coëgerim: quale quid fecit Abraham qui in feruore solis sedens in ostio tabernaculi sui & visis tribus viris cucurrit ad eos & cum obsecratione ad hospitium inuitauit, OSTIVM MEVM VIATORI PATVIT, vt qui fortè à me non visus vel me ab- C sente alijsque occupato non fuisset inuitatus, ex iugi hiatu ostij posset animaduertere me ad ipsum excipiendum inhiare. Gen. 18.

SI ABSCONDI QVASI HOMO PECCATVM MEVM, ET CELAVI IN SINV MEO INIQVITATEM MEAM, nolens eam confiteri vel agnoscere. Id enim est difficile in hac vita hominum, Quod Iob non latuit, nam ob id dixit, VT HOMO. *Quid enim tam rarum quam vt inuenias virum qui seipsum coarguat & factum condemnet suum? Rara itaque confessio de peccato, rara pænitentia, rara in hominibus verbi eius assertio. Repugnat enim natura, repugnat verecundia, quia erubescit vnusque propriam culpam fateri, dum præsentia magis quam futura cogitat*, inquit Ambros. Addit August. *Dum plus delectat hominum æstimatio quam iustitia qua se quisque humiliat pænitendo.* Sed id homines æstimant imperitè. *Non enim mirandum peccare hominem, sed illud reprehensibile si se non cognoscat errasse, non humiliet Deo. Iob sanctus & ipse potens in sæculo ait, Peccatum meum non* D *abscondi, sed coram plebe omni annunciaui*, inquit Ambr. Et id quidem sub debitis circumstantijs consultum. *Voluit nihilominus Deus omnes homines suorum delictorum esse censores, vt qui publico testimonio non tenetur, seipsum iudicet, qui in occulto lapsus est erubescat, & aculeo quodam coërceat amaritudinis & pudoris,* inquit Idem. Epist. 3. Enchyrid. c. 82. Epist. 28. de exhort. ad virg. circa finem.

SI EXPAVI AD MVLTITVDINEM NIMIAM, ita vt præ metu illius declinauerim à vero vel recto, contra quod hortatur Ecclesiasticus, *Ne pecces in multitudine ciuitatis, nec enim in vno immunis eris.* ET DESPECTIO PROPINQVORVM improbantium, & contemnentium me quod non voluerim multitudini cedere, TERRVIT ME, vt metu propinquorum, mutarim propositum & multitudini acquieuerim, ET NON MAGIS TACVI, indignationem propinquorum & tumultum multitudinis conatus silentio præterire vel compescere: NEC EGRESSVS SVM OSTIVM, declinans eorun- Cap. 7.

dem congressum ne alioqui indignationem ipsorum ipsa præsentia mea A
exagitarem vel exacerbarem. Vel, DESPECTIO PROPINQVORVM, qua ipsi propter me despiciendi erant, TERRVIT ME, ne pergerem multitudini obsistere, aut vllus sensus humanitatis constantiam meam hac in parte labefactauit, quale quid patuit in D. Thoma Cantuariensi.

QVIS MIHI TRIBVAT AVDITOREM, nimirum, VT DESIDERIVM MEVM AVDIAT OMNIPOTENS: ET LIBRVM SCRIBAT IPSE QVI IVDICAT palam faciens de quibus factis homo & in bonũ & in malum iudicandus sit.
Cap. 20. Quod hoc suo tempore optabat Iob, quia libri scripturarum de quibus Apocalypsis, secundum quos Dominus iudicabit, tempore huius prophetiæ nondum plenè extabant. Id verò multum proderit ad subeundum suo tempore iudicium; multum enim est leges futuri iudicij prænosse, ijs se conformare, in ijs meditari, propter quod subiungit Iob, VT IN HVMERO MEO, tanquam iugum & onus Domini, PORTEM ILLVM, ET CIR- B
CVMDEM ILLVM QVASI CORONAM; Alij diadema, MIHI? Libri enim scripturarum corona iustorum.

PER SINGVLOS GRADVS MEOS PRONVNCIABO ILLVM, quia singula opera mea illi conformando, ipsis operibus loquar quid contineat liber,
serm. 1. v. 2. in Ps. 118. dicente Ambros. *Studere debemus vt omnia reliqua posthabentes, congregemus nobis alloquia Dei, & congeramus in principale nostrum, in sensus, in sollicitudines, considerationes, actusque nostros, vt alloquijs scripturarum facta nostra conueniant.* ET QVASI PRINCIPI OFFERAM EVM, vt inueniat me illi libro conformem, præsertim quia liber etiam docet peccatorum expiationem; & quod per opera misericordiæ in illo iudicio inueniatur misericordia. 70. interim & alij ex Hebræo nomine libri huius intelligunt Chyrographum debitoris, quasi dicat Iob se syngrapham obnoxiorum sibi circumtulisse quidem, sed remissa obligatione ac debito, illa Domino vt Principi suo obtulisse, dicen- C
de Tob. c. 17. iterum ex 70. te Ambros. in persona Iob, *Conscriptionem quam habui aduersus aliquem iuramento conceptam, imponens coronam, legebam:* Et, *Si non scindens eam reddidi, nihil accipiens à debitore.* Hæc Ambros.

SI ADVERSVM ME TERRA MEA, cui impero CLAMAT publicè expostulans, & non tantum silenter ingemiscens, de intoleranda iniuria, tyrannide, oppressione: ET CVM IPSA SVLCI EIVS, inarrati quidem, sed ob vim militarem & similes publicorum iustitiæ Præsidum & Clientum extorsiones semente destituti, DEFLENT sui desolationem ac sterilitatem.

SI FRVCTVS EIVS COMEDI ABSQVE PECVNIA, affirmans illos meos esse mihique iurè dominij competere, ET ANIMAM AGRICOLARVM EIVS AFFLIXI, nimijs exactionibus, non præstita insuper protectione contra latrunculos aliorumue iniurias: id enim est animas agriculraum dilaniare.

PRO FRVMENTO ORIATVR MIHI TRIBVLVS, ET PRO HORDEO SPI- D
NA. Quibus in verbis iterum est imprecatio mali temporalis, prout superius quando dixit: *Scortum alterius sit vxor mea: Et, humerus meus à iunctura sua cadat.* Quæ tamen si altius intelligere volueris sensus erit: PRO FRV-
Deut. 33. Psal. 80. MENTO, de quo Moyses: *Oculus Iacob in terra frumenti,* quæ est terra futuræ vitæ, vbi omnes *cibabit Dominus ex adipe frumenti*, quem spectat oculus electorum. Pro hoc ergo frumento, siue loco illius, ORIATVR MIHI TRIBVLVS, ET PRO HORDEO SPINA, illa de qua Isaiæ c. 24. *Paliurus in munitionibus eius,* ibi enim inter cætera à paliuro describit infernum.

FINITA SVNT VERBA IOB, quæ nimirum miscuit cum suis amicis. Quem
Bibl. lib. 1. sensum (refert Senensis) quidam non attendentes, arbitrati sunt omnia sequentia ascititia esse & apocrypha.

CAPVT

A

CAPVT XXXII.

OMISERVNT AVTEM TRES VIRI ISTI RESPONDERE IOB, EO QVOD, accepta satisfactione, IVSTVS SIBI, Triumviris, VIDERETVR. Vertunt enim 70. ERAT ENIM IOB IVSTVS CORAM EIS, quod verum de se iudicium Iob per disputationem præmissam obtinuit: sit proinde in disputatione assecutus victoriam.

ET IRATVS INDIGNATVSQVE EST ELIV FILIVS BARACHEL BVZITES, DE COGNATIONE RAM. Dicit Hieron. *Primogenitus Nachor fratris Abraham de Melcha vxore eius, filia Aran, natus est Hus. Secundus natus est de Melcha Buz. Et ex huius genere est Balaan ille diuinus, vt Hebræi tradunt, qui in* de tradit. Heb. in Gen.
B *libro Iob dicitur Eliu, primum vir sanctus & Prophetes Dei: postea per inobedientiam & desiderium munerum, dum Israël maledicere cupit, diuini (*arioli*) vocabulo nuncupatur, diciturque in eodem libro: Et iratus Eliu filius Barachel Buzites: de huius videlicet Buzi radice descendens.* Vnde apparet quod sicut Eliu dicitur Buzitis quia originem trahit ex Buz, ita dicitur de Ram ratione maternæ originis. Melcha enim mater Buz fuit filia Aram, vnde & 70. loco Ram legunt Aram. Proinde sicut tres Reges visitauerunt Iob causa amicitiæ, ita Eliu causa cognationis, de qua vendicauit sibi in Iob pluscuIum audacioris licentiæ. Atque adeo appetentia cuiusdam vindictæ commotus, IRATVS EST ADVERSVM IOB, EO QVOD IVSTVM SE ESSE DICERET CORAM DEO. Neque enim, prout amici, Eliu per disputationem Iob, passus est sibi satis fieri.

PORRO ADVERSVM AMICOS EIVS INDIGNATVS EST, EO QVOD
C NON INVENISSENT RESPONSIONEM RATIONABILEM sententias Iob ac deductiones ipsius ratione reuincentem, SED TANTVMMODO non conuictum ratione, temere CONDEMNASSENT IOB falsi vel erroris.

IGITVR ELIV EXPECTAVIT IOB LOQVENTEM: EO QVOD SENIORES ESSENT QVI LOQVEBANTVR. CVM AVTEM VIDISSET QVOD TRES RESPONDERE NON POTVISSENT, IRATVS EST VEHEMENTER. Neque enim nouerat Eliu quod scriptum est: *Quam bonum est arguere quam irasci.* Eccl. c. 20

RESPONDENSQVE ELIV FILIVS BARACHEL BVZITES DIXIT. IVNIOR SVM TEMPORE, VOS AVTEM ANTIQVIORES, IDCIRCO DEMISSO CAPITE, dum inter vos disputaretis, VERITVS SVM VOBIS INDICARE MEAM SENTENTIAM. Quid nimirum de propositionibus vestri discursus ego sentirem, & quibus rationibus eas suppleri, confirmari aut etiam
D infirmari posse existimarem. SPERABAM ENIM QVOD ÆTAS PROLIXIOR, cum ratione & grauitate efficaciter LOQVERETVR ET ANNORVM MVLTITVDO DOCERET SAPIENTIAM: quam descripsisse videtur Ambros. cum dixit: *Salomon ait arma intellectus labia sapientis.* Et alibi, *Labia tua alligata sint sensu,* id est, *fulgeat sermonum tuorum manifestatio, intellectus coruscet & alloquium tuum atque tractatus aliena non indigeat assertione, sed sermo tuus velut armis suis sese ipse tueatur. Nec vllum verbum tuum in vanum exeat & sine sensu prolatum.* Epist. 44.
Sperabam itaque, dicit Eliu, quod annorum multitudo huiusmodi sapientiam doceret.

SED VT hic per experientiam VIDEO, SPIRITVS EST IN HOMINIBVS, ET INSPIRATIO OMNIPOTENTIS eiusdem spiritus, qui hoc ipso quo dicitur Omnipotens agnoscitur Deus: Hæc inquam DAT INTELLIGENTIAM.

TIAM. Sine cuius inspiratione NON SVNT LONGÆVI SAPIENTES NEC SENES INTELLIGVNT IVDICIVM: Non est enim sapientia filia temporis, sed donum spiritus, de quo Leo: *O quam velox est sermo sapientiæ, & vbi Deus magister est, quam cito discitur quod docetur. Non est adhibenda interpretatio ad audiendum, non consuetudo ad vsum, non tempus ad studium, sed spirante vbi voluit spiritu veritatis, propriæ singularum gentium voces factæ sunt in Ecclesia ore communes.* A

Serm. 1. de pent.

IDEO DICAM, AVDITE ME, quod est audientiam postulare, si non imperare, OSTENDAM VOBIS ETIAM EGO MEAM SAPIENTIAM, sicut vos vtrimque ostendistis vestram.

EXPECTAVI ENIM SERMONES VESTROS, AVDIVI PRVDENTIAM VESTRAM, DONEC DISCEPTAREMINI SERMONIBVS: ET DONEC PVTABAM VOS ALIQVID DICERE, CONSIDERABAM, attendens quid rei haberet, quiduè ad propositum faceret quod dicebatis, vestris disputationibus nihil interlocutus; æquum ergo est vt mihi dicenti, vicem reddatis. SED VT VIDEO, NON EST QVI POSSIT ARGVERE, ratione conuincere vel confutare IOB, ET RESPONDERE EX VOBIS SERMONIBVS EIVS, ostendendo illos esse erroneos: quod vobis ad hoc proderit, NE FORTE DICATIS: INVENIMVS SAPIENTIAM, errorum victricem, & per id nomini vestro asscribatis victoriam. Sed, quandoquidem me comprehendendo & amicos Iob excludendo, dixi Spiritus est in hominibus, & inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam, Iob per me refutato, dicatur tandem DEVS, conuictum in confusionem PROIECIT EVM NON HOMO, eo quod Deus, in homine per spiritum suum sit locutus. B

NIHIL LOCVTVS EST MIHI; sed vobiscum ô Amici Iob ipse miscuit colloquia, ET EGO NON SECVNDVM SERMONES VESTROS RESPONDEBO ILLI, quasi vobiscum eadem alijs verbis inculcans & repetens. Sed alia à vobis in medium adferam. C

EXTIMVERVNT amici Iob contra ipsius assertiones quippiam vltra in medium adferre, eo quod de sapientia sua diffiderent, & viderent se telas araneæ texere, NEC RESPONDERVNT VLTRA, ABSTVLERVNTQVE A SE ELOQVIA, quia etiamsi non desineret eis occurrere quod responderent, diffisi tamen de responsionum validitate sermones occurrentes apud se continuerunt.

QVONIAM IGITVR EXPECTAVI, vt si vellent prioribus plura adijcerent, nec ego eis obturaui os, ET tamen, NON SVNT LOCVTI, sed sermocinando non progressi: STETERVNT, NEC VLTRA RESPONDERVNT.

RESPONDEBO ET EGO PARTEM MEAM, iam enim mearum partium erit respondere: quod faciendo, OSTENDAM SCIENTIAM MEAM, quæ huc vsque per obseruantiam senioribus debitam in medium prodire non potuit. D

PLENVS SVM ENIM SERMONIBVS, iam apud me inter audiendum conceptis: quos cum violenter apud me contineam, COARCTAT ME SPIRITVS VTERI MEI, ad eum modum quo ventus aliquis visceribus inclusus coarctat interiora, dum quærit erumpere, nec inuenit.

ET VENTER MEVS QVASI MVSTVM ABSQVE SPIRACVLO, QVOD ex botris recenter expressum se in vase torquet, & non indulta facultate respirandi, vehementius se exagitat, atque adeo LAGVNCVLAS NOVAS, nulla vetustate obduratas, DISRVMPIT: Ad quem modum videor mihi dirumpendus, si non, concepta fuero elocutus. Bene autem comparat scientiam suam

MVSTO

A MVSTO, eo quod fuerit iuuenilis, plus secum trahens feruoris, quam maturitatis, cuiusmodi ferè sunt sapientiæ iuueniles, quæ quod non possunt rerum vigore, efficere conantur quodam turbine si non furore. Huiusmodi hominem pulchrè describit Bernardus, *Monachus*, inquit, *inepta redundante lætitia, in Eliu verba prorumpit, En venter meus quasi mustum absque spiraculo quod nouas lagunculas dirumpit. Aut loquetur ergo, aut rumpetur. Esurit & sitit Auditores, quibus omne quod sentit effundat: quibus, qualis, & quantus sit innotescat. Inuenta autem occasione loquendi, si de litteris sermo exoritur, volant sententiæ, verba resonant ampullosa. Non curat te docere vel à te doceri ipse quod nescit, sed vt scire sciatur quod scit: & de singulis virtutibus plenissimè, sed vanissimè disputat, vt tu scilicet si audieris, dicas quod ex abundantia cordis os loquitur, & quia bonus homo de bono thezauro suo profert bona.* de grad. hum. grad. 4. Mat. 12.

Dicit itaque Eliu LOQVAR ET RESPIRABO PAVLVLVM, loquendo B enim de concluso spiritu vteri mei nonnihil exspirabo & minus arctabor in memetipso. APERIAM LABIA MEA, ET RESPONDEBO, more illius quem descripsit Bernardus, *præueniendo interrogantem, non quærenti respondendo.*

NON ACCIPIAM PERSONAM VIRI, vt non quod res est metu vel in gratiam viri dicam. ET DEVM HOMINI NON ÆQVABO, quod fecisse videtur Iob, cum dixit, *Vtinam iudicaretur vir cum Deo, sicut iudicatur filius hominis cum collega suo:* Per id enim videtur Iob optasse vt Deus cum ipso subiret iudicium ex æquo.

NESCIO ENIM QVAMDIV SVBSISTAM, ET SI POST MODICVM TOLLAT ME FACTOR MEVS, quia tum erit mihi danda ratio eorum quæ hic dixero, in quo si defecero, oportebit me pro delicti ratione subire supplicium.

C

CAPVT XXXIII.

AVDI IGITVR IOB ELOQVIA MEA, ET OMNES SERMONES MEOS AVSCVLTA.

ECCE APERVI OS MEVM, quod in omni elocutione debet esse primum, LOQVATVR LINGVA MEA IN FAVCIBVS MEIS, quæ permittatur ibidem formare verba atque sermonem, sine quo apertio oris hiatus tantum est informis.

SIMPLICI CORDE MEO, non fucati, astuti, dolosi, SERMONES MEI, ET SAPIENTIAM PVRAM LABIA MEA LOQVENTVR simplici corde meo D conformem: nec aliud resonabit in labijs, quam in corde requiescit.

SPIRITVS DEI FECIT ME secundum corpus, sicut supra dictum est, *Manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me totum in circuitu*, à quo opere Dei, supr. c. 10. non excludi debet Spiritus Sanctus: ET SPIRACVLVM OMNIPOTENTIS VIVIFICAVIT ME, sicut scriptum est, *Fecit Deus hominem de limo terræ &* Gen. 2. *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.*

SI POTES, ad confutandum me, RESPONDE MIHI, ET ADVERSVS FACIEM MEAM CONSISTE, coram refellendo & redarguendo me.

ECCE, ET ME SICVT ET TE FECIT DEVS, ET EODEM LVTO EGO QVOQVE FORMATVS SVM, sicut supra dixisti: *Memento quæso quod sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me.* Quod ipsum ego de me pariter pronuntio.

VERVN-

VERVNTAMEN MIRACVLVM MEVM quod Deus ad admirationem A multorum supra communem cursum per donum sapientiæ in me ædit, NON TE TERREAT, obstupefaciat, ac si monstrum quoddam sim, ET ELOQVENTIA MEA vtpote à spiritu diuini oris formata & ob id excellens atque inusitata NON SIT TIBI GRAVIS prout omne quod excellit grauat eos, qui non ferunt pares, aut excellentiores.

Hæc præfatus aggreditur Eliu rem ipsam, & dicit. DIXISTI ERGO IN AVRIBVS MEIS, ET VOCEM VERBORVM TVORVM AVDIVI.

MVNDVS SVM EGO, ET ABSQVE DELICTO; IMMACVLATVS, ET NON EST INIQVITAS IN ME. Videtur alludere ad verba capitis 16. vbi dixit Iob, *Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ cum haberem ad Deum mundas preces.* QVIA QVERELAS IN ME REPERIT, Aquinas arbitratur hæc verba à Iob dicta non esse, sed ab Eliu hic in medium deprauatè adducta: & satis probabiliter secundum id quod apud alios legitur Dominum de Iob B dixisse, *Ecce homo sine querela.* Quod autem subijcitur, IDEO ARBITRATVS EST ME INIMICVM SIBI, admittit Aquinas dictum à Iob, sed interrogatiuè vt patet capite 13. vbi dicit, *Cur arbitraris me inimicum tibi?* Potest nihilominus intelligi Eliu hæc allegasse non tam ex verbis, quam ex sensu, ac disputatione Iob, vt qui sustinuerit se atrociora sustinuisse quam merebatur, atque ex eo Eliu formauerit sibi hanc sententiam ac si dixisset Iob, Quandoquidem Deus inuenit in me querelas ratione humanæ infirmitatis, eas tam grauiter accepit, ac tantopere exaggerauit vt affligendo, egerit mecum quasi cum inimico.

POSVIT IN NERVO PEDES MEOS, CVSTODIVIT, obseruauit, OMNES SEMITAS MEAS, quod inuenitur Iob cap. 13. dixisse.

Quibus positis infert Eliu. HOC EST ERGO, IN QVO NON ES IVSTIFICATVS, ac si diceret, vel hoc ipso quo talia dixisti, iustitia excidisti. C Nam RESPONDEBO TIBI QVIA MAIOR SIT DEVS HOMINE, & ob id non debeat homo tametsi suo iudicio purus & nullius iniquitatis sibi conscius dicere, *Mundus sum ego, & absque delicto immaculatus, & non est iniquitas in me,* quia plura & maiora homine videt Deus. Quo argumento arbitratus est Eliu se confutasse allegatas sententias Iob, sed non animaduertit esse minorem quandam iustitiam, vt ex Augustino allegauimus, & tametsi *Deus in altis habitet, humilia tamen respicit in cælo & in terra.* (Psal. 112.)

Transit proinde Eliu ad refellendum quod Iob optauerat Deum sibi dari controuersiæ, quam agitabat cum amicis, Iudicem, eo quod de arbitris huius vitæ dixisset, *Non est qui possit vtrumque arguere & ponere manum suam in ambobus,* & dicit. ADVERSVS EVM CONTENDIS, QVOD NON AD OMNIA VERBA, quæ ad ipsius refers iudicium, RESPONDERIT TIBI? q.d. frustra, quia SEMEL LOQVITVR DEVS, ET SECVNDO ID IPSVM NON D REPETIT. Semel autem locutus est quæ possunt quæstionibus tuis & disputationibus satisfacere, & imponere finem, frustra igitur contendis vel stomacharis quod Deus singulis vicibus tibi singulatim non respondeat.

Locutus est autem Deus semel PER SOMNIVM IN VISIONE NOCTVRNA, QVANDO IRRVIT SOPOR SVPER HOMINES, ET DORMIVNT IN LECTVLO: TVNC APERIT AVRES VIRORVM vigilantium, iuxta quod Eliphas supra dixit se, *quando sopor irruit super homines,* vigilasse: ET ERVDIENS EOS INSTRVIT DISCIPLINA, VT AVERTAT HOMINEM AB HIS QVÆ FACIT, ne scilicet illa nimis extollat, ET LIBERET EVM DE SVPERBIA, qua arbitretur se esse iustum coram Deo. Qua disciplina supra cap. 4. Eliphas instructus est, cum ipsi diceretur, *Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur*

A *cabitur aut factore suo purior erit vir?* Per quæ insinuat Eliu semel & sufficienter responsum esse quod homo non sit iustus coram Deo: & ob id non oportere Iob iteratum à Deo oraculum in idipsum expetere.

Transit itaque ad aliud & dicit. DEVS, per protectionem est ERVENS ANIMAM EIVS, hominis de quo dixit, AVERTAT HOMINEM. Eruens dico animam eius A CORRVPTIONE inualitudinis corporeæ ET VITAM ILLIVS temporalem VT NON TRANSEAT IN GLADIVM, ne violenter perimatur.

INCREPAT QVOQVE PER DOLOREM IN LECTVLO ET OMNIA OSSA EIVS per tabem quæ inuaserit medullas ipsius MARCESSERE FACIT.

ABOMINABILIS EI FIT IN VITA SVA PANIS non solum vulgaris & communis, sed ET ANIMÆ ILLIVS CIBVS ANTE DESIDERABILIS, qui nimirum peculiariter ipsi esse solet in delicijs prout Isaac libenter solet vesci de venationibus Esau à Rebecca certo modo coctis & conditis, ita vt hic B impleatur illud Psalmi, *Omnem escam abominata est anima eorum.* Psal. 106.

TABESCET CARO EIVS; ET OSSA, QVÆ adipe & carne TECTA FVERANT, NVDABVNTVR, vt per pellem extenuatam facile conspiciantur & penè numerentur.

APPROPINQVAVIT CORRVPTIONI ANIMA EIVS. Quæ autem? ET VITA ILLIVS MORTIFERIS, nam deuenit in sortem illorum qui lethaliter ægrotant.

Sic ergo Deus decumbentes in lectulo, nunc instruit, nunc increpat. Non est tamen ijs per omnia par conditio. Vt enim Deus nullius intercessione mutabit oraculum suæ doctrinæ; non ita in increpatione sic perdurabit vt non patiatur se Angelorum patrocinio ad miserandum deduci. Quia SI FVERIT PRO EO ANGELVS LOQVENS, VNVS DE MILLIBVS, VT ANNVNCIET HOMINIS ÆQVITATEM: quam annunciare non poterit nisi C homo habuerit eam: Proinde conditionalis huius sensus est; Si eo loco fuerint res hominis istius vt habeat quippiam æquitatis quam in conspectu Dei annunciet Angelus VNVS DE MILLIBVS, qui vtique est Angelus Custos hominis, ex numero Angelorum constante multis millibus, singulis deputatus: Si dico eo loco res hominis fuerint vt Angelus videat in homine quod Deo in bonum ipsius annunciet, MISEREBITVR EIVS, ratione afflictionis in qua versatur, ET orando pro homine, DICET: LIBERA EVM, VT NON DESCENDAT IN CORRVPTIONEM, ne deueniat in mortem corporalem. Quæ oratio ne sterilis sit, adiungit Angelus, INVENI IN QVO EI PROPITIER, æquitatem videlicet & æquitatis opera, quæ me mouent ad commiserandum in ordine ad sanitatem ipsius, pro ipso intercedam.

CONSVMPTA EST CARO EIVS A SVPPLICIIS, in vltionem peccatorum carni ipsius per morbum & languorem illatis, REVERTATVR AD DIES D ADOLESCENTIÆ SVÆ, vt recuperet valetudinem quam in adolescentia habuit.

DEPRECABITVR DEVM, ipse languidus, ET per intercessionem Angeli, hominis æquitate instructam PLACABILIS EI ERIT Deus: ET VIDEBIT homo valetudini restitutus, FACIEM EIVS, Dei, eo modo quo vident faciem Dei qui dicunt, *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo:* Videbit Psa. 118. dico IN IVBILO quam tempore inualetudinis suæ per tristitiam & morbi quandam caliginem videbat in nubilo, ET Deus REDDET HOMINI IVSTITIAM SVAM latius dictam à qua, quod Augustinus & Aquinas docuerunt iustum dicitur quod æquum est. Æquum verò est, vt æquitas æquitate compensetur.

RESPICIET HOMINES, qui tempore ægritudinis ex circumstantibus neminem

neminem agnoſcerent, ET DICET: PECCAVI, ET VERE DELIQVI, atque A
adeo ob peccata & delicta mea in tantam inualetudinem deueni, ET, VT DIGNVS ERAM, NON RECEPI, quia maiora ſupplicia commerui.

Per præfata ac interceſſionem Angeli LIBERAVIT ANIMAM SVAM NE PERGERET IN INTERITVM temporalis ſuæ vitæ, quem ſenſum illuſtrat quod ſequitur, SED VIVENS LVCEM omnibus viuentibus aſpectabilem VIDERET.

ECCE, non eſt eadem ratio horum & oraculorum Domini. Nam de illis dixi ſemel loquitur Deus & ſecundo idipſum non repetit: ſed HÆC OMNIA OPERATVR DEVS TRIBVS VICIBVS, multoties inquit Aquinas, ſed peculiariter tribus vicibus, quia ſolent homines ter moneri vel citari ac etiam tertio in gratiam recipi. PER SINGVLOS, promiſcue, ne arbitreris per modum reuelationum & viſionum iſta Dei beneficia peculiariter tantum & extra ordinem præſtari: Vt proinde quod de oraculo Eliphas, hic mihi dicen- B
dum non ſit, voca ſi eſt qui tibi reſpondeat, quia de his & huiuſmodi reſpondet Deus ſingulis operantibus æquitatem: Faciens hæc, VT REVOCET ANIMAS EORVM A CORRVPTIONE morbi lethalis, ET ILLVMINET LVCE VIVENTIVM qua omnes viuentes fruuntur. Nec ſolum hæc operatur Deus in ordine ad ſanitatem corporalem, verum etiam ſpiritualem, dicente Bernardo, *Sed & Angelus hominis qui vnus eſt de ſodalibus ſponſi in hoc ipſum deputatus, conuerſus ad Dominum dicit; ſicut deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima iſta ad te Deus. Conuertere aliquantulum & deprecabilis eſto ſuper eam. reſpice de cælo, & vide, & viſita deſolatam. Fidelis paranymphus non ſuam quærit, ſed Domini gratiam, diſcurrit medius inter dilectum, & dilectam, vota offerens, referens dona. Excitat iſtam, placat illum.* Ex verbis itaque Eliu habes tunc temporis creditum fuiſſe Angelos non ſolum preces noſtras Deo offerre, ſed etiam ſi quam habemus æquitatem Deo pro nobis C
allegare, imò etiam pro nobis atque adeo nobiſcum orare, ſic vt neſciam qua ratione interceſſio Angelorum nunc aut in dubium reuocetur, aut negetur. Et quidem hic tantum ſermo eſt de Angelo allegante hominis æquitatem, ſed quia edocti ſumus diuinitus orare pro inimicis, vtique & Angeli qui non ceſſant orare pro ijs qui admittunt iniquitatem, vt ad æquitatem conuertantur.

ſerm. 31. in Cant. *Pſal. 41.* *Pſal. 89.*

Pergit Eliu. ATTENDE IOB, ET AVDI ME: ET TACE, DVM EGO LOQVOR, ne mihi ſermonem interrumpas. Attende inquam. Multa enim dixi à verbis tuis aliena. Dixi enim eum qui per Dei gratiam reualeſcit dicere, Peccaui, & verè deliqui, & vt eram dignus non recepi, Tu autem dixiſti, *Vtinam appenderentur peccata mea quibus iram merui & calamitas quam patior, in ſtatera, quaſi arena maris hæc grauior appareret*, Hoc autem quantopere diſcordat ab eo quem dixi diuinitus in integrum reſtitui? vt proinde verè dixerit D
Eliphas, *An grande eſt vt conſoletur te Deus?* Imò non grande quia incolumitatem corporis reſtituit in æquitate ambulantibus tribus vicibus per ſingulos, ſed labia tua iniqua, quibus affirmas te ſupra demerita tua affligi, hoc prohibent.

Cap. 6. *Cap. 15.*

SI AVTEM HABES QVOD non abs re LOQVARIS, RESPONDE MIHI, LOQVERE: VOLO ENIM TE, ſi fieri poteſt, APPARERE atque adeò manifeſtari IVSTVM, *nec ſatago quærere impietatem in domo iuſti*, ipſumque mendaeijs deformare & ſic obtundere, vt non patiar ipſius audire iuſtificationem.

Prou. 24.

QVOD SI NON HABES, quod cum rerum veritate reſpondeas, AVDI ME: TACE, ET DOCEBO TE SAPIENTIAM, viarum, ac iudiciorum diuinorum veritatem ac rationem.

CAPVT

A

CAPVT XXXIIII.

PRONVNCIANS ITAQVE, cum videlicet Iob interpellatus & inuitatus non loqueretur, ELIV, ETIAM HÆC LOCVTVS EST: AVDITE SAPIENTES VERBA MEA, ET ERVDITI AVSCVLTATE ME: AVRIS ENIM VERBA PROBAT, ET GVTTVR ESCAS GVSTV DIIVDICAT. Ob id igitur interpellaui Sapientes qui veritatis habent gustum, vt non tantum verba audiant, sed veritatem suo sensu diiudicent, & agnoscant.

IVDICIVM ELIGAMVS NOBIS, nec cum Iob controuersiam nostram ad Dei solium vel Deum arbitrum referamus, sed ex numero Sapientum controuersiæ arbitros deligamus, ET INTER NOS, communi iudicio VIDEAMVS QVID SIT MELIVS, & sic controuersiam nostro iudicio terminemus.

B

QVIA DIXIT IOB: IVSTVS SVM, ET DEVS SVBVERTIT IVDICIVM MEVM. IN IVDICANDO ENIM ME, MENDACIVM EST: VIOLENTA SAGITTA MEA ABSQVE VLLO PECCATO: Quia inquam hæc dixit Iob, QVIS EST VIR VT EST IOB, QVI BIBIT SVBSANNATIONEM, iudiciorum Dei ac etiam Sapientum qui in hoc sæculo sunt, derisionem, damnationem, improbationem, QVASI AQVAM, ita vt subsannatio iam dicta, *intrauerit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius.* Psal. 108.

QVI GRADITVR CVM OPERANTIBVS INIQVITATEM, ET AMBVLAT CVM VIRIS IMPIIS, sicut scriptum est, *si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Psal. 49.

C

DIXIT ENIM: NON PLACEBIT VIR DEO, ETIAM SI CVCVRRERIT CVM EO: Proinde nihil spei in Deum habens, societatem amplexus est impiorum, in operationem omnis immunditiæ, in auaritiam. Sed pronunciat hęc Eliu ex verbis Iob sinistrè intellectis. Quod enim Iob dixerit, DEVS SVBVERTIT IVDICIVM MEVM, idque declarando subiecerit, IN IVDICANDO ENIM ME, MENDACIVM EST, verum non est, quia capite vigesimo septimo ad quod videtur Eliu respicere, non dixit Iob Deus subuertit, sed, ABSTVLIT IVDICIVM MEVM, quia publico iudicio nondum declarauerat Deus cur Iob ita iudicaret, & vitam ipsius ad tantam amaritudinem perduceret. Aliud verò est iudicium non ædere, aliud iudicium subuertere, quod est contra iustitiam iudicare. Manifestum ergo est quod *Iob contra Deum non biberit subsannationem quasi aquam*. Similiter non dixit Iob, *Non placebit vir Deo, etiamsi cucurrerit cum eo*, sed videtur Eliu verba dicentis: *Et innocentem & impium ipse consumit*, in illum sensum deprauasse. Qui frustra subiungit, IDEO VIRI CORDATI AVDITE ME, ABSIT A DEO IMPIETAS, ET AB OMNIPOTENTE INIQVITAS. Non enim potest Eliu ostendere Iob iniustitiam vel impietatem, siue inclementiam Deo asscripsisse, qui capite 9. dixit: *Si æquitas iudicij in Deo quæritur, nemo audet pro me testimonium dicere.*

D

Quod verò in Deo non sit impietas nec iniquitas, Apostolico argumento probat Eliu subiungens. OPVS ENIM HOMINIS REDDET EI, ET IVXTA VIAS SINGVLORVM RESTITVET EIS. Deus vtique, *si verò* inquit Apostolus, *iniquitas apud Deum, quomodo Deus iudicabit hunc mundum?* Rom. 3.

VERE ENIM DEVS NON CONDEMNABIT FRVSTRA, NEC OMNIPOTENS SVBVERTET IVDICIVM. Si enim ipse subuertit iudicium, QVEM CONSTITVIT ALIVM SVPER TERRAM? AVT QVEM POSVIT SVPER ORBEM, *qui iudicet orbem in æquitate?* An neminem? Id est tumultibus exposuisse, atque adeo deseruisse orbem QVEM FABRICATVS EST, & perturbationibus omnium rerum exposuisse, quod est inclementiæ, satius enim esset orbem non condidisse, quam tot fluctibus exponere. A

SI DIREXERIT AD EVM COR SVVM, SPIRITVM ILLIVS ET FLATVM AD SE TRAHET, vt à morte corporis hic per flatum significata, spiritus siue anima ipsius apud ipsum obtineat locum.

Extracto autem spiritu, DEFICIET OMNIS CARO SIMVL, ET HOMO IN CINEREM REVERTETVR, nam id ordinariè euenit spiritu è corpore siue raptim educto, siue deficiente corpore emisso. B

SI HABES ERGO INTELLECTVM, interiore aure AVDI QVOD DICITVR, ET exteriore, AVSCVLTA VOCEM ELOQVII MEI quod nunc emitto, & est hoc. NVNQVID QVI NON AMAT IVDICIVM, & ob id non dicit,
Psal. 24. *Iustus es Domine, & omnes viæ tuæ, misericordia & veritas & iudicium*; Si fuerit à Deo flagellatus, SANARI POTEST, & non magis sinistrum de Deo iudicium dabit perseuerantiam malorum? ET QVOMODO, qua audacia, TV EVM QVI IVSTVS EST, IN TANTVM CONDEMNAS, vt dicas eum peruertere iudicium? Eum dico, QVI DICIT REGI, APOSTATA, declarans ac quando opus fuerit, iudicans Regem seruato tametsi legitimo Principatu à Regio officio & debita administratione apostatare, QVI VOCAT DVCES IMPIOS condemnando eos impietatis in Deum, etiamsi fortè reipub. iusti & æqui sint, Nunquid ergo quispiam docebit rectè iudicandi scientiam, *eum qui excelsos iudicat*, vt capite 21. dixit Iob? C

QVI in iudicando NON ACCIPIT PERSONAS PRINCIPVM, vt in gratiam vel reuerentiam principatus à vero deuiet: NEC COGNOVIT TYRANNVM, vt ipsius extimesceret potentiam vel violentiam, CVM DISCEPTARET CONTRA PAVPEREM, tanquam iniquam causam fouentem; præ-
Psal. 66. buit enim se magis *patrem pauperum & iudicem viduarum.* Ratio huius est, OPVS ENIM MANVVM EIVS SVNT VNIVERSI, Reges, Duces, tyranni, pauperes, & per id ad ipsum æque pertinentes, vt de ipsis statuat quod iustum est: non ignorante idipsum Iob, qui supra in sen-
cap. 10. sum negatiuum dixit, *Nunquid bonum tibi videtur si calumnieris me & opprimas me opus manuum tuarum?* Et ob id capite trigesimo primo dixerit, *Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cum disceptarent aduersum me, quid faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus? Nunquid non in vtero fecit me, qui & illum operatus est, & formauit me in vulua vnus?* D

SVBITO MORIENTVR, Reges, Apostatæ, Duces impij, Tyranni, *quia*
Luc. 12. *veniet Dominus serui illius*, qui dicit: *Moram facit Dominus meus, & cœperit percutere conseruos suos. Veniet* dico *hora qua nescit*, & sic subitò, quia præter opi-
Mat. 25. nionem, & inexspectato, ET IN MEDIA NOCTE, *quando fiet clamor magnus: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei*, TVRBABVNTVR POPVLI à dormitatione & somno suo ex improuiso excitati, & ad aduentum Iudicis trepidi, ET PER-
Mat. 13. TRANSIBVNT Angeli, de quibus Christus, *Sic erit in consummatione sæculi, Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum*, ad quod necesse est Angelos pertransire hominum collectionem promiscuam, vt de medio multitudinis confusæ malos segregent. ET ijdem Angeli è medio bonorum

AVFE-

A AVFERENT VIOLENTVM, totum genus malorum, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt, ABSQVE MANV, quia solo Angelico nutu & iussu.

OCVLI ENIM EIVS SVPER VIAS HOMINVM, ET OMNES GRESSVS EORVM, tam bonos quam malos, CONSIDERAT.

NON SVNT TENEBRÆ, ET NON EST VMBRA MORTIS, VT ABSCONDANTVR IBI, QVI OPERANTVR INIQVITATEM, Quia tenebræ non obscurabuntur à te, atque adeo nudus est infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni. NEQVE ENIM VLTRA IN HOMINIS POTESTATE EST, VT quasi ad reuisionem prioris iudicij, VENIAT AD DEVM IN IVDICIVM, quia illud iudicium erit extremum. *Psal. 138.* *Sup. c. 26.*

CONTERET MVLTOS ET INNVMERABILES, quia tunc implebitur quod scriptum est, *Super quem ceciderit lapis iste conteret eum*, irreparabiliter confrin- *Matth. 21.*
B gens, in tanto numero, vt ab hominibus computari non possit, ET STARE FACIET ALIOS PRO EIS, illos nimirum, de quibus dicitur, *vt possitis stare ante filium hominis.* *Lu. 21.*

NOVIT ENIM OPERA EORVM, violentorum quos dixi: ET IDCIRCO INDVCET NOCTEM exteriorum tenebrarum, ET, eo quo diximus modo, CONTERENTVR.

QVASI IMPIOS PERCVSSIT EOS IN LOCO VIDENTIVM: loco inquam aliorum visui opposito, Iusti enim videbunt impios præcipitari in infernum, & ibidem puniri, nam vt Iudex dicit, *Inimicos meos interficite coram me*, ita *Luc. 19.* de iustis dixit Isaias, *Videbunt cadauera virorum qui præuaricati sunt in me.* *Isaiæ 66.*

Est autem iustum vt impij sic conterantur; sunt enim de numero eorum, QVI QVASI DE INDVSTRIA RECESSERVNT AB EO, ET OMNES VIAS EIVS INTELLIGERE NOLVERVNT, prout supra ipsos audiuimus
C Deo dicentes, *Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* Iniqui- *Cap. 21.* tatibus verò & ignorantijs de industria, & data opera, ne dicam, quod est apud Esdram, ex contentione, voluntarijs, quis non intelligit iustam à Iudice *2. Esdr. 9* deberi vindictam? Nec solum à Deo recesserunt per prætermissionen bonorum, verum etiam ad iniustitiam conuersi sunt, VT PERVENIRE FACERENT AD EVM CLAMOREM EGENI, sicut scriptum est, *Clamor eorum* *Iac. 5.* *in aures Domini Sabaoth introiuit*, *Deus enim non faciet vindictam electorum cla-* *Luc. 18.* *mantium ad se die ac nocte?*

Quo tempore etiam faciet retributionem iustorum, ratione cuius subijcitur. IPSO ENIM CONCEDENTE PACEM, de qua Isaias, *Domine pacem* *Isaiæ 26.* *dabis nobis, omnia enim opera nostra operatus es in nobis.* QVIS EST QVI CONDEMNET? Iuxta quod Isaias, *dixit Deus auxiliator meus, quis est qui condem-* *Isaiæ 50.* *net me?* prout ex Isaia allegat Apostolus. EX QVO ABSCONDERIT VVLTVM, *Rom. 8.*
D quando nimirum *posuerit tenebras latibulum suum*, *& in abscondito faciei suæ* *Psal. 30.* *abscondérit* electos suos *à conturbatione hominum:* Cum dico id fererit. QVIS *Psal. 17.* EST QVI CONTEMPLETVR EVM, ET SVPER GENTES ET SVPER OMNES HOMINES? Vsque adeo nemo est, vt ne quidem gentium supremi & hominum capita ipsius gloriæ poterunt quippiam videre.

Quæres autem cum Deus sit Omnipotens, cur permittat tyrannos imperare? respondetur, QVI REGNARE FACIT HOMINEM HYPOCRITAM, Regis quidem formam præ se ferentem, Regis autem virtutes abnegantem, ita vt de eo dixeris quod de iudicibus in Babilone Daniel, *Vide-* *Dan. 13.* *bantur regere populum.* Propter quem fucum, *Dominus serui illius, qui Do-* *Luc. 12.* *mino moram faciente, cœperit percutere conseruos, partem ponit cum hypocritis.* Facit ergo regnare hypocritam PROPTER PECCATA POPVLI:

lib. 5. c. 24. Ex quo intelligas Dei circa hæc prouidentiam, dicente Ireneo, *Cuius iussu homines nascuntur, huius iussu & Reges constituuntur apti his qui in illo tempore ab ipsis regnantur. Quidam enim illorum ad correctionem & vtilitatem subiectorum dantur, & conseruationem iustitiæ: Quidam autem ad timorem & pœnam & increpationem. Quidam autem ad illusionem & contumeliam & superbiam, quemadmodum* A
5. de ciuit. c. 19. *& digni sunt, Dei iusto iudicio in omnibus æqualiter superueniente.* Et Augustino, *Etiam talibus (* Neroni & similibus *) Dominandi potestas non datur, nisi summi Dei prouidentia, quando res humanas iudicat talibus Dominus dignas. Aperta de hac re*
Prouerb. 8. *vox diuina est, loquente Dei sapientia, per me Reges regnant, & per me tyranni tenent terram. Sed ne tyranni non pessimi atque improbi Reges, sed veteres nomine fortes dicti existimentur: vnde ait Virgilius,*

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni:

Apertissimè alio loco de Deo dictum est, qui regnare facit hominem hypocritam propter peruersitatem populi. Quæ Anacletus Epist. 3. extendit ad Ecclesiarum Pastores, B
dicens, *Pro meritis plebis sæpe Pastores deprauantur Ecclesiæ, vt procliuius corruant.*

QVIA ERGO EGO LOCVTVS SVM AD DEVM in conspectu Dei de iudicijs ac vijs ipsius, TE QVOQVE NON PROHIBEBO, quo minus de ijsdem loquaris.

SI ERRAVI, TV DOCE ME: Si te docente deprehendar quod INIQVITATEM LOCVTVS SVM, VLTRA NON ADDAM, per quæ protestatur Eliu se nec incorrigibilem esse, nec in errore pertinacem. Sed an reuera res ita se habuerit, & non magis istud dixerit pro forma, apud semetipsum persuasus quod Iob non doceret ipsum errasse, magis apparebit ex sequentibus, & genio ipsius quod tota dictione elucet.

NVNQVID A TE DEVS vindicando EXPETIT EAM, iniquitatem quam ego sum locutus, hoc saltem titulo QVIA DISPLICVIT TIBI? Subaudi, non sic euades. TV ENIM COEPISTI LOQVI, ET NON EGO, sic vt tu mihi dederis loquendi ansam, & per id reus sis alieni peccati, tanquam qui fratrem scandalisaueris. QVOD SI QVID NOSTI MELIVS, LOQVERE. C

VIRI INTELLIGENTES LOQVANTVR MIHI, ET VIR SAPIENS, qui possit iudicare inter verum & falsum, AVDIAT ME.

IOB AVTEM STVLTE LOCVTVS EST, ET VERBA ILLIVS NON SONANT DISCIPLINAM, effrenes enim sunt sermones ipsius, nec metu nec reuerentia, nec solicitudine dicendæ solidæ veritatis vllatenus constricti.

Interpellans proinde Eliphæ vlteriorem instantiam, exclamat Eliu, PA-
de tradit. hebra in 1. Reg. TER, siue Authore Hieron *Magister*, MI, *sic enim Elisæus Eliam patrem, idest magistrum vocat: Et in libro Iob Eliu Eliphas patrem, idest, magistrum vocat hoc*
4. Reg. 2. *modo:* PATER MI, PROBETVR, exerceatur, oppugnetur, IOB VSQVE IN FINEM, NE, vt cœpisti, DESINAS AB HOMINE INIQVITATIS, quo minus contra ipsum disputes, quoad vsque eum confutaueris.

QVIA ADDIT SVPER PECCATA SVA quibus tantam quam sustinet, Dei iram meruit: Addit inquam, BLASPHEMIAM, iustum Dei iudicium reprehendendo, & cum tot, quæ capite vigesimo secundo recensuisti, peccatis sit obnoxius, audet affirmare se esse iustum coram Deo: omnis autem verborum in Deum iniuria, blasphemia. INTER NOS INTERIM, pariter ac certatim contranitentes, nam & ego paratus sum vobis intermissa resumentibus me adiungere: Inter nos itaque CONSTRINGATVR, vt non inueniat effugium ratiocinationibus nostris vndique conuictus: ET TVNC AD IVDICIVM PROVOCET SERMONIBVS SVIS DEVM, more hominum qui hic efficaciter superati, appellant Dei iudicium, variè persuasi quod ibi triumphabunt. Contra quos dicit Psalmus: *Existimasti iniquè* D

quod

A *quod ero tui similis, Arguam te, & statuam contra faciem tuam*, vt ipse quasi in speculo videas rem ita se habere, vt egó, contra quam existimasti, iudico.

CAPVT XXXV.

IGITVR ELIV, cum videret amicos Iob ad verba hæc nihil respondere. HÆC RVRSVM LOCVTVS EST ad Iob: NVNQVID ÆQVA TIBI VIDETVR TVA COGITATIO, VT DICERES: IVSTIOR SVM DEO? Cogitatio inquit, nouerat enim Iob id non dixisse, sed quia visus est iudicium Dei reprehendere, arbitrabatur Eliu illud non procedere, nisi ex opinione qua quisque creditur existimare se meliorem eo quem reprehendit. Cum
B tamen id verum non sit, nam de ijs quæ reprehendimus in alijs frequenter reprehendimus & nos tanquam eiusdem infirmitatis consortes. Eliu verò *factus iudex cogitationum iniquarum*, ausus fuit Iob imponere quod non cogitarat: Audacior quam Eliphas, qui supra dicendo, *An cogitas quia Deus excelsior cælo est, & super stellarum verticem sublimetur?* De cogitationibus Iob non iudicium fecit, sed scrutinium. Iac. 2. Iob 22.

DIXISTI ENIM DEO: NON TIBI PLACET QVOD RECTVM EST. Quod cum Iob non dixerit videtur Eliu id collegisse ex verbis, *Innocentem & impium ipse consumit*. VEL, QVID TIBI PRODERIT SI EGO PECCAVERO? Quod Iob itidem non dixit, sed Eliu ex verbis ipsius prauè collegit, ac si Deus Iob ad peccandum requisiuisset, ipse verò Deo melior Deumque dehortatus dixisset, QVID TIBI PRODERIT SI EGO PECCAVERO? Vtique nihil, non enim, inquit Ecclesiasticus, necessarij illi sunt filij Cap 9. Eccl. 15.
C impij.

ITAQVE EGO RESPONDEBO SERMONIBVS TVIS, ET AMICIS TVIS TECVM quos iam percipio in tuas sententias concessisse, nec ad partem meam velle redire.

SVSPICE COELVM, ET INTVERE, ET CONTEMPLARE ÆTHERA QVOD ALTIOR TE SIT: & proinde, *Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat*, vt audeat homo ipsum iudicare vel arguere. Psa. 112.

SI PECCAVERIS, QVID EI NOCEBIS? Nihil vtique, quia scriptum est, *Qui in me peccauerit, lædet animam suam, Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem*. ET SI MVLTIPLICATÆ FVERINT INIQVITATES TVÆ, QVID FACIES CONTRA EVM? Vsque adeo nihil, *vt etiam de eo quod agitur contra ipsius voluntatem, voluntas ipsius vel mala in bonum conuertentis, vel mala punientis impleatur*, dicente Augustino, *Magna opera Domini exquisita in omnes volun-* Prou. 8. Euchr. cap.
D *tates eius, & tam sapienter exquisita, vt cum Angelica & humana creatura peccasset etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum quod Creator noluit, impleret ipse quod voluit: Benè vtens & malis tanquam summè bonus ad eorum damnationem quos iustè prædestinauit ad pœnam, & ad eorum salutem quos benignè prædestinauit ad gratiam. Propterea magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem, quia non fieret si non fineret: nec vtique nolens finit, sed volens. Nec fineret bonus fieri malè, nisi Omnipotens etiam de malo facere posset benè.* 100. Psal. 110.

PORRO SI IVSTE EGERIS, QVID DONABIS EI, AVT QVID DE MANV TVA ACCIPIET? Qui dicit per Isaiam, *Plenus sum*, sic vt nihil mihi adijci possit, cui propterea iam correcti in Psalmo dicunt Iudæi, *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Isai. 1. Psa. 15.

HOMINI, QVI SIMILIS TVI EST, tanquam nocumenti & incrementi tecum capaci NOCEBIT IMPIETAS TVA: ET FILIVM HOMINIS ADIVVABIT IVSTITIA TVA. A

PROPTER MVLTITVDINEM CALVMNIATORVM, falsa criminantium, illi qui nocumentum acceperint per impatientiam CLAMABVNT: ET EIVLABVNT PROPTER VIM BRACHII TYRANNORVM violenter agentium, eo quod ipsis nocumentum inferat iniquitas.

ET cum tyrannidem cap. 22. ab Eliphas latè recensitam, exerceret Iob, NON DIXIT: VBI EST DEVS, QVI FECIT ME? Erat enim ex ijs de quibus postmodum Psalmus, *Alieni insurrexerunt aduersum me, & fortes quæsierunt animam meam, & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.* QVI DEDIT CARMINA IN NOCTE, dicente Ambros. *Habet etiam nox carmina sua quibus vigilias hominum mulcere consueuit, habet & noctua suos cantus. Quid autem de luscinia dicam, quæ peruigil custos cum oua quodam sinu corporis & gremio fouet, insomnem longæ noctis laborem cantilenæ suauitate solatur. Hanc imitata tenuis illa mulier, sed pudica, in vsum molæ lapidem brachio trahens, vt possit alimentum panis suis paruulis non deesse, nocturno cantu mæstum paupertatis mulcet affectum.* Hæc Ambros. Noctis carmina Dominus multiplicauit, quando excitauit Dauidem media nocte surgere *ad confitendum nomini ipsius*, Et exinde multo magis quando ad instar Dauidis per totam ecclesiam media nocte surgitur ad decantandas Deo laudes. Gregorius interim eos qui in tribulatione implent illud Apostoli, *Spe gaudentes*, dicit celebrare carmina in nocte, præsertim cum pertigerint ad illud Apostoli. *Omne gaudium existimate fratres cum in varias tentationes incideritis.* B

Psal. 53.

5. Hexa. c. 24.

Psal. 118.

Greg lib 26 Moral. c. 12.

Rom. 12.

Iac. 1.

QVI DOCET NOS SVPER IVMENTA TERRÆ, ET SVPER VOLVCRES COELI ERVDIT NOS, non sola vocis suauitate, verum etiam sapienter psallere. Aquinas tamen arbitratur nos per hæc verba reuocari ab augurijs, ad quæ arbitrabantur gentiles diuinitus erudiri volucres, vt qui supra ea, sublimius à Deo erudiamur. C

IBI CLAMABVNT calumniatores & tyranni, ET NON EXAVDIET PROPTER SVPERBIAM MALORVM, quia mala egerunt non ex infirmitate, sed superbè cum Dei contemptu. Id autem precibus ipsorum claudit aures Dei.

NON ERGO FRVSTRA, nulla habita ratione qualis sit animus, quæ vita, quæ opera operantium AVDIET DEVS: ET OMNIPOTENS CAVSAS SINGVLORVM INTVEBITVR, iuxta quod dixit Ambros. *Moderante illo qui pensat vota nostra & dispensat munera sua, in tantum vicina præsentia efficacis præbebitur aduocati, in quantum fuerit fides deuota suscepti. Vsque adeo vt ne quidem intercessio Sanctorum, absque debita dispositione nostra*, nostris precibus valeat prodesse.

serm. 93.

ETIAM CVM DIXERIS, NON CONSIDERAT, quod dicere arguuntur quos introducit Sapiens dicentes, *Peccaui, & quid ex hoc triste accidit mihi?* IVDICARE, iudicaris CORAM ILLO: *Nullo enim temporis interuallo ista diuiduntur, vt quasi alio tempore homo non faciat quod debet, & alio patiatur quod debet, ne vel puncto temporis vniuersalis pulchritudo turpetur, & sit in ea peccati dedecus sine decore vindictæ. Sicut enim qui non vigilat dormit, sic quisquis non facit quod debet, sine interuallo patitur quod debet, quoniam tanta est beatitudo iustitiæ, vt nemo ab ea nisi ad miseriam possit abscedere*, inquit August. ET EXSPECTA EVM, suo tempore in æqualitate vindictæ vltorem. D

Eccles. 5.

3. de lib. arb. c. 15.

NVNC ENIM mox ab admisso peccato vel in hoc sæculo NON INFERT FVROREM SVVM, NEC VLSCISCITVR SCELVS VALDE. Valdè inquit, indicans

scelus

A scelus etiamnunc, vt ex August. audiuimus, vindicari, sed non *valdè*, quia non condignè. *In Futurum enim iudicium seruatur ad manifestationem atque acerrimum sensum miseriæ quidquid nunc occultissimè vindicatur*, inquit ibidem Augustinus.

Infert Eliu, ERGO IOB FRVSTRA APERIT OS SVVM contra Dei iudicium, ET ABSQVE SCIENTIA VERBA MVLTIPLICAT, quia non nisi errorem suum inanibus verbis defendit & explicat.

CAPVT XXXVI.

ADDENS QVOQVE ELIV, HÆC LOCVTVS EST:

B SVSTINE, supporta, patienter ferto ME PAVLVLVM; non enim ero tibi diu grauis, ET INDICABO, persuadebo TIBI: ADHVC FINIM HABEO QVOD PRO DEO, diuinorum iudiciorum, viarumque iustitia LOQVAR, & hactenus elocutus non sum.

REPETAM SCIENTIAM MEAM in fundamentum ponens eandem conclusionem, quam me scire multis argumentis A PRINCIPIO probaui, hanc scilicet, quod iustus sit Dominus, & rectum iudicium eius, ET OPERATOREM MEVM, cuius manus fecerunt & plasmauerunt me, adhuc alijs argumentis & assertionibus PROBABO IVSTVM.

VERE ENIM ABSQVE MENDACIO SERMONES MEI, nequaquam commentitij, aut mendaciter compositi. ET PERFECTA SCIENTIA PROBABITVR TIBI, quia sermones mei illius erunt soliditatis ac vigoris, vt persuadeant se de certa scientia procedere. Hæc præfatus venit Eliu ad rem: Et, ne Iob magnus inter Orientales crederet se titulo potentiæ suæ diuini-

C tus percussum, quasi Deus nesciat qua æmulatione odisset potentes, dicit Eliu ante omnia.

DEVS POTENTES NON ABIICIT, CVM ET IPSE SIT POTENS, atque *adeo non sit potestas nisi à Deo*, qui non abijcit nisi quod à natura artis ipsius Rom. 13.
est alienum, & ob id potentes titulo potentiæ à Deo ad similitudinem potentiæ ipsius creatæ, non reprobantur.

SED ex aduerso, NON SALVAT potentes IMPIOS. Non enim tanti pretij apud ipsum est potentia, vt ad salutem sola sufficiat, vel impietati potentum appensa, præponderet. ET IVDICIVM PAVPERIBVS TRIBVIT in argumentum quod potentibus nulla in iudicio in pauperum præiudicium prærogatiua.

NON AVFERET A IVSTO OCVLOS SVOS cui à lapsu iustificato dicit, *Firmabo super te oculos meos*, vnde & alibi dicitur: *Oculi Domini super iustos.* Psal. 31.

D ET REGES IN SOLIO COLLOCAT IN PERPETVVM, vt in eodem solio sit Psal. 33.
eis continua successio. ET ILLI à Deo ad regnum euecti, ERIGVNTVR potestate, gloria, authoritate, vt tandem apparuit in Dauid, & Salomone.

ET SI FVERINT IN CATENIS, prout postmodum Manasses dicens, *Incuruatus sum in multo vinculo ferri*, ET VINCIANTVR FVNIBVS PAVPERTATIS, in ipsis vinculis constricti etiam inopia de quibus Psalmus, sedentes Orat. Manas.
in tenebris & vmbra mortis vinctos in mendicitate & ferro.

INDICABIT EIS OPERA EORVM ET SCELERA EORVM, QVIA VIOLENTI FVERVNT, vt vexatione præparante intellectum, faciat eos recordari Psal. 106.
malorum quæ egerunt, prout contigit Regi Antiocho exclamanti: *Nunc reminiscor malorum quæ feci in Ierusalem*, sed ne recordatio hæc mentes eorum 1. Mach. 6.
degrauet in desperationem.

REVELABIT QVOQVE AVREM EORVM, VT CORRIPIAT, faciens eos intelligere vincula & inopiam ipsis superuenisse ad correptionem quæ ordinatur ad emendationem, ET LOQVETVR, VT REVERTANTVR AB INIQVITATE, & correptione Domini vtantur ad emendationem sui. A

SI AVDIERINT VERBA loquentis, ET OBSERVAVERINT præcepta corripientis & admonentis, COMPLEBVNT DIES SVOS IN BONO, ET ANNOS SVOS IN GLORIA, quia restituentur in pristinum, prout Euilmerodach *restituit Ioachim Regem Iuda, & eduxit eum de domo carceris, & posuit thronum eius super thronos Regum qui erant post se in Babylone*, vt narrat Ieremias. Quin & Manassen, *Qui postquam coangustatus orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valdè coram Deo Patrum suorum, deprecatusque est eum & obsecrauit intentè, exauditum reduxit Ierusalem in regnum suum, & cognouit Manasses quod Dominus ipse esset Deus.*

Ierem. 52. 2. Paralip. 33.

SI AVTEM NON AVDIERINT corripientem & loquentem vt reuertantur ab iniquitate, de vinculis TRANSIBVNT PER GLADIVM, nam deuenient ad extremum supplicium. ET qui eo non deuenerint, perpetuo incarcerati, CONSVMENTVR IN STVLTITIA, de qua cum corriperentur, insipienter elegerunt in impœnitentia persistere. B

SIMVLATORES ET CALLIDI PROVOCANT IRAM DEI, sicut scriptum est, *Iniustus dolosè egit in conspectu eius*, simulans non autem exercens pœnitentiam atque iustitiam, *vt inueniatur iniquitas eius* pulchra specie velata, *ad odium*, quia simulatores acerbius odit Deus. NEQVE CLAMABVNT ad Deum CVM VINCTI FVERINT, quia nolent agnoscere se propter peccata sua iusto Dei iudicio in vincula deuenisse.

Psal. 35.

MORIETVR IN TEMPESTATE interna inquietudine ac remorsu conscientiæ ANIMA EORVM, ET ante mortem VITA EORVM INTER EFFOEMINATOS, nihil virilis sapientiæ habentes aut præferentes, & ob id mulieribus deditos. C

ERIPIET DE ANGVSTIA SVA PAVPEREM: Angustiæ finem imponendo, vel etiam in tribulatione animum ipsius dilatando vt in tribulatione alacriter procedat, ET REVELABIT IN TRIBVTIONE AVREM EIVS, sicut scriptum est, *In tribulatione murmuris doctrina tua eis.*

Isaie 26.

Quæ cum faciat Deus, IGITVR si correctus fueris, SALVABIT TE ô Iob DE ORE ANGVSTO LATISSIME, quia de angustia sterquilinij in quo iam desides, educet te in latitudinem terræ, vt spatiosa ipsius amplissimè inhabites atque perambules. Ore dico angusto, ET NON HABENTE FVNDAMENTA SVBTER SE, prout nihil firmamenti in sterquilinio: REQVIES AVTEM MENSÆ TVÆ ERIT PLENA PINGVEDINE, vt non dicas in posterum, *Antequam comedam, suspiro: & tanquam inundantes aquæ, sic rugitus meus.* Nec dicas: *Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.* D

Supr. c. 3 cap. 6.

CAVSA TVA, ab amicis tuis cum adhuc disputarent contra te, QVASI IMPIA IVDICATA EST. Sed id tibi parum sit, CAVSAM à correctione tui reformatam, IVDICIVMQVE bonæ retributionis suo tempore RECIPIES à Deo, omnia præcedentia iudicia recogniturо & completuro. Qui quandoquidem te correctum, vt ipsum facere solere declaraui, restituet in tuum Principatum, de quo amici dixerunt, *Vbi est domus Principis?* audi quid in recuperato Principatu cauere, quid agere debeas.

Et in primis, NON TE ERGO SVPERET IRA, VT præ illa, in iudicio ALIQVEM OPPRIMAS, NEC MVLTITVDO DONORVM à vigore iustitiæ INCLINET TE, vt emollito corde faciat te ab eo quod iustum est humaniter vel misericorditer recedere.

DEPONE

A DEPONE MAGNITVDINEM TVAM, exhibiturus pauperi misericordiam ABSQVE TRIBVLATIONE, sicut scriptum est, *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & responde illi pacifica in mansuetudine*, vt nimirum in miserationibus tuis nihil in te appareat fastus, dedignationis, vel mœroris, quasi qui misericordiam impendas inuitus. Depone etiam OMNES ROBVSTOS FORTITVDINE, ne per eos quippiam geras violenter aut pro potentia. Vel etiam omni cura tua in ipsos translata, securus & otiosus, Ne in multum diem PROTRAHAS NOCTEM, VT obseruata somnolentia ac socordia tua, in seditionem ASCENDANT POPVLI PRO; EIS, robustis tuis, & administrationem Principatus ad se transferant. Eccl. c. 4.

CAVE NE per tribulationes DECLINES, profundius descendas AD INIQVITATEM: HANC ENIM, cum prius esses simplex & rectus, COEPISTI SEQVI POST MISERIAM. Solent autem defectuum initia esse infirmiora, & sensim B in peiora gliscere.

ECCE, DEVS EXCELSVS IN FORTITVDINE, vt faciat quæcumque decreuit, *Nemo enim poterit auertere cogitationes eius, & anima ipsius quæcumque voluit hæc fecit.* ET NVLLVS EI SIMILIS IN LEGISLATORIBVS, vt vel legum æquitate, vel legum virtute ipsi æquetur. Isaiæ c. 55.

QVIS POTERIT SCRVTARI VIAS EIVS, media per quæ ad opus producendum procedit? *Sunt enim ininuestigabiles.* AVT QVIS POTEST EI demonstrando DICERE: OPERATVS ES INIQVITATEM? Cum *iudicia ipsius* in quibus sua opera disponit, *incomprehensibilia sint.* ad Rom. c. 11. Rom. 11.

MEMENTO QVOD IGNORES OPVS EIVS DE QVO CECINERVNT VIRI, Sapientes, qui solent mundum & quæ in eo sunt metro describere, & ob id authore Aquinate hic dicuntur cecinisse. Cecinerunt autem præsertim Prophetæ, & dixerunt, *Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis*, illa C nimirum nimis excedere captum & comprehensionem meam, ergo & tu ô Iob memento quod ignores opus eius, & de eo plura nescias quam habeas perspecta. Si verò ignores opus ipsum, sensum Dei qua ratione apprehendes, cum Sapientum alius dicat: *Omnium operum Dei nullam potest homo inuenire rationem.* Psa. 13 8. Ecclesf. 8.

OMNES HOMINES VIDENT EVM: quod ne intelligas de visione qua videbimus eum sicuti est, subiungitur, VNVSQVISQVE INTVEBITVR PROCVL, *quia per speculum in ænigmate, quod nec euidentissimam detegit speciem, nec prorsus obtegit veritatem*, inquit August. Quod tamen procedit de hominibus communiter, excipiuntur enim *in quibus natura nimium deprauata est*, inquit idem. Hi enim dicunt in corde suo, non est Deus. Cor. 13. Lib. 2. ad Simp. in Io. tract. Psal. 52.

ECCE DEVS MAGNVS VINCENS SCIENTIAM NOSTRAM, quam de rebus nostris alijsque creatis habere videmur. NVMERVS ANNORVM EIVS D INÆSTIMABILIS, quia nullo annorum numero comparari potest aut comprehendi.

QVI AVFERT STILLAS PLVVIÆ, pluuiam per stillas decidentem, ET EFFVDIT IMBRES AD INSTAR GVRGITVM, qui sunt collectiones aquarum abundantissimæ, ita vt & mare GVRGES dicatur, dicente Abacuc, *Gurges aquarum transijt*, quod idem cum illo Apocalipsis, *Mare iam non est.* Instar igitur gurgitum, quia in summa abundantia: & quandoquidem gurges primario dicitur profunditas fluuij in qua aqua circumagitur, non incongruè nomine gurgitum Eliu designare videtur Deum subinde aquas desuper emittere, non tam vt pluuias, quam vt fluuios, ipsasque aquas tanta copia decidentes circumagitare. cap. 3. Apoc. 21.

QVI, imbres, DE NVBIBVS FLVVNT, QVÆ, nubes PRÆTEXVNT CVNCTA

CTA DESVPER: nam velut quædam tela de supernis contegunt subiecta. A

SI VOLVERIT EXTENDERE NVBES QVASI TENTORIVM SVVM, ET, ex ijsdem nubibus, FVLGVRARE LVMINE SVO DESVPER, CARDINES QVOQVE, extrema, MARIS dicto tentorio OPERIET: Sic vt nubes non solum terram, verum etiam mare tanquam vnico & continuo operimento obtegant. Imò, quandoquidem *Deus fulgura in pluuiam fecit*, si voluerit, ex ijsdem nubibus aquas tanquam gurgites etiam in mare sic demittet, vt sint quasi aquæ, quod secundum quorundam lectionem, Isaias dixit, MARE OPERIENTES. Nec id incredibile, cum quædam inueniantur flumina in mare tanto impetu decurrere, vt diuisis aquis maris, ipsa cursum suum in mari ad multa milliaria extendant.

Psal. 134.

Ita ex Hebræo vertit Pagninus, post 70. & Chald.

PER HÆC ENIM pluuias ad instar gurgitum decidentes, & similia, IVDICAT POPVLOS, inferens eis iusto iudicio plagas, ET DAT ESCAS MVLTIS MORTALIBVS, quia quod multis nocet, quibusdam per singularem quandam industriam, alijsque de causis, quas Deus ad temperandam plagam suam procurat, prouenit ad saginam, vt & hic locum habeat quod scriptum est, *Iratus es, & misertus es nobis.* B

Psal. 59.

IN MANIBVS ABSCONDIT LVCEM, ET PRÆCIPIT EI, VT RVRSVS ADVENIAT, prout fecit Ægyptijs.

Exod. 10.

ANNVNCIAT DE EA, luce, AMICO SVO, quem charitate, quæ est amor amicitiæ complectitur, prout etiam Aquinas obseruauit, QVOD lux POSSESIO EIVS SIT, nam *pars & sors Sanctorum in lumine.* Annunciat item quod AD EAM, *immortalem lucem, & inaccessibilem*, POSSIT ASCENDERE, ducente illo de quo scriptum est: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum.* Viribus alioqui tantum humanis, lux illa inaccessibilis. C

Colos. 1.

Psal. 42.

CAPVT XXXVII.

SVPER HOC, quod de luce proximè dixi ob magnitudinem rei, EXPAVIT COR MEVM, ET, *concupiscens atque deficiens in atria Domini*, EMOTVM EST DE LOCO SVO, exiliens in fruitionem lucis illius.

Psal. 83.

AVDITE AVDITIONEM IN TERRORE VOCIS EIVS, per modum tonitrui sonantis, ET SONVM DE ORE ILLIVS PROCEDENTEM.

SVBTER OMNES COELOS, omnia quæ sub cœlis sunt IPSE CONSIDERAT, ET LVMEN ILLIVS SVPER TERMINOS TERRÆ, sic vt ne quidem tenebræ abscondantur ab ipso, quia ad videndum non requirit in rebus lucem, sed diffundit. D

POST EVM, sub ipso, RVGIET SONITVS tonitrui sensibilis, TONABIT VOCE MAGNITVDINIS SVÆ; de qua Psalmus, *Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.* Habet autem aliam vocem, qua intus docet sapientiam, sed de illa sequitur, ET NON INVESTIGABITVR, ipse loquens, CVM AVDITA FVERIT VOX EIVS, quia *spiritus vbi vult, spirat: & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat.*

Psal. 28.

Ioan. 3.

TONABIT DEVS IN VOCE SVA MIRABILITER, QVI FACIT MAGNA ET INSCRVTABILIA, sicut scriptum est, *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit*, quia qui audiunt vocem Dei desuper loquentis, dicunt *tonitruum esse factum.*

Psal. 28.

Ioan. 12.

QVI PRÆCIPIT NIVI VT DESCENDAT IN TERRAM, ET HIEMIS PLVVIIS,

A VIIS, ET IMBRI FORTITVDINIS SVÆ, *omnia enim hæc faciunt verbum eius,* dicente Augustino: *Non tibi ergo videantur casibus moueri, quæ verbo Dei in omni motu suodeseruiunt. Quo vult Deus illic lucet ignis: illuc fertur nubes siue pluuiam, siue niuem, siue grandinem portet.* in Psal. 148

QVI IN MANV OMNIVM HOMINVM SIGNAT, VT NOVERINT SINGVLI OPERA SVA. Nam ex dispositione manuum aliquatenus licet conijcere, quibus operibus exercendis singuli apti sint, calamo nimirum, aratro, hastæ, aut similibus, in cuius rei argumentum Dauid dictus est *manu fortis,* qui postea apparuit admodum bellicosus. Aquinas hoc signum ponit in mutationibus temporum & aëris, ex quibus homo discit quid sibi præsertim in agricultura, nauigationibus alijsque itinerationibus agendum sit, ex quibus signis etiam INGREDIETVR BESTIA LATIBVLVM, ET IN ANTRO SVO MORABITVR, Sed si hic sit sensus, Cur vt in manu hominis B Deus non similiter dicitur signare in manu bestiarum, vt nouerint singulæ opera sua?

AB INTERIORIBVS EGREDIETVR TEMPESTAS, Causatur enim per ventum procedentem à parte cœli quæ semper deprimitur sub nostro horizonte, qui ventus dicitur Auster, ET AB ARCTVRO parte septentrionali, in qua Arcturus; Ab hoc dico, egredietur FRIGVS, quia ex illa parte procedit Aquilo, qui causat frigus, propter remotionem solis ab illa plaga cœli.

FLANTE DEO per ventum septentrionalem, qui non nisi prouidente & cooperante Deo se per aërem effundit: CONCRESCIT GELV, vt aquæ indurentur instar crystalli, ET RVRSVM, cum soluitur gelu, LATISSIMÆ FVNDVNTVR AQVÆ, prius constrictæ.

FRVMENTVM, in humectationem, pluuiam & vmbram ardores solares C excludentem, DESIDERAT NVBES, ne alioquin per nimium æstum exsiccetur, ET NVBES SPARGVNT LVMEN SVVM, vel per figuras vel corruscationes, vel quia lumen resplendet in aëre ex radio solis reuerberantis ad nubes, prout claritas solis apparet in aëre ante ortum solis, & etiam post occasum propter reuerberationem radiorum solis ad nubes quæ sunt in loco sublimiori, ad quem citius accedunt radij solares, & tardius eas deserunt, inquit Aquinas.

QVÆ LVSTRANT, quasi inspectores obeunt PER CIRCVITVM aëris, QVOCVMQVE EAS VOLVNTAS Dei GVBERNANTIS DVXERIT, AD OMNE QVOD PRÆCEPERIT ILLIS, nimirum ad vmbram vel pluuiam, SVPER FACIEM ORBIS TERRARVM: SIVE IN VNA TRIBV, prouincia, vel regione, SIVE IN TERRA SVA, ex qua vapores in condensationem nubium ascenderunt, SIVE IN QVOCVMQVE LOCO MISERICORDIÆ SVÆ EAS D IVSSERIT INVENIRI. Neque enim nubes permanent in eodem loco in quo generantur, sed à Domino circumducuntur per varia aëris loca, vt Deus in omni loco exercendo misericordiam suam pluat super iustos & iniustos, sicut & vbique facit solem suum oriri super eosdem. Matth. 5.

AVSCVLTA HÆC IOB, ne vlla verba mea prætereant te: STA erecta mente, ET supra sensum hominis CONSIDERA MIRABILIA DEI, quam sit mirabilis consilio, atque prudentia in instituendis creaturis ijsque gubernandis ac dirigendis.

NVMQVID SCIS QVANDO PRÆCEPERIT DEVS PLVVIIS, vt ex nubibus decidant, VT OSTENDERENT LVCEM NVBIVM EIVS? Nam vbi deciderit pluuia, residuum nubium clarescit, & efficitur velut nubes lucida, quæ priusquam decideret pluuia, densitate vaporum contenebrabatur.

NVM-

NVMQVID NOSTI SEMITAS NVBIVM MAGNAS, per quas nimirum transuehuntur nubes, ET PERFECTAS SCIENTIAS? Quæ educuntur ex cognitione nubium, quæ Authore Aquinate, sunt principium cognoscendi omnes aëris permutationes, puta ventos, pluuias, niues, grandines, tonitrua, & cætera huiusmodi. A

NONNE VESTIMENTA TVA CALIDA SVNT, CVM PERFLATA FVERIT TERRA AVSTRO? Hic enim ventus vt vrens & calidus calorem inducit frugibus, corporibus, vestibus. Inhæret inter hæc animo Eliu quod credebat Iob dixisse, *Iustior sum Deo*, quod quia importare videbatur æqualitatem cum Deo, vel magis maioritatem, per ironiam exquirit hic à Iob an etiam in reliquis Deo maior sit vel æqualis, & dicit.

TV FORSITAN CVM EO FABRICATVS ES COELOS, QVI SOLIDISSIMI QVASI ÆRE FVSI SVNT, *quia sunt incorruptibiles & impenetrabiles, nec ex partibus Physicis compositi, sed tota serie continui.* B

Si ergo Deo tantopere coniunctus es, nosti itaque mentem ipsius, proinde OSTENDE NOBIS QVID DICAMVS ILLI, vt dicendo menti ipsius ac iudicio congruamus: NOS QVIPPE qui Deo iustiores non sumus, nec cum eo cœlos fabricauimus, INVOLVIMVR TENEBRIS, sic vt mentem ac sensum Domini ignoremus.

QVIS NARRABIT EI QVÆ LOQVOR, ita vt congruè perueniant ad aures ipsius? Posset hic Eliu recordari illius quod supra dixit de Angelis, & cogitare quod sicut Angeli annunciant Deo hominis æquitatem, ita etiam meliore modo concepta, annuncient Deo hominum verba, sed id ipsi ne quidem ex propria doctrina venit in mentem. ETIAM SI LOCVTVS FVERIT HOMO, DEVORABITVR id quod locutus est, & quasi nihil æstimabitur comparatione sapientiæ, & sermonum Dei, iuxta quod & Moyses dixit:
Exod. 4. *Ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.* C

AT NVNC NON VIDENT LVCEM, homines nimirum huius vitæ, *Lucem*
1. Tim. 6. dico *inaccessibilem quam inhabitat* Deus, sed ob id non desperetur lucem illam aliquando posse videri, quia SVBITO AER COGETVR IN NVBES, ET VENTVS TRANSIENS FVGABIT EAS: ad eundem enim modum nubes eductæ in hac vita mentibus hominum, quo minus lucem Dei videant, per spiritum Domini fugabuntur, vt quasi claro cœlo videant lucem quæ nunc eos latet.

AB AQVILONE AVRVM VENIT, quia Authore Aquinate, *in frigidis illis regionibus quidquid est caloris per circumstans frigus contrahit se intra viscera terræ, & per antiperistasin ibidem intenditur, & glebas interiores terræ decoquit in aurum.* ET AD DEVM venit FORMIDOLOSA LAVDATIO, quæ nimirum Deo, attenta humanæ deuotionis imbecillitate ac incongruitate, cum formidine ac trepidatione defertur, nam ipsa laudatio tametsi multis partibus insufficiens & inconcinna, acceptatur à Deo per humilitatem laudantis, prout & D
Eccl. 35. *oratio humiliantis se nubes penetrabit.*

DIGNE EVM INVENIRE NON POSSVMVS: MAGNVS FORTITVDINE, ET IVDICIO, ET IVSTITIA. Vt proinde quidquid horum inuenerimus, non possit dici dignum Deo, quia fortitudo iudicium ipsius atque iustitia, modum & mensuram nostræ cognitionis longè excedit. Quocirca Cyprianus.
præf. in lib. de Card. Christ. oper. *Seraphin statu æternitatis immobilitatem monstrantes, volatu altitudinem eius monstrabant sic in superioribus eleuatam, vt quantumlibet ad cor altum homo ascendat,*
Psal. 63. *exaltetur Deus, & importunitatem comprehensionis euadat.* Itaque, dignè Deum
1. Ioan. 3. inuenerimus, *cum videbimus eum sicuti est:* & etiam in hac vita, si confessi fuerimus eum hic dignè inueniri non posse. Quemadmodum Ambrosius: *Tunc dignè*

A *dignè æstimatur cum inæstimabilis dicitur vtique velis an nolis.* Et Cyprianus. *Deus nec videri potest, visu clarior est: nec comprehendi, tactu purior est: nec æstimari; sensu maior est:* & ideo sic eum *dignè* æstimamus, cum inæstimabilem dicimus. ET ENARRARI NON POTEST. *Tantus enim est, quantus dici non potest,* inquit, allegato loco Ambros. Ob id Areopagita de diuinis nominibus c. 1. *Deum moderato silentio honoremus.* Et August. Cum de Deo trino & vno quædam præclarè dixisset, tandem subiungit, *Diximusnè & sonuimus aliquid Deo dignum? Imò vero me nihil aliud quam dicere voluisse sentio.* Et infra. *Deus tamen admisit humanæ vocis obsequium, & verbis nostris in laude sua gaudere nos voluit.* Lib. 1. de Trin. De fide cit. Art. c. 4. de idol. van. num. 1. 1 de doct. Christ. c. 5. & 6.

IDEO, excellentia ipsius attoniti facti TIMEBVNT EVM VIRI, ET NON AVDEBVNT CONTEMPLARI OMNES QVI SIBI VIDENTVR ESSE SAPIENTES. *Qui enim scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria,* inquit Sapiens. Prou. 25.

B

CAPVT XXXVIII.

CVm ad iniurias, calumnias, criminationes, sinistras interpretationes, suspiciones Eliu, Iob præ mansuetudine nihil responderet, memor quod de Domino dixit Isaias, *Arguet in æquitate pro mansuetis terræ,* ipso facto verificans illud Ambrosij, *Deum præsulem acquirit, qui conuitianti nescit irasci.* RESPONDENS DOMINVS IOB DE TVRBINE, indignationis indice, nam & Dominus Aaron & Mariæ Moysi obloquentibus iratus scribitur: Et notat Irenæus, *Spiritum validum & fortem qui in Horeb coram Elia præcedebat Dominum, significasse indignationem ipsius propter transgressionem populi, & interfectionem Prophetarum.* Quin & DE TVRBINE, quià nondum aduenerat tempus tranquillitatis in quo audiretur *sibilus auræ tenuis*, aduentus nimirum Christi mitis & tranquillus (*in quo nec calamum quassatum confregit nec linum fumigans extingit*, inquit ibidem Irenæus, DIXIT, quasi ignorans aut nosse dedignatus atque adeò taliter increpans Eliu: Cap. 11. Amb serm. 6. v. 2. in Psal. 118. Num. 12. 4. c. 37. 3. Reg. 19. C Isaie 42.

QVIS EST ISTE INVOLVENS SENTENTIAS SERMONIBVS IMPERITIS? Nam inter multa quæ imperitè de stultitia Iob alijsque ipsius blasphemijs & iniquitatibus dixit, veras quasdam & graues sententias inseruit, nimirum, *De Angelo annunciante hominis æquitatem, quod Deus dedit carmina in nocte, quod regnare facit hypocritam propter peccata populi, Quod dignè eum inuenire non possumus.*

Hac increpatione præmissa, Dominus aliò conuertit sermonem; Et quandoquidem Iob c. 9. de Deo dixerat, *Sapiens corde est & fortis robore*, idque per institutionem & immutationem creaturarum inter cætera quibusdam argumentis declarauerat, Deus volens ostendere, quod sit magis *sapiens corde & fortis robore* quam Iob valuerit declarare, quodque hac etiam in parte *si Deus vellet cum homine contendere, non posset ipsi homo respondere vnum pro mille,* vel, pro millibus, vnius dare rationem, dicit ad Iob, ACCINGE SICVT VIR LVMBOS TVOS, mentis in primis tuæ, iuxta quod monuit Apostolus, *state succincti lumbos mentis vestræ.* Si autem verba hæc intelligere volueris de cinctura corporali, in idem redibit: Dicit namque Basilius, *Videmus à Domino præcipi Iob se vt præcingat. Perinde enim quasi hoc animi strenui & ad rem gerendam expediti signum sit.* INTERROGABO TE, ET RESPONDE MIHI. Responde inquit, vtens eodem verbo quo prius Iob cum diceret, *Non poterit ei respondere, vnum pro mille,* in argumentum quod hic & ibi de eodem agatur proposito eademque materia. D Ephes. 6. Reg. fus. disp. c. 23.

Interrogat autem Dominus, VBI ERAS QVANDO PONEBAM FVNDAMENTA TERRÆ, siue, quando terram ponebam in totius creati orbis imum siue fundamentum? INDICA MIHI, vbi tum eras, SI HABES INTELLIGENTIAM. Cum autem vnusquisque facile intelligat se in propria forma tunc non fuisse, videtur quæstio diuina plus continere, An nimirum Iob intelligat se tunc fuisse in præscientia & prædestinatione diuina, prout fuerunt omnia quæ suo tempore creata sunt, sicut scriptum est, *propter tuam voluntatem erant*, in præscientia futurorum, & suis temporibus creata sunt. Præscientia dico futurorum, hæc enim ex voluntate Dei, præscientia verò possibilium est in Deo per se. A

Apoc. 4.

QVIS secundum omnes dimensiones terræ, POSVIT MENSVRAS EIVS, SI NOSTI? VEL QVIS TETENDIT SVPER EAM LINEAM? In quæ verba Ambrosius. *Nonne euidenter ostendit Deus omnia Maiestate sua consistere in numero, pondere, & mensura? Neque enim creatura legem tribuit, sed accepit & seruat acceptam.* Basilius interim dicit, *Orbem hunc planam figuram vnicam circumplecti & ambire lineam, tametsi sensum diffugiat nostrum.* Vnde intelligas Deum super & circa terram extendisse lineam, quæ fugiat hominis potestatem & notitiam. B

1. hexam. c. 6. Sap. c. 11. Hom. 1. hexam.

SVPER QVO BASES ILLIVS SOLIDATÆ SVNT? Diceret Dauid, *fundauit terram super stabilitatem suam; quia maiestas Dei voluntatis suæ eam lege constringit, vt super instabile atque inane stabilis perseueret, Non vtique hic quasi tantummodo artifex Deus, sed quasi omnipotens prædicatur, qui non centro quodam terram, sed præcepti sui suspenderit firmamento, nec eam inclinari patiatur.* Hæc Ambros. Et Basilius, *iis qui nos percunctantur cuinam corpori veluti subiecto fundamento tam immensum hoc intollerabileque terræ pondus innitatur, dicamus oportet quod in manu Dei sunt omnes fines terræ.* AVT QVIS DEMISIT LAPIDEM ANGVLAREM EIVS? Aquinas intelligit centrum terræ, quod tamen non videtur lapis esse, & ut sit, illud positâ terrâ non est demissum, cum hic videatur Dominus loqui de lapide angulari qui fundatâ iam terrâ demissus est, cum peculiari laude & iubilo Angelorum, qui nescio an peculialiter resonuerit demisso in cor terræ centro. Itaque prænunciat hic Dominus incarnationem Christi, *qui est lapis angularis*, per vniuersam terram *faciens vtraque vnum.* Hic de sinu Patris non nisi à Deo missus est in vterum virginis, vt vniuersam terram in vnam tandem colligaret fidem, sic vt ad demissionem ipsius nemo extra Deum consuluerit vel dederit mandatum. C

Psa. 103. Hom. 1. opif. Psal. 94. Ephes. 2.

CVM ME qui lapidem demisi, LAVDARENT SIMVL ASTRA MATVTINA, quæ tacitè prædicabant, quod esset in Deo *vnus ante luciferum genitus & ante sæcula Dominus*, qui ipsum principium, in quo astra sunt creata, præcederet æternitate: ET IVBILARENT OMNES FILII Angeli DEI? nam & hi per charitatem filialem filij Dei sunt, tametsi adhuc alia ratione & magis peculiari homines filij Dei, quia membra Christi qui est filius Dei genuinus. Hi omnes iubilabant; notoriè autem *multitudo militiæ cælestis exercitus laudantium & canentium Deo quæ facta est cum Angelo* qui nunciauerat quod *natus esset hominibus Saluator.* D

Psal. 109. Luc. 2.

QVIS CONCLVSIT OSTIIS circumquaque clausis, vno verbo littoribus, MARE, QVANDO de statione superfusa vniuersæ terræ ita vt super montes starent aquæ, ERVMPEBAT in locum quem designauerat Dominus cum diceret: *Congregentur aquæ in locum vnum & appareat arida.* Erumpebat inquam, QVASI DE VVLVA PROCEDENS, quia eò processu in forma

Psa. 103. Gen. 1.

A forma generabatur mare, quod nomen accepit ab aquarum in vnum locum congregatione sicut scriptum est, *Congregationesque aquarum appellauit maria.* Gen. 1.

CVM PONEREM NVBEM VESTIMENTVM EIVS, nam tunc temporis mare recenter natum, Dominus obduxit nube, fortassis ad cohibendum tenellum elementum à tempestate, ET CALIGINE, *Tenebræ enim erant super faciem abyssi; quæ est copiosa aqua ad cuius fundum haud facilè penetrari poterit deorsum versus,* inquit Basilius. Caligine ergo ILLVD QVASI PANNIS INFANTIÆ OBVOLVEREM? Videbatur enim caligo illa tunc temporis mare tenerum à tempestatibus continere. CIRCVMDEDI ILLVD TERMINIS MEIS quando feci quod scriptum est, *Ascendunt montes & descendunt campi:* Montes inquam non mediterranei, sed montes in littore maris passim collocati, qui fundata iam terra & montibus mediterraneis, post B constitutionem maris enati sunt, *ascendentes in locum quem fundasti eis,* nam vt ibi immoti starent, fundum ipsorum in id firmasti. *Terminum posuisti quem non transgredientur,* quia in ipso suæ fundationis loco permanebunt immoti, *neque, aquæ reuertentur operire terram* vt operiebant prius *quam in vnum locum congregarentur.* ET POSVI VECTEM ET OSTIA aperta per quæ varijs partibus ingrederetur in terram, & efficeret mediterranea & portus varios ad intrandum & exeundum mare. Quæ ostia suis vectibus firmata sunt ne impetus maris illa euertens aridam præsertim vicinam, obruat aquis. Ibidem. Hom. 2. opif. Psal. 103. Gen. 1.

ET DIXI: VSQVE HVC ad vectem nimirum meum & terminos VENIES, ET NON PROCEDES AMPLIVS, ET HIC CONFRINGES TVMENTES FLVCTVS TVOS. In quæ verba Epiphanius, *Quemadmodum frenum mari ex Deo definitum est, claustraque ac portæ, arenæ, terminus, & præceptum hoc:* C *Huc vsque progredieris & non transgredieris, sed in te ipso conterentur fluctus tui, sic etiam Edionitæ in se ipsis consumentur. At illic quidem* (Iob 38.) *ex diuino præcepto ad bonum ordinem maris, ex Deo dicta est termini ratio: hic verò* (apud hæreticos) *malitia & error in seipso excæcans mentem & piam rationem auersans, contra seipsum velut fluctus excitans, impias prius prædicatas ab ipsis opiniones alijs fluctibus in seipso collidens, & in seipso semper conterens, seipsum destruere anticipauit.* Hæc Epiphanius. in hær. 30.

Pergit Dominus, Cum tempore quo ponebam fundamenta terræ in rerum natura nondum esses, exinde tamen suo tempore ortus sis, NVNQVID POST ORTVM TVVM PRAECEPISTI DILVCVLO, ET OSTENDISTI AVRORAE LOCVM SVVM? Vnde nimirum diluculum deberet egredi & aurora illud fulgore suo illustrare? Agnoscis quod non, quia diluculum & aurora in medium processerunt priusquam tu orireris. ET TENVISTI CON- D CVTIENS EXTREMA TERRAE? Allusio est ad illos qui è veste vel stragulo excutere conantur pulueres. Hi enim quatuor angulos eius apprehendentes per exagitationem expurgant illa, ET EXCVSSISTI IMPIOS EX EA? Id verò facturus est Dominus quando quasi manu tenens quatuor angulos terræ vnica agitatione vniuersos impios eijciet ex ea, & reddet mundam ac nouam terram in qua iustitia inhabitet, & sic implebitur quod scriptum est, Impij tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ. 2. Pet. 3. Psalm. 1.

RESTITVETVR VT LVTVM SIGNACVLVM. Dicit Apocalipsis quod *Angelus apprehendit draconem, serpentem antiquum, & ligauit eum; & misit in abyssum, & clausit, & signauit super illum, donec consumentur mille anni, post quos soluetur satanas de carcere suo & exibit.* Vnde intelligas signaculum illud quod carceri

 imposuit

A imposuit Angelus aliquando amouendum. Impijs verò à facie terræ excussis atque in infernum proiectis, restituetur signaculum quod prius puteo inferni fuerat ad tempus amotum, quia inclusi, exinde nunquam poterunt de suo carcere egredi: Restituetur autem vt lutum, quia pro ratione loci quem obsignat non quidem fragile, sed sordidum erit ac deforme, ET STABIT SICVT VESTIMENTVM, quia erit inferno circumpositum nec ad intima ipsius pertinebit.

AVFERETVR AB IMPIIS LVX SVA, ET BRACHIVM EXCELSVM CONFRINGETVR, sicut scriptum est, *Impij in tenebris conticescent, quia non in fortitudine sua* quam tempore vitæ huius sibi insitam habeat, *roborabitur* vir. (1. Reg. 2.)

NVMQVID INGRESSVS ES PROFVNDA MARIS deorsum versus, ET IN NOVISSIMIS ABYSSI DEAMBVLASTI? prout æterna Sapientia quæ dicit, *In fluctibus maris ambulaui.* (Eccl. 24.)

B NVMQVID APERTÆ SVNT TIBI PORTÆ MORTIS secundæ, ET OSTIA TENEBROSA, quæ ingressum præbent ad tenebras exteriores, vel clausa VIDISTI?

NVMQVID CONSIDERASTI LATITVDINEM TERRÆ, sic vt eam oculis complexus sis? INDICA MIHI, SI tua opinione NOSTI, OMNIA: Si autem id arbitraris, indica mihi IN QVA VIA LVX HABITET, quæ sit via lucis æternæ, ET TENEBRARVM infernalium QVIS LOCVS SIT: VT DVCAS VNVMQVODQVE filiorum lucis & tenebrarum AD TERMINOS SVOS, ET iusto ac vero iudicio INTELLIGAS SEMITAS DOMVS EIVS, per quas vnusquisque ad æternam suæ mansionis domum habeat peruenire. Domum inquam lucis an tenebrarum? Cuius semitæ sunt opera hominum, intellecta, *ab eo qui fingit sigillatim corda eorum, & intelligit omnia opera eorum.*

C Si nosti omnia quæ tecum sunt in rerum natura, SCIEBAS TVNC, cum luci ac tenebris suus cum semitis assignaretur locus, QVOD NASCITVRVS ESSES? ET NVMERVM DIERVM TVORVM, quibus victurus es, NOVERAS? Ergo si nosses omnia quæ sunt, non nouisti saltem quæ futura erant etiam circa temetipsum.

NVMQVID INGRESSVS ES THESAVROS NIVIS, AVT THESAVROS GRANDINIS ASPEXISTI? QVÆ PRÆPARAVI IN TEMPVS HOSTIS, IN DIEM PVGNÆ ET BELLI? Quando nimirum *pugnabit pro me orbis terrarum contra insensatos,* ita ut *descendat in eos grando vt talentum?* Nequaquam, quia hæc apud Deum abscondita sunt, sicut scriptum est de similibus. *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* meæ dico virtutis, & occultis creaturarum causis. Niuis quidem in Apocalipsi & alijs scripturæ locis non inuenimus ad prædictum saltem effectum mentionem, sufficit verò huius loci commemoratio. Ex quibus interim thesauris Dominus produxit subinde tempestatem, ante diem pugnæ & belli, de quo loquitur, prout apparet factum esse Theodosio Imperatori, cui vt refert August. canit Claudianus Poëta: (Sapient. 5. Apoc. 16. Deut. 32.) D

O nimium dilecte Deo cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

PER QVAM VIAM SPARGITVR LVX, quæ in aëris pari serenitate æqualiter se diffundit per omnes terræ regiones in luminarium pari positione. DIVIDITVR ÆSTVS SVPER TERRAM? Quia pro diuersitate locorum in eadem aëris dispositione diuersificatur æstus.

QVIS DEDIT VEHEMENTISSIMO IMBRI CVRSVM, ET VIAM SONANTIS TONITRVI.

A VT PLVERET SVPER TERRAM ABSQVE HOMINE IN DESERTO, VBI NVLLVS MORTALIVM COMMORATVR.

VT IMPLERET INVIAM ET DESOLATAM, ET PRODVCERET HERBAS VIRENTES? Quibus verbis significat Dominus non hominem, sed suam prouidentiam se ad inuia & deserta loca extendere absque vlla hominis cura vel opera, vt inuia atque deserta feris saltem & animantibus commodum habitaculum præbeat & pastum, suumque habeat ornatum. Quæ tamen possunt spiritualiter accipi de vehementissimo imbri Euangelicæ prædicationis in locis vbi non est annunciatus Christus, *vt lætaretur deserta & invia, & floreret sicut lilium.* Quem quidem imbrem administrauit homo, prouidit autem & donauit solus Deus. Isaiæ 35.

QVIS EST PLVVIÆ PATER? VEL QVIS GENVIT STILLAS RORIS?

B DE CVIVS VTERO EGRESSA EST GLACIES? ET GELV DE COELO QVIS GENVIT? Arriani teste Cyrillo & Basilio. Hinc arguebant non sequi, Pater genuit filium ex vtero ante luciferum, ergo filius non est creatura, co quod Deus dicatur Pater respectu creaturæ eamque gignere, & ipsa egredi de vtero ipsius. Sed id non concludit: quia pluuia, ros, glacies, & gelu inter opera Dei recensentur in cantico puerorum. Opera autem Dei facta sunt, ergo de recensitis necessario prædicatur quod sint facta. Si facta, ergo non propriè de vtero Patris genita; Inter gignere enim & facere Athan. distinguit his verbis, *Creaturæ nihil essentiæ Creatoris habent, quippe quæ dumtaxat sunt opera. Verum genitum esse, non extrarium quiddam, quale opus est, denotat: sed quiddam propriū, quod substantiâ Patris emersit.* Si ergo recēsita, opera Dei sunt & ab ipso facta, non possunt propriè dici de Patre ex vtero genita, nam id dicere implicaret contradi- S. thesau. c. 6. lib. 5. adu. Euno. Dan. 3. serm. 3. cont. Arr.

C ctionem & prædicarentur contraria de eodem, quod nimirum eadem essent ex Patre, & extra eum, ipsi intrinseca, & extraria. Cum verò, vt notorium est, & eodem loco obseruauit Athanasius, nusquam dicatur filius factus aut opus Dei, nec à tribus pueris inter opera Dei reponatur, necesse est ipsum solum propriè dici de Patris vtero genitum. Quod tamen etiam dicitur de hominibus, dicente Domino per Isaiam, *Audite me populus meus qui portamini ab vtero meo, & gestamini à vulua mea*; Et Moyse ad Israël, *Deum qui te genuit dereliquisti*, sed ratione adoptionis gratiæ & regenerationis spiritualis. Proinde vt ibidem benè obseruat Athanasius. *Moyses* dicit ad Israël: *Nunquid non ipse est pater tuus qui possedit*, siue vt legit Athanasius, GENVIT TE, *& fecit, & creauit te? vt ex verbis (fecit) & (creauit) verè declararet id quod est humanæ naturæ, nimirum quod opera sunt & res creatæ; ne, si audirent se genitos esse, obliuiscerentur suæ primordialis naturæ: in voce autem (genuit)* siue vt nos legimus, *possedit, ostendit Dei erga homines ex quo creati* Isaiæ 46. Deut. 32.

D *erant humanitatem. Deus enim non solum eos homines fecit, sed & filios appellauit, quasi qui illos genuisset; nam vbicumque scriptura filium significare proponit, non per (creauit) sed omnino per vocabulum genuit, deuotare solet, & hoc ipsum Ioannes videtur ostendere, dum inquit, Dedit eis potestatem filios Dei fieri qui credunt in nomen ipsius, qui ex Deo nati sunt, etiam hic pulchrè se tuente vocabulorum obseruatione: nam illud gigni, significat hic non naturales sed adoptitios nominibus filiorum appellari: Illud porrò verbum geniti, siue nati sunt, ideo vsurpatum est, quod planè illis nomen filij esse inditum. Sed populus, vt Propheta ait, vilipenderunt benefactorem, ceterum, Dei beneuolentia est, quod quorum sit conditor, horum postmodum per gratiam Patrem se faciat.* Hæc Athan. Quibus verbis benè declarat cur verba, *Pater, De vtero genuit*, asscribātur hominibus: Sed cum illa declaratio non inueniat locum in irrationabilibus, quibus tamen hic à Domino tribuuntur; Ioan. 1.

 quæri-

quæritur adhuc qua id ratione? Respondebit autem Cyrillus quod abusiuè. A
5.Thesau. c. 6. *Nec roris certè patrem naturaliter dicemus: quare in vnũ, genuit & creauit verba, sensum reducuntur. Indifferenter vtique verbis nonnunquam vti scripturam, hoc est, abuti, non negauerim. Nec tamen potestatem (verborum proprietatem) ipsam singulorum ignorare concesserim, nam quando creaturas quæ producta diuinitus ex nihilo sunt ostendere vult: in principio inquit fecit Deus cælum & terram, &, fecit Deus hominem, non genuit.* Gen. 1. *Verbi autem sui generationem ipse Pater ostendens, eructauit, inquit, cor meum verbum bonum.* Psal. 44. Hæc Cyrillus. Itaque dico cum Athanasio quod quandoquidem de pluuia, rore, glacie dicatur quod facta sint, & ideò in propria significatione dici non possint esse genita, scripturam vocabulis istis hoc loco vsam esse vt promiscuis, & nullo discrimine variantibus, nempè vt circa irrationalia *genuit*, nihil aliud sit, quam fecit. *Si autem Arriani dicere audebunt vt æquali ordine substantiam quoque roris, scripturæ filium nominent, ab omni nos ad eos ratione liberabunt, cum id ad manifestissimam impudentiam, blasphemiam produxerint,* inquit aduers. Eunom. l. 2. Basil. Nihilominus Aquinas notat pluuiæ assignari patrem & rori genituram, B quia illæ oriuntur ex calore qui est virtutis masculinæ; glaciei verò & gelu assignari vterum, eo quod proueniant ex frigore cuius virtus est fæminina, sicut vterus est muliebris.

IN SIMILITVDINEM LAPIDIS AQVÆ DVRANTVR, vt patet in glacie, ET SVPERFICIES ABYSSI CONSTRINGITVR. Non enim frigus erumpere potest vsque ad maris profundum, inquit Aquinas.

NVMQVID CONIVNGERE VALEBIS MICANTES STELLAS PLEIADAS, quæ sunt stellæ septem & eædem compactiles, sibique inuicem addensatæ, non item sex, vt quidam sunt arbitrati, inquit Basil. in cap. 13. Isa. ob id fortasse quod septima, authore Aquinate, obscurior sit & hinc minus notata. Has quidam ponunt ex Plinio in cauda, Aquinas in capite Tauri, & oriuntur verno tempore, præbentes iudicium inchoari tunc posse nauigationem: quas con- C
Apoc. 6. iunget Dominus quando *recedet cælum sicut liber inuolutus, & complicabuntur velut liber cæli,* AVT GYRVM ARCTVRI, constellationis quæ Aquinati vrsa maior dicitur, POTERIS DISSIPARE, vt non vniformi & stato motu obeat axem cœli septentrionalem? Quod tamen facturus est Dominus quando cessabit cœlorum motus.

NVMQVID PRODVCIS LVCIFERVM, quem Aquinas affirmat esse stellam Veneris, IN TEMPORE SVO, tempore videlicet determinato, eo quod ob irregularem motum planetarum definitum non habeat ortum? ET VESPERVM eandem stellam sero apparentem, SVPER FILIOS TERRÆ CONSVRGERE FACIS? Determinato nimirum tempore, nam & huius ortus irregularis est.

NVMQVID NOSTI ORDINEM COELI, qui ab homine comprehendi non potest, ET PONES RATIONEM EIVS IN TERRA? vt scilicet in terra cognoscas effectus proprios singularium causarum cœlestium corporum? inquit D Aquinas.

NVMQVID ELEVABIS IN NEBVLA VOCEM TVAM, vt in ea audiri facias tonitru quod esse dicitur quædam vox Dei? ET IMPETVS AQVARVM ex tonitru decidentium, te operante, OPERIET TE?

NVMQVID MITTES FVLGVRA, ET IBVNT, quasi obediant tuo imperio. Et quandoquidem fulgura solent repercuti ab vno loco in alium, numquid REVERENTIA DICENT TIBI: ADSVMVS? quasi in sua reuersione parata, vt iterum obediant tuo imperio & ad alium locum mittantur.

QVIS POSVIT IN VISCERIBVS HOMINIS, visceribus inquit, significans id quod dicit radicaliter impressum esse interiori hominis sensui, quasi vna cum

A cum lege naturæ cordi humano inscriptum. Posuit inquit, SAPIENTIAM, naturalem quandam Dei rerumque diuinarum cognitionem, de qua bene dicit, *Quis posuit?* insinuans se de illa sapientia loqui quæ nec cooperante ratione, nec industria humana, nec per vllam disciplinam est acquisita. Quam in quouis homine, in quo, vt supra ex Augustino diximus, natura non est nimium deprauata, esse, pulchrè agnouit Tertullianus compellans animam humanam in hunc modum: *Consiste in medio anima, Non eam te aduoco quæ scholis formata, bibliothecis exercitata, Academijs & porticibus Atticis partam sapientiam ructas. Te simplicem, & rudem, & impolitam, & idioticam compello, qualem habent qui te solam habent, illam ipsam de compito, de triuio, de textrino totam. Imperitia tua mihi opus est, quoniam aliquantulæ peritiæ tuæ nemo credit. Ea expostulo quæ tecum in hominem infers, quæ aut ex temetipsa, aut ex quocumque Authore tuo sentire didicisti.* Et capite sequenti. *Nam te palam & tota libertate domi ac foris audimus ita pronunciare, Quod Deus dederit, & si Deus voluerit: ea voce & aliquem esse significas, & omnem illi confiteris potestatem. De natura quoque Dei quem prædicamus, nec te latet: Deus bonus est, Deus benefacit, tua vox est. Benedicat te Deus tam facilè pronuncias quam Christiano necesse est.* Hæc Tertullianus. Optimè explicans sapientiam quam Deus absque disciplina animæ humanæ inseuit. Ambrosius tamen legens, *Quis artificium non ab illo accepit?* Videtur SAPIENTIAM de qua hic, illam intelligere de qua scriptum est, *Vnusquisque in sua arte sapiens est.* VEL QVIS DEDIT GALLO INTELLIGENTIAM? 70. & ex ijs loco allegato Ambr. legit, *Aut quis dedit mulieribus texturæ sapientiam, aut varietatis disciplinam*, siue vt 70. legunt, *variegatiuam scientiam*? Vt nimirum nouerint vnam & eandem vestem distinctis coloribus apposite variegare? de quibus in Exodo dicitur, *Mulieres doctæ quæ neuerant*, *Nam & illæ* sunt inquit adolescens Esdræ 3. *quæ faciunt stolas hominibus*. Nostra autem lectio quæ habet, QVIS DEDIT GALLO INTELLIGENTIAM? potest trahi ad peculiarem quandam operationem Dei circa gallum, vt secundo caneret post tertiam Diui Petri negationem, nam de eo dicit alicubi Ambrosius: *Cantauit gallus, non vt tempora distingueret, sed vt Petrus pœniteret*. Satius tamen est istud accipere de intelligentia omnibus gallis communi, nam gallus instinctu quodam, tametsi non libero, cantum edere videtur, dicente Basilio, *quod ad opera conficienda hominem familiaris ac domestica excitet ales, acuta inclamitans voce, cantuque suo solem adhuc è longinquo aduenientem prædicens, cumque viatoribus manè euigilans, & ad suos labores atque messem agricolas educens ædibus.* Et Ambros. *Galli cantus suauis in noctibus* (vt & cantus hic ingredi possit paulò ante audita carmina in nocte) *& etiam vtilis, qui quasi bonus cohabitator & dormientem excitat, & sollicitum admonet, & viantem solatur, processum noctis canora significatione protestans.* Et in Hymno,

de test. anim. c. 1. *1. Hexam. c. 6.* *Eccl. c. 38.* *Exod. 35.* B C *Hom. 8. Hexam.* *5. Hexam. c. 24.* *Iob. 35.*

D
Surgamus ergo strenuè,
Gallus iacentes excitat,
Et somnolentos increpat,
Gallus negantes arguit.

Quæ omnia sine quadam industria naturali non efficiuntur. Hæc ergo galli intelligentia.

QVIS ENARRABIT COELORVM RATIONEM, qua sibi inuicem admodum concinnè & congruè suppositi sunt? ET CONCENTVM COELI QVIS DORMIRE FACIET? Sixtus refert Philonem, & Anselmum docere, quod sit concentus cœlorum, & quidem tam suauis, vt si contingeret illum audiri ab hominibus, eo abrepti obliuiscerentur comedere, bibere vel dormire. Et addit Philo quod Moyses per quadraginta dies quibus nec comedit, nec bibit, auditu concentus huius delinitus fuerit & nutritus. Sed hoc ad fa-

Bibliot. l. 5 annot. 105 *Exod. 34.*

Præfat in Psal. Damidicos. bulas Iudaicas referes. Moyses enim tunc temporis sustentatus fuit ex consortio sermonis Dei. Interim Ambrosius. *Ipsum*, inquit, *axem cæli fert expressior sermo cum quadam perpetui concentus suauitate versari: vt sonus eius extremis terrarum partibus audiretur, vbi sunt quædam secreta naturæ. Nec id ab vsu naturæ alienum videtur, quandoquidem vox missa gratiore plausu in montibus resultet, & suauiore sono reddant quod acceperint.* Hæc Ambros. Aquinas verò secutus Aristotelem & faciens Pytagoreos iam dictæ sententiæ authores, negat vllum concentum ex collisione cœlestium corporum oriri. Nec improbabiliter, concentus enim excipi debet in aëre, an verò inter corpora cœlestia aër? A

Hom. 3. Hexam. Dicent fortè: Non aër sed æther, refert namque Basilius. *Sectatores alterius sententiæ dicere per motus cælorum æthere circumquaque perrupto sonum reddi.* Ex aduerso autem Basil. *Subinde assertores illius commenti si quando reposcuntur, fidem vt faciant, ac sensu ipso confirment ita se habere, quid aiunt? Nos per primariam ad eum sonum assuetudinem ab ipso mox ortu ita huic aures consuesse commodare, vt intenti ore eiusmodi audiendi cura, sensus ipse obsurduerit nobis ac deperierit. Quorum*, inquit Basil. *imposturam planè veteratoriam coarguere, non vtique viri est, aut scientis parcere tempori. Si enim homines audiendi assiduitate ad illum, vt dicitur, concentum obsurduerunt, cur illi qui primum incipiunt auscultare, illius, vsque dum similiter obsurduerint, nullum dant indicium?* Obserua igitur hic non dici CONCENTVM COELORVM, sed cœli, quod tibi indicio sit hic non esse sermonem de concentu quem ex collisione edant cœlestia corpora, sed concentu vni cœlorum peculiari, Qui est concentus Angelorum in cœlorum summo. Ille enim nec die nec nocte silet aut dormit, sicut scriptum est, *Non habent requiem die ac nocte dicentes, Sanctus, sanctus, sanctus:* vt sicut Dominus declarationi rerum naturalium supra inseruit mentionem Dominicæ incarnationis, ita hic quasi per transennam inserat mentionem iubili cœlestis. Alij tamen pro concentu legunt DEFLVXVM COELORVM, influentiarum videlicet cœlestium: cui satis conuenienter subiungitur, QVANDO FVNDEBATVR PVLVIS IN TERRA: nam terra principio videtur fuisse puluerulenta, ET per influxum cœlestium corporum, illius GLEBÆ COMPINGEBANTVR? Humor enim facit terram coalescere ne vt puluis dispergatur. B

Isaie. 6. Apoc. 4.

C

NVMQVID CAPIES LEÆNÆ PRÆDAM, cui nimirum inhiat, aut quam assecuta est, quod per suam prouidentiam facit Deus, de quo scriptum est, *Omnia à te exspectant vt des illis escam in tempore, dante te illis colligent, auertente autem te faciem turbabuntur?* Et si aliquando capias, quale quid suo tempore fecit Dauid, numquid ANIMAM CATVLORVM EIVS, famelicorum, IMPLEBIS? QVANDO materna ope destituti vel fraudati CVBANT IN ANTRIS, ET IN SPECVBVS, quas per ætatem egredi non audent, non norunt, non valent, INSIDIANTVR, *vt rapiant & quærant à Deo escam sibi*, & Deus sua prouidentia facit eis occurere vt rapiant & quo satientur. D

Psal. 103. 1. Reg. 17.

Cui conforme est quod sequitur, QVIS PRÆPARAT CORVO ESCAM SVAM, quam nimirum ipse deberet parare pullis suis recenter exclusis, & non parat, eo quod per aliquot dies eos tanquam discolores non agnoscit vt suos, QVANDO PVLLI EIVS CLAMANT AD DEVM, *cuius miserationes sunt super omnia opera eius*, VAGANTES per indum, EO QVOD NON HABEANT CIBOS? Tum enim *Deus dat escam pullis coruorum inuocantibus eum*, eiulatum esurientium præ inopia interpretatus sui inuocationem, & Authore Chrysostomo, *suppeditat eis escam in quibusdam vermiculis qui Deo prouidente enascuntur in indis*, tametsi alij arbitrentur id fieri per quosdam vapores, vel humores. Hactenus ergo Deus excellentiam sapientiæ, virtutis, suæque prouidentiæ declarauit à cœlo, terra, mari, aëre, & similibus: Nunc eadem declarare pergit ex mira-

Isa. 144. Psal. 146. In catena Græcorum.

A mirabilibus, quæ hominum obseruationem fugiant in quibusdam animantibus & dicit.

CAPVT XXXIX.

NVMQVID NOSTI TEMPVS PARTVS IBICVM IN PETRIS, caprarum videlicet silueſtrium quæ miræ velocitatis agunt in rupibus, iuxta quod dicitur, Saulem voluiſſe quærere Dauid *ſuper abruptiſſimas petras quæ ſolis ibicibus perniæ ſunt*, VEL PARTVRIENTES CERVAS OBSERVASTI? DINVMERASTI MENSES CONCEPTVS EARVM, quibus nimirum menſibus ſoleant concipere, alijs ſteriles, ET SCISTI TEMPVS PARTVS EARVM, quanto videlicet tempore geſtent vterum priuſquam ædant B fœtum? 1. Reg. 24.

INCVRVANTVR AD FOETVM, ET PARIVNT, ET RVGITVS EMITTVNT ob difficultatem pariendi, vſque adeo vt niſi tonitru vehementiſſimo concutiantur, non pariant, propter quod quidam arbitrantur dici in Pſalmo, *Vox Domini concutientis deſertum, vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condenſa*, per tonitru nimirum, quo in feminino ſuo genere concutiuntur cerui ad pariendum. Pſal. 28.

SEPARANTVR FILII EARVM ibicum, nam ceruæ deprehenduntur lactare, ET PERGVNT AD PASTVM abſque ductu matrum: EGREDIVNTVR, ET NON REVERTVNTVR AD EAS, ſic vt recenter editi præter morem aliorum animalium mox ſint ſui iuris ac poteſtatis. Quæ omnia Auguſtino dicuntur per allegoriam, & rectè, ob conuenientiam quarundam qualitatum cum ſpiritualibus quæ inueniuntur in hominibus, dicit namq; Ambr. C *Nonne aduertimus quod Dominus ex ipſa natura plurima exempla præmiſit, quibus ſuſceptæ Incarnationis decorem probaret & aſtrueret veritatem?* Et Baſil. *Vultures magna ex parte parere ſine coitu ferunt. Id ex alitum ipſe hiſtorijs notatum habeas animaduerſumque velim, vt ſi quando nonnullos irridere conſpexeris arcanum fidei noſtræ myſterium, quaſi fines naturæ cancelloſque transgrediatur, fierique non potuerit vt virgo pareret, veniat in mentem tibi Deum ad fidem iſtiuſmodi mirabilibus ac ſtupendis conciliandam, argumenta occaſioneſue ſexcentas ex ipſa rerum natura præuertentem propoſuiſſe.* Hæc Baſil. Incarnationis præciſè acceptæ ſexcenta argumenta in rerum natura extare non arbitror, ſed diuerſarum rerum ſpiritualium tot facile extant argumenta. Quocirca & Baſilius dixit, *Ad fidem iſtiuſmodi mirabilibus ac ſtupendis conciliandam*, indicans ſe id quod de partu virginis dicere parabat etiam ad alia ſpiritualia extendere. Quod non ignorans Au- D guſt. ea quæ hoc capite de animalibus mirabilia referuntur, accommodat ſpiritualibus tanquam per naturalium ſimilitudines à Domino tacitè inſinuatis. Et in primis quod de partu Ibicum & ceruarum dictum eſt, dicit ſignificare parturitiones & partus Eccleſiarum, *Vbi incerto & ſoli Deo cognito tempore peruenitur ad conceptum & partum ſpiritualem, & ipſi qui pariunt incuruantur, quia ſublimioribus ex charitate nonnihil ſepoſitis, inclinant ſe infirmis*, quos parturiunt in Domino iuxta Gregorium. Quin & rugitus emittunt præ labore quem non ſine dolore impendunt, ſicut ſcriptum eſt, *Ibi dolores vt parturientis*, dicente Apoſtolo, *Quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis. Quin & ſeparantur filij earum, & non reuertuntur ad eas, quando ſufficienter inſtructi exeunt tanquam ex anguſtijs doctrinæ quæ per homines inſipientibus traditur*, inquit Auguſtinus. 1. Hexam. c. 20. Hexam. hom. 8. Pſal. 47. Gal. 4.

QVIS DIMISIT ONAGRVM aſinum ſilueſtrem LIBERVM, vt à natiuitate atque

Iob. 11. te atque natura nemini seruiat, sicut scriptum est: *Vir vanus tanquam pullum onagri liberum se natum putat*, ET illigabilem faciendo VINCVLA EIVS. QVIS SOLVIT? A

CVI DEDI IN SOLITVDINE DOMVM, ET TABERNACVLA EIVS IN TERRA SALSVGINIS. Demoratur enim vel in antris deserti quasi in stabili domo, vel in lustris tanquam in tabernaculis.

CONTEMNIT MVLTITVDINEM CIVITATIS, amore solitudinis, CLAMOREM EXACTORIS NON AVDIT, quia nemo vel aduocando vel increpando quippiam operæ ab ipso exigit.

CIRCVMSPICIT MONTES PASCVÆ SVÆ, in montibus enim pascitur & inter pascua agit delectum, ET VIRENTIA QVÆQVE PERQVIRIT. nam aridis & emortuis vesci spernit. Quæ interim sic dicta sunt de onagro ad litteram, vt verba magis quadrent allegoriæ, nam & Hieron. quæ Ieremiæ 14. dicuntur de onagris *qui stant in rupibus, & trahunt ventum amoris sui*, allegatis his Prophetæ verbis de spiritualibus qui in Ecclesia sunt interpretatur. Significat ergo onager cultorem eremi. De quo dicit Dominus, QVIS DIMISIT ONAGRVM LIBERVM? soluens ipsum amore seculi, ET VINCVLA EIVS quibus prius erat seculo illigatus, & sunt varia impedimenta & implicamenta secularia, quæ in seculo detinent: hæc dico ipsius vincula QVIS SOLVIT, vt omnibus abruptis per calcatum pergens patrem, per calcatam pergens matrem ad vexilla crucis euolet? CVI DEDI IN SOLITVDINE DOMVM, nam ibidem ad habitandum construxit sibi casam atque tugurium, prout illi pauperes spiritu quos commemorat August. habitasse in casa corde fixo in cœlo: & illi de quibus Apostolus: *In solitudinibus errantes, in speluncis & cauernis terræ*, ET TABERNACVLA EIVS IN TERRA SALSVGINIS, *quæ nimirum exusta solis ardoribus horridum Monachis*, inquit Hieron. *præbet habitaculum*. Gregorius insuper obseruans salsuginem causare sitim, tribuit onagro terram salsuginis, quia in solitudine degens dicit apud semetipsum, *Sitiuit in te anima mea quam multipliciter tibi caro mea, In terra deserta inuia & inaquosa, sic in sancto apparui tibi vt suo tempore viderem virtutem tuam & gloriam tuam.* B

Hieron. Ep. 1.

8 confess. c. 6.

Hebr. 11.

C

Psal. 62.

CONTEMNIT MVLTITVDINEM CIVITATIS *auersus à strepitu mundi ad gaudia silentij*, inquit de Trin. August. vsque adeo vt ciuitas ipsi videatur captiuitas, Quod attendens August. in expositione tituli in Psal. 70. qui est filiorum Ionadab & priorum captiuorum, pulchrè declarat quod cum filij memorati habitantes ex præcepto Patris in tabernaculis extra ciuitates, ob imminentia bella cogerentur se in ciuitatem recipere, viderentur sibi adire primam captiuitatem, cui captiuitas Babilonica erat secunda, ad quam tandem deuentum est, CLAMOREM EXACTORIS secularia obsequia heriliter requirentis NON AVDIT, vocatur verò ad opera Dei paternaliter, Quod tamen extendi potest ad malignum spiritum, cuius tametsi suggestiones, non tamen audit exactiones, quia diabolo nihil debet. Solet enim diabolus ab eo apud quem quippiam suæ & præsertim maleficæ artis inuenerit, exigere imo extorquere artis illius opera ad vsuram. D

Isaiæ 49. CIRCVMSPICIT MONTES PASCVAE SVAE, cum enim abundet pascuis spiritualibus de quibus bonus pastor, *Super montes pascentur, & in omnibus planis pascua eorum*, pro varietate spiritualis appetitus circumspicit, quem montem ad pabulandum adire velit: Cum verò pascua hæc sint scripturæ sacræ, nunc se recipit ad illam scripturarum partem quæ nutrit spiritualem amorem & cum Deo amicitiam, vt est Canticum canticorum; nunc ad illam quæ reuelat æternam sapientiam, vt est liber Prouerbiorum & Sapientiæ,

A pientiæ, nunc ad illam quæ tradit Christi prædicationem & passionem vt sunt Euangelia; nunc ad illam quæ continet omnia quæ in figura præcesserunt, vt sunt facta Patriarcharum & mysteria veteris testamenti. August. interim per montes pascuæ, reuelationes intelligit, respiciens vt opinor ad Sanctum Antonium qui scripturas audiendo didicit & prudenter meditando intellexit. ET VIRENTIA QVÆQVE PERQVIRIT. Non enim sectatur mortuam litteram sed sensum & scripturæ succum, longè distans ab illis de quibus Augustinus, *Sunt qui scripturas legunt nec intelligunt. Legunt vt teneant, negligunt ne intelligant: Quibus longè præferendi sunt illi qui verba earum minus tenent, & cor earum sui cordis oculis vident.* Athanas. in Vita Ant. 4. de doct. Christ.

NVMQVID VOLET RHINOCEROS. Basilius appellat Vnicornem, nec abs re: Rhinoceros enim gerit cornu vnum in superiore mandibulæ parte super nasum: A quo proinde distinguitur aliud animal placidissimum quod B gerit vnum cornu ad depellenda venena efficacissimum in fronte. Distinctionis igitur causa animal de quo hic, dicitur Rhinoceros, animal verò cui vnum cornu in fronte, præter nomen vnicornis siue monocerotis, quod tamen vtrique potest conuenire aliud non habet. *Est autem Rhinoceros animal imperiosum, homini non subditum, nullis viribus domabile, perpetuo in solitudinibus agens, vno cornu securum*, inquit ibidem Basil. De hoc proinde Dominus. NVMQVID VOLET RHINOCEROS, cum, vt audiuimus, imperiosus sit, SERVIRE TIBI, AVT MORABITVR AD PRÆSEPE TVVM? vt ad imperium tuum escas accipiat & pabulum? in Ps. 28.

NVMQVID, cum sit animal nullis viribus domabile ALLIGABIS RHINOCEROTA AD ARANDVM LORO TVO? AVT, ad occandum, CONFRINGET GLEBAS VALLIVM POST TE? Occare enim dicitur ab occa, quæ est instrumentum, quo tracto reptanteque super terram ferreis dentibus quibus in- C structum est, glebæ conteruntur, & agri superficies coæquatur & semina cooperiuntur. Dicit autem POST TE, quia occando, agricola animal quod occam trahit præcedit vel ipsi incedit à latere, in aratione verò illud à tergo impellit.

NVMQVID FIDVCIAM HABEBIS IN MAGNA FORTITVDINE EIVS, confidens quod per hanc multa tibi opera breui tempore conficiet? Minime, fortitudo enim eius, rebus tuis non poterit deseruire. ET DERELINQVES EI LABORES TVOS? totum agriculturæ pondus imponens humeris ipsius sic vt tu ipsi nihil adlabores?

NVMQVID CREDES ILLI QVOD SEMENTEM REDDAT TIBI, & non magis timebis quod etiamsi agriculturæ fuerit admotus, sementem ob ferociam dissipabit, & reddet infructuosam? ET tempore messis AREAM TVAM CONGREGET, messem in aream inuehens & non magis conculcans D & dispergens? Quæ interim veteres accipiunt per allegoriam dicta. Et in primis Ambrosius. *Scriptum est*, inquit, *& volet tibi vnicornus seruire?* hoc nomine arbitratus designari diabolum, de quo subiungit, *Seruit, qui non ex voluntate sua quod optat exequitur, sed ex necessitate mandatis imperialibus inuitus obtemperat. Vide altitudinem Christi, quemadmodum retorsit in diabolum malitiæ suæ pretium. Ille nos cogit quod odio habemus, hoc facere. Non enim quod volo hoc ago, vt Apostolus dixit: sed quod odi illud facio. Retorsit in illum Dominus, vt & ipse plerumque non faciat quod vult; sed quod odit hoc faciat. Denique animam quam vult expugnare, custodit.* prout supra annotauimus ad verba ANIMAM ILLIVS SERVA. *Ille inimicus est sanctis, & defensor adhibetur, quo amplius puniatur, vt nocere non audeat qui nocere desiderat.* Hæc Ambr. sub nomine Vnicornui pulchrè declarans Deum posse circa dæmonia quod homines ne quidem possint in bruta. in Ps. 37. Rom. 7.

In hunc locum. bruta. Quemadmodum & August. declarat Dominum quæ dicta sunt, A posse circa superbum potentem huius sæculi, quem existimat nomine Rhinocerotis allegoricè describi. Nam Dominus faciet vt huiusmodi sibi ac suæ Ecclesiæ voluntariè deseruiant, quando implebit quod scriptum est, *Psal. 2.* *Et nunc Reges intelligite, Seruite Domino in timore.* Et faciet Rhinocerotem *Cap. 11.* morari in præsepe suum, quando implebit illud Isaiæ, *Leo tanquam bos comedet paleas, ferox cibos mansuetorum*, redditus mansuetus ad audiendum: qui & moratur ad præsepe Domini, quando verbo Dei audiendo tam indesinenter dat operam, vt inde ægrè auellatur; imo alligat Rhinocerota ad arandum loro suo, vt sub directione ac imperio Domini cooperetur euangelicæ prædicationi, atque *confringet glebas vallium post Dominum aperiendo corda plebis obedientis ad obtinendum regnum*, inquit August. Ad hæc FIDVCIAM HABEBIT IN MAGNA FORTITVDINE EIVS, quâ ipse vtetur ad protectionem suæ Ecclesiæ. Atque DERELINQVET ILLI LABORES SVOS. B Nam qui Ecclesiam congregauit obnitentibus superbis Potentatibus, eandem iam congregatam ipsis protegendam & conseruandam relinquet: credètque quod sementem reddet sibi, iuxta quod dixit Ecclesiæ, *erunt* *Isaiæ 49.* *Reges nutritij tui & Reginæ nutrices tuæ*: Et, *mamilla Regum lactaberis*; nisi ma- *Isaiæ 60.* lueris intelligere quod reddent sementem, quando præstabunt in Dei nomine Ecclesiæ decimas tanquam piæ suæ erga ipsam seruitutis tesseras, vt Ecclesiasticorum suffragiorum ac meritorum viciſſim quodam iure reddantur participes. *Credet insuper quod aream Dei congreget, nec schisma,* inquit August. *in Ecclesia, areæ Dominicæ comparata, operabitur. Per quæ, hominum virtutem superantia, ostendit Deus quid in huiusmodi præ hominibus possit, quantæque id sit virtutis, difficillimum est enim vt velit ista Rhinoceros, sed tamen & hoc præstat & efficit in hominis animo qui facit mirabilia solus, consilia destruens,* *Psal. 71.* *& omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & captiuans omnem* C *2. Cor. 10.* *intellectum ad obedientiam suam.* Hæc August.

PENNA STRVTHIONIS, femellæ, SIMILIS EST PENNIS HERODII, *in c. 5.* ET ACCIPITRIS. Hic Hieron. *Herodianum, hi qui de volucrum scripsère na-* *Zach.* *turis, tria genera autumant: Vnum album, aliud stellatum, tertium nigrum quod & sæuissimum est, & sanguinarium, & pugnans.* Videretur ergo litteralis sensus esse quod penna Struthionis pennæ Herodij similis sit nigredine, sed quandoquidem Dominus addit ET ACCIPITRIS, Hic autem non inuenitur nigricare, ob id sub pennarum similitudine de alia istorum animalium conuenientia hic videtur esse sermo, vt Dominus per quoddam adagium lepidè significet tres has bestias ingenio conuenire. Et quidem quod Struthio conueniat cum Herodio satis apparet ex eo quod Hieron. dixit Herodionem nigrum, sæuissimum esse & sanguinarium & pugnacem; nam *Thren. 4.* Struthioni asscribitur crudelitas dicente Ieremia, *Filia populi mei crudelis quasi* D *Struthio in deserto.* Sed & Accipiter austeritate & crudelitate multum si- *5 hexam. c. 18.* milis est Struthioni: scribit enim de ipso Ambros. *Accipitres feruntur in eo duram aduersum proprios fœtus habere inclementiam, quod vbi eos aduerterint tentare volatus primordia, nidis eijciunt suis, continuoque eliminant, ac si morentur, propulsant pennis atque præcipitant, verberant alis, coguntque audere quod trepidant nec vllum postea deferunt his munus alimoniæ.* Quod profectò accedit ad inclementiam quam in partum suum Struthio exercet.

QVANDO DERELINQVIT OVA SVA, quæ enixa fuerit, IN TERRA, nec illa plumis vel pennis suis fouet, TV FORSITAN IN PVLVERE CALEFACIES EA? Vt maturescant & tandem in pullos proficiant? Tuæne authumanæ id erit prouidentiæ?

OBLIVI-

A OBLIVISCITVR QVOD PES CONCVLCET EA, AVT BESTIA AGRI CONTERAT; & ob id partui suo nullum parat aut ædificat munimentum, nec vel eligit locum quibusuis pedibus inaccessum.

DVRATVR AD FILIOS SVOS QVASI NON SINT SVI, nullo enim humanitatis erga fœtus tangitur affectu. Ne tamen per id, struthionum deficiat species, Deus, vt audiuimus, oua struthionum per suam prouidentiam calefacit in puluere, & tuetur ne conculcentur à viatore vel bestia transeunte. Quam duritiam ne asscribas etiam Aquilæ, de qua dicitur quod suos abdicet fœtus, sed non vtrumque, verum vnum ex duobus, dicit Ambros. *Puto id non auaritiâ nutriendi aut inclementiâ fieri, sed examine iudicandi. Semper enim fertur probare quos genuit, ne generis sui inter omnes oues quoddam regale fastigium, degeneris partus deformitas decoloret. Non ergo cum acerbitate naturæ, sed iudicij integritate condemnat nec quasi suum abdicat, sed quasi alienum recusat.* Hæc Ambros. FRVSTRA LABORAVIT (5. hexam. c. 18.)
B NVLLO TIMORE COGENTE, quia sine causa videtur sibi versari in periculis quæ LABORAT euadere.

PRIVAVIT ENIM EAM DEVS SAPIENTIA, Quam ne ob verbum PRIVAVIT intelligeres de re insita, vel quæ deberet inesse, adiungitur, NEC DEDIT ILLI INTELLIGENTIAM, vt inde intelligas sapientiam atque intelligentiam de qua hic, struthioni non priuatiuè, sed negatiuè deesse, vt proinde defectus iste struthionem esse faciat inferioris præstantiæ non vitiosæ naturæ, *quia vitium hominis natura est pecoris*, inquit Augustinus.

CVM TEMPVS FVERIT, IN ALTVM ALAS ERIGIT non ad subuolandum, est enim nimis graui corpore, sed magis ad prouolandum atque alarum remigio promouendum cursum, Idque tanta celeritate, sicut & quidam anseres calecutienses, VT DERIDET, derideat, EQVVM ET ASCENSOREM EIVS, neque enim equus ab ascensore vehementissimè instigatus, poterit ipsius velocitati
C æquari, & ob id dicitur ab ea derideri. Allegoricè verò per struthionem Augustino significantur tardi ingenio. Gregorio autem, *ij qui in ecclesiastica Præfectura terrena quærunt, qui prout struthio, per pennas suas non subuolant nec se è terra ad amorē cælestium erigunt: qui profectò redduntur tardi ingenio, quia per amorem terrenorum tātopere obstupescunt, vt rerum spiritualium nullum percipiant gustum, & redduntur similes Herodio, quia sunt pugnaces & contentiosi*, vt nō dicam amoribus dediti, Id enim inter cætera Herodio asscribit Hieron. affirmans *eum puræ libidinis ardore oculis sanguinem stillare. Qui etiam ad modum struthionis* DERELINQVIT OVA SVA, *iuxta illud Zachariæ, O pastor, & idolum, derelinquens gregem: quia catechuminorum curam non suscipit, nec curat si vel ipse vel alij scandalosis actibus illos conculcet ne ad vitam perueniant; De quo rectè dicitur* DVRATVR AD FILIOS SVOS: *quia siue pereant siue versentur in periculis aut angustijs nulla mollitur commiseratione.* Circa res verò proprias tanta tenetur sollicitudine, vt omnia tuta timeat. Quem propriè dixeris, Deū (Cap. 11.)
D PRIVASSE SAPIENTIA, quia cum oporteat ipsum sapientia pollere & misericordia, ob amorem ac studium terrenorum, deserente Deo, ijs propriè loquēdo priuatur, sicut de pastore & idolo apud Prophetam subiūgitur: *Gladius* (qui vltor est iniquitatis) *super brachium eius, & super oculum dexterum eius: brachium eius ariditate siccabitur vt inualidus sit ad agendum rectè, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur, ne videat quod rectum est.* Cum verò institerit tempus persecutionis, per amorem terrenorum & nimio horrore malorū, quasi per alas struthionis magna celeritate fugit, & oues deserit & de illa sua fuga gloriabundus quasi ridet equum & ascensorem persequentem. *Mercenarius enim fugit quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.* Quem describit Tertull. in hæc verba: *Mussitant tam longam & bonam sibi pacem periclitari. Nec dubito quosdam* (dum pax adhuc in periculo versatur) *scripturas emigrare, sarcinas expedire, fugæ accingi de* (Ioan. 10.) (de cor. mil. c. 1.)

V *ciuitate*

ciuitate in ciuitatē. Nullam enim aliā Euangelij memoriā curant noui & pastores eorum in A
pace leones, in prælio ceruos. Interim Deus occultâ sapiētiâ suâ oua & exclusos pullos eiusmodi struthionis fouere, protegere, & educare non desinit, sicut scriptū
Ezech. 34. Psal. 106. est, *Ego ipse requirā oues meas*, &, *Adiuuit pauperē de inopia & posuit sicut oues familias.*

NVMQVID PRÆBEBIS EQVO FORTITVDINEM, qua pollere cernitur, aut illam tibi vt authori poteris asscribere vel arrogare? AVT per iubam, inquit Aquinas, CIRCVMDABIS COLLO EIVS HINNITVM? per iubam enim excitantur equi ad libidinem & per hanc hinniunt, sicut scriptum est, *Equi amato-*
Ierem. 5. *res & emissarij facti sunt: Vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat.*

NVMQVID SVSCITABIS EVM QVASI LOCVSTAS, *vt equitatus impleat faciem terræ sicut locusta*, prout equitatus Madian Iudicum 7. & Nabuchodonosor Iudith 2. Tametsi alij attendant equum in morem locustarum subsilire. GLORIA NARIVM EIVS TERROR, quia spiritus quem cum fremitu naribus B
emittit terrorem incutit, & in illo fremitu ipse gloriatur.

TERRAM VNGVLA FODIT superbiendo, EXVLTAT AVDACTER ad impendēs præliū: IN OCCVRSVM PERGIT ARMATIS, tātum abest vt terga vertat nec sagittæ nec ferri aciē quidquā reformidās, prout subiungitur, CONTEMNIT PAVOREM qui incuti posset, NEC CEDIT GLADIO, minitanti vel incurrenti.

SVPER IPSVM SONABIT PHARETRA, procedit enim ad bellum instrumentis militaribus onustus, VIBRABIT HASTA ad inferendum hosti vulnus, ET CLYPEVS ad arcendum vel excipiendum impetum hostis.

FERVENS animositate ET FREMENS iracundia SORBET TERRAM, Dispergit enim eam sic vt videatur eam euersurus, NEC REPVTAT TVBÆ SONARE CLANGOREM, ad commouendum prælium; fortior Israëlitis qui apud Iere-
Cap. 42. miam *volebant intrare Aegyptum vbi non audirent clangorem buccinæ*, hic enim eos magnopere conterrebat. C

VBI AVDIERIT BVCCINAM, DICIT: VAH, 70. cum Pagn. & Vatablo *euge*; tametsi enim vah nunc sit interiectio fastidientis, veteribus tamen solet exultantis per quod significatur sonitu buccinæ præliatricis equum ad exultationē excitari. PROCVL ODORATVR BELLVM, hic enim præsentiscit imminens bellum vt videatur illud vel odore percipere, EXHORTATIONEM DVCVM, ET VLVLATVM EXERCITVS. Nam equus etiam exhortationibus hominum eo-
De ciuit. Dei 18. c. 32. rumq; vocibus ad prælium animatur. Per equum autē August. intelligit martyrem: Cui nemo hominum tribuit fortitudinem sed solus Deus. Circumdās collo ipsius hinnitum, ad indicium quod adlubescat ei pro veritate certare, &
de mortal. in fine. suscitat hunc equum quasi locustas, quia vt Cyprian. dicit *est apud Dominū mar-*
Apoc. 7. *tyrum populus innumerabilis, iuxta quod & Ioannes viderat martyrum turbam magnam quā dinumerare nemo poterat.* ET GLORIA NARIVM martyris, TERROR, quia spi-
Act. 6. ritus martyrum conterret aduersarios quando vident se non *posse resistere sapientiæ & spiritui qui in illis loquitur* & constanter agit. TERRAM VNGVLA FO- D
Psal. 45. DIT quia per martyria *conturbatæ sunt gentes & inclinata sunt regna* & fracta ceruice superbiæ in confessione nominis Christi, *dedit vocē suam & comota est terra,*
Psal. 26. EXVLTAT denunciato sibi prælio, dicens cum Psalte: *Si exurgat aduersum me prælium in hoc ego sperabo, vnam petij à Domino, hanc requiram,* AVDACTER intrepi-
Ioan. 18. dè: IN OCCVRSVM PERGIT ARMATIS, ad instar Christi qui se comprehensu-
Isaia 50. ris processit obuiam atq; adeo cum in manibus est dat *corpus suum percutienti-*
exhort. ad virg. *bus & genas vellentibus*, prout de Sancta Sothere dicit Ambros. *quod cum audisset Iudicem præcipientē vt palmis cæderetur, vultū omni homini prius velatum ipsa detexit*
Epist. 83. *& aperuit* Attamē armatis istiusmodi passim occurrendū non esse tradit Cypr. in hæc verba: *Vos fratres charissimi pro disciplina quā de mandatis Dominicis à me semper accepistis, & secundū quod me tractante sæpissimè didicistis, quietē & tranquillitatem tenete:*

A *tenete: ne quisquam vestrum aliquem tumultum de fratribus moueat, aut vltro se gentilibus offerat: apprehensus enim & traditus loqui debet.* Quæ Cypriani verba ab August. commemorantur 2. cont. Gaudent. c. 25. Scribit nihilominus Athan. *quod si quidam ex martyribus se persecutoribus dedidere, non temeritate eò rapiebantur, sed passim apud omnes profitebantur à Spiritu sancto hanc promptitudinem suique oblationem profectam esse.* CONTEMNIT PAVOREM, quia minis non cedit, NEC CEDIT GLADIO, quia multis acceptis vulneribus à proposito non resilit. Contra verò SVPER IPSVM SONABIT PHARETRA, VIBRABIT HASTA, ET CLYPEVS, *quia ipse martyr minas futuri iudicij persecutoribus intentat vt patet in Machabæis & per verba Dei terrorem incutit, & contra seductores semetipsum quasi per clypeum*, Authore August. *protegit.* FERVENS ardore charitatis ET FREMENS pia indignatione quâ suam infirmitatem in ipso agone sibi subinde obstrepentem increpat, dicendo: *Quare tristis es anima mea & quare conturbas me?* SORBET TERRAM.

Apol. fuga sui circa finem.

2. Mach. 7.

Psal. 42.

B Tali enim modo sensim absumit residuum terrenæ suæ infirmitatis donec per victoriam absorbeatur totum. NEC REPVTAT TVBÆ SONARE CLANGOREM: Non enim conturbatur etiamsi contra eum insonuerit vniuersa populi vox ad bestias aliáue supplicia ipsum depostulantis, vt patuit in S. Polycarpo qui tranquillus inter populi clamores perseuerauit. VBI AVDIERIT BVCCINAM, contra se nimirum recitari mortis sententiam, DICIT: VAH, quod exultantis esse diximus idque patuit in S. Cypriano coram quo prolata sententia cum dixisset Iudex: *Thascium Cyprianum gladio animaduerti placet, respondit, Deo gratias.* Vel si vah acceperis tanquam interiectionem despicientis, audita mortis sententia quasi contemptum martyr dicit, VAH, prout de S. Laurentio alicubi canitur, *Cæsaris tu fasces contemnis & Iudicis minas derides.* PROCVL ODORATVR BELLVM, explorans ipsam belli originem, quia Authore Augustino in persecutio-

Act. mart. S. Cyprian.

C ne non considerat illum tantummodo qui supplicia visibiliter infert, sed longè remotius attendit diabolum esse qui persecutionem vt primarius author incendit. Ex quibus fuit Cypr. *qui dicit sibi curæ esse vt creditum sibi populum persecutioni expositum, suppeditatis varijs scripturæ locis, aduersus Diaboli tela & iacula instruat & muniat.* Quin & procul odoratur EXHORTATIONEM DVCVM, ET VLVLATVM EXERCITVS, quia persecutionem dum adhuc conflatur, sagaciter explorat ne ex improuiso superueniens vincat incautum, superet imparatum. Ob id Cypr. scribit, *Sciatis eos venisse quos ad vrbem miseram, vt quomodocumque de nobis rescriptum fuisset, exploratam sibi veritatem ad nos referrent. Multa enim varia & incerta opinionibus ventilantur; quæ autem sunt in vero, ita se habent, Rescripsisse Valerianum ad Senatum vt Episcopi & Presbyteri & Diacones in continenti animaduertantur, Senatores vero & viri egregij & Equites Romani, dignitate amissa, etiam bonis spolientur, & si ademptis facultatibus Christiani esse perseuerauerint, capite quoque*

in præfat. exhortat. mart.

Epist. 82.

D *mulctentur: Matronæ ademptis bonis in exilium relegentur: Cæsariani, quicumque vel prius confessi fuerant vel nunc confessi fuerint, confiscentur & vincti in Cæsarianas possessiones descripti mittantur.* Et infra. *Hæc peto per vos vt collegis nostris innotescant, vt vbique hortatu eorum possit fraternitas corroborari, & ad agonem spiritalem præparari, vt singuli ex nostris non magis mortem cogitent quam immortalitatem: & plena fide ac tota virtute Domino dicata, gaudeant magis quam timeant in hac confessione, in qua sciunt Dei & Christi milites non perimi sed coronari.*

NVMQVID PER SAPIENTIAM TVAM PLVMESCIT ACCIPITER, rapax illud valatile, quod diximus, EXPANDENS ALAS SVAS AD AVSTRVM? Accipiter enim vt plumis innouetur quotannis ad Austrum tanquã ventum calidum expandit alas, vt per calorem aperiantur pori totius corporis, & prioribus elapsis enascantur plumæ nouæ, idque per sapientiam solius Dei qui bestiæ INDIDIT talem industriam. Et significari videtur homo Christianus ra-

pax & improbus, qui saltem id habet sapientiæ vt quotannis vel semel *exuat* A
Colos. 3. *veterem hominem cum actibus suis & induat nouum qui secundum Deum creatus est.*

NVMQVID AD PRÆCEPTVM TVVM sublime volans ELEVABITVR AQVILA, per quod Dominus dat intelligi Aquilam non subleuari in altum nisi ad præceptum alicuius, non quidem hominis; sed solius Dei, cuius voluntati deseruiunt omnia. ET IN ARDVIS PONET NIDVM SVVM, quem Authore Ambros. de Salom. c. 2. *nunquam mutat vt sicut sublime volare, ita non velit nisi in sublimibus quiescere?*

IN PETRIS MANET, ET IN PRÆRVPTIS SILICIBVS COMMORATVR, ATQVE INACCESSIS RVPIBVS. Idque, quia vt sublimi suo volatu fruitur puriore aëre, ita eodem perfruatur quietis suæ tempore. Aër enim petris, silicibus, rupibus superfusus purus est, eo quod ex illis non emergant vapores, qui aërem perturbent aut inficiant. Nec sufficit Aquilæ deligere rupes promiscue, sed rupes inaccessas, ne, vel anhelitus aut excrementa hominū aut animalium B
in cap. 65. Isaiæ. aërem inficiant. Hieron. *interim allegat aquilam id facere ne coluber fœtus violet: Amesthystum quoque inter pullos eius lapidem reperiri, quo omnia venena superentur.*

INDE CONTEMPLATVR ESCAM, ET DE LONGE OCVLI EIVS PROSPICIVNT ob eorundem vim & perspicaciam. Addit Hieron. ex ijs qui de natura auium disputant, *Aquilam tanti contuitus esse, vt cum super maria immobili penna feratur, nec humanis pateat obtutibus, de tanta sublimitate pisciculos natare videat & cum iuxta littus fuerint tormenti* (globij tormentarij) *instar descendere, raptamque prædam pennis ad littus pertrahere.*

PVLLI EIVS LAMBENT SANGVINEM, auium & animalium quæ ad nidum sanguinolenta detulerit: ET VBICVMQVE CADAVER FVERIT, STATIM ADEST, per velocitatem sui volatus, nam & cadauere ipsa pascitur iuxta quod &
Matt. 24. Dominus dixit: *Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Quæ omnia conueniunt diuinarum rerum intelligendarum studioso ac vitæ contemplatiuæ C
dedito. Nam nec ipse ad præceptum hominis aut suam solius voluntatem ele-
Psal. 138. uabitur, sed dirigente & subleuante Deo, sicut scriptum est, *Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, illuc manus tua deducet me & tenebit*
Isaia 40. *me dextera tua*, propter quod etiam Isaias dicit, *qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, velut Aquilæ volabunt, & non deficient.* In arduis ponet nidum suum, non enim inuenit requiem sibi nisi in Dei sublimibus versetur. In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus, quia inuestigando, intelligendo, contemplando, fidei limites non egreditur. INDE ex fundamento fidei CONTEMPLATVR ESCAM diuinæ ac intelligibilis veritatis quæ reficiat animam; nam non nisi ex fide pertingere nititur ad intelligentiam, Et de longè, oculi eius prospiciunt, *Inuenit enim se longè*
8. Confess. *esse à Deo in regione dissimilitudinis*, & dicit cum August. *Quid est hoc quod interlucet mihi & discindit nubilum meum, & inardesco & inhorresco: Inardesco in quantum similis sum, inhorresco in quantum dissimilis?* Pulli eius adhuc non valentes subuolare, D
LAMBENT SANGVINEM, quia nutriuntur fide ex contemplatione passionis Christi & exemplis eorum qui pro Christo sanguinem fuderunt, ET VBICVMQVE CADAVER, memoria mortis ac triduanæ sepulturæ Christi vel vestigium martyrij fuerit, STATIM ADEST, neq; enim differt multo minus prætermittit
Eccl. 14. esca illa optata quam plurimum saginari vel refici sicut scriptum est, *Particula boni doni non te prætereat.* Hactenus ergo Dominus declarauit quod c. 9. de sapiētia & potentia Dei etiam quoad institutionem ac immutationem creaturarū dixerat Iob. *Si voluerit contendere cum eo non poterit ei respondere vnum pro mille.*

Cæterū quandoquidē Iob eodē capite dixerat quod videbatur Dei quandā sonare reprehensionē, in argumentū quod à præmissis aliò trāseatur, subiūgitur:

ET

A ET ADIECIT DOMINVS, ET LOCVTVS EST AD IOB: NVMQVID QVI CONTENDIT CVM DEO, TAM FACILE CONQVIESCIT? Vt propositis suis querelis permittatur silere? Nequaquam, VTIQVE QVI ARGVIT DEVM, DEBET RESPONDERE EI pro se loquenti atque redarguenti. Id enim rationis est & æquitatis.

Intelligens autem quid de verbis allegati capitis notaret Deus, non exspectata ipsius redargutione RESPONDENS IOB DOMINO, DIXIT: QVI LEVITER inconsideratè, inpræmediatè ex subitanea quadam infirmitatis humanæ suggestione LOCVTVS SVM, in defensionem illius RESPONDERE QVID POSSVM? Satius itaque est vt conuertam me ad leuitatis illius ac errati correctionem, ad quam in primis, MANVM MEAM PONAM SVPER OS MEVM imponens mihi à defensione silentium, & pœnitendo dico, VNVM LOCVTVS SVM, QVOD VTINAM NON DIXISSEM; Et quid istud? nisi quod capite 9. in eaB dem penè verborum forma dixit, VNVM EST QVOD LOCVTVS SVM ET INNOCENTEM ET IMPIVM IPSE CONSVMIT. Id enim sonat ac si Deus perderet iustum cum impio cui dixit Abraham, *Non est hoc tuum qui iudicas omnem terram.* Gen. 18. ET ALTERVM, nempe, *Si flagellat occidat semel & non de pœnis innocentium rideat. Terra data est in manus impij, vultum Iudicum eius operit: quod si non ille est quis ergo est?* QVIBVS VLTRA NON ADDAM, eadem repetendo & similia effutiendo.

CAPVT XL.

CAp.19. dixerat Iob, *Saltem nunc intelligite quia Deus non æquo iudicio afflixerit me & flagellis suis me cinxerit.* Quod cum videatur sonare reprehensionem diuini iudicij RESPONDENS DOMINVS IOB DE TVRBINE, DIXIT:

C ACCINGE SICVT VIR LVMBOS TVOS: INTERROGABO TE: ET INDICA MIHI.

NVMQVID, rescindendo, IRRITVM FACIES IVDICIVM MEVM: ET CONDEMNABIS ME, tanquam Iudicem peruersum & iniquum, VT TV in iudicijs atque sermonibus tuis, IVSTIFICERIS? Nequaquam. Ad iudicandum enim & condemnandum me, oporteret te supremum esse Iudicem, non vsurpatione, sed potentia & qualitate.

Ad id autem, SI HABES BRACHIVM potentiam SICVT DEVS, ET SI VOCE SIMILI TONAS? prout in supremo iudicio Dominus de cœlo tonabit vt dicit Anna, & Psalmus, *Intonuit de cælo Dominus & Altissimus dedit vocem suam.* 1.Reg 2.

CIRCVMDA TIBI DECOREM, Nam de supremo Iudice ac aduentu ipsius secundo, scriptum est. *Ex Sion species decoris eius.* ET IN SVBLIME ERIGERE. Psal. 17. Psal. 49. Locus enim supremi Iudicis sublimis est, quia ipsi dicitur, *De cælo auditum fecisti iudicium. Ad quem de summo cælorum Dominus in voce Archangeli, & tuba Dei de-* Psal. 75. 1. Thess. 4.
D *scendet:* si verò tu Iob supremum iudicem agere valueris, cum degas in terra, deberes te ad illum locum erigere, Quod an valueris tu videris. ET ESTO GLORIOSVS, prout erit ibidem Iudex, *quando venerit glorificari in sanctis suis & admirabilis fieri.* 2. Thess. 1. ET SPECIOSIS INDVERE VESTIBVS, prout idem ille Iudex *qui sic veniet prout* Apostoli *viderant ipsum ascendentem in cælum:* De ascendente autem dicebant Angeli, *Iste formosus in stola sua,* ergo formosus in stola sua redibit. Act. 1. Isaia 63.

DISPERGE SVPERBOS IN FVRORE TVO. Exponeres per verba dicentis de Iudæis, Per orbis regiones *dispersit superbos mente cordis sui,* nisi sequeretur ET RESPICIENS OMNEM ARROGANTEM, viribus maiora præsumentem, sicut scriptum est: *Superbia eius & arrogantia eius, & indignatio eius, plus quam fortitudo eius:* nec iuxta quod poterat (sed supra quā poterat) conatus est facere: Omnem inquam hunc HVMILIA, Quod enim dicit OMNEM, arrogantum generalitatem designat, à qua ne secludas superbos subiungit. Luc. 1. Isaia 16.

RESPICE CVNCTOS SVPERBOS, ET CONFVNDE EOS, vt & præcedentia & ista de superbis in vniuersum intelligas: *Quos Dominus disperget in furore, siue die furoris ac iudicij sui*, quia dissipabit eos ne alter alteri præsidio sit aut solatio, sed quod Isaias dicit: *Vnusquisque ad proximum suum stupebit*. Quos etiam tunc Dominus *respiciet* & *confundet*, quia solo sui aspectu ipsos erubescere faciet & sibi cum quadam desperatione displicere, quando nimirum *videbunt omnes populi gloriam eius, & confundentur*. ET CONTERE IMPIOS IN LOCO SVO: prout facturus est Dominus *quando contritione conteretur, dissipatione dissipabitur, agitatione agitabitur terra*. | A | Soph. 2. | Cap. 13. | Psal. 96. | Isaie. 24.

ABSCONDE EOS IN PVLVERE SIMVL. Quod ego facturus sum quando ruinis oppressi delitescent in puluere, ET FACIES EORVM DEMERGE IN FOVEAM, hiatuum ac voraginum terræ.

ET EGO CONFITEBOR QVOD SALVARE TE POSSIT DEXTERA TVA: poterisque tibimetipsi esse salus atque cum eo supremus atque iniudicabilis iudex: vt enim Dominus Matthæi 9. ex potestate sanandi paralyticum ostendit se habere potestatem dimittendi peccata in terra, eo quod diuersi illi effectus vnius & eiusdem sunt potestatis, ita hic ex potestate faciendi quæ commemorauerat, infert penes illa valentem esse fontem salutis quia illa facere posse, & semetipsum saluare vnius & eiusdem sunt virtutis. B

Sic ergo refutatis illis quæ leuiter dixerat Iob, aut in malam partem intelligi possent, resumit Dominus institutum primum; & aggreditur suam potentiam declarare contra Behemoth; quem supra audiuimus Hieronymo diabolum esse, qui hic describitur figura in qua solet apparere. Id tibi probetur per hoc quod Athanasius narret ab Antonio *talem crebro visum esse diabolum qualem B. Iob Domino reuelante cognouerat*. Ita tamen vt tota hæc species diaboli designet qualitates ipsius quibus partim ex vitio partim à natura præditus est. Dicit itaque Deus. C

ECCE, BEHEMOTH, vox apud Hebræos est pluralis, & significat bestiam tantæ vastitatis vt videatur plures bestias continere, prout tradunt Hebrææ linguæ periti. Quod & 70. obseruasse videntur qui loco Behemoth vertunt BESTIAS, vt videatur Dominus hic describere dæmoniorum principem tanquam multa inferiora dæmonia sibi concorporata habentem. Proinde, vt refert D. Antonius, *Dæmones subinde ingentia corpora & vsque ad tectum domus porrectum caput, infinitas species & militum cateruas assumunt*. QVEM FECI TECVM, *in eo condens naturam, & largiens gratiam* prout etiam te in primo parente condidi. *Hoc primum enim debemus mentibus affigere, nihil Deum fecisse quod malum est, nec ab eius institutione dæmonum cœpisse principia: peruersitas ista non natura sed voluntatis est vitium*, inquit Athan. in vita Antonij. FOENVM QVASI BOS COMEDET, quia cum ante lapsum vt ipsi sub nomine Regis Tyri apud Ezechielem dicitur: *Plenus fuerit sapientia in delicijs paradisi*, nunc absque interiore sensu vel gustu impuro ore sacra scripturarum loca meditatur ac si bos euiratus & obstupefactus, emortuas manducet herbas: Cui addi potest quod mansuetis Dei imperijs, exempli gratia, de seruanda anima Iob, ipse immitis obsequitur, prout ex Ambros. in caput 2. diximus. | Ezech. 28. | D

FORTITVDO EIVS IN LVMBIS EIVS, ET VIRTVS ILLIVS IN VMBILICO VENTRIS EIVS. *Honestè viri mulierisque genitalia immutatis sunt appellata nominibus*, inquit Hieron. *& significatur quod aduersum iuuenes, & puellas ætatis ardore hostis noster abutitur, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, & implet illud Oseæ; Omnes adulterantes quasi clibanus corda eorum*, inquit Idem. Et Ambros. *Vt scias quia in lumbis sint libidinis commotiones, quæ plerumque excitantur à Diabolo quando contendit dissipare membra Christi, & facere membra meretricis: Ecce, inquit, fortitudo* | Ep. 22 c. 1. | Iacob 3. | Osea 7. | Hier ep. 8. | Ambr in Psal. 37. | 1. Cor 6.

A *fortitudo eius in lumbis, & virtus eius in vtero. In lumbis viri semina sunt, in vtero autem feminæ. Illudit ergo diabolus in his vt faciat adulterium, incestum, fornicationem.* Hæc Ambr. qui non legit lumbis EIVS, nec vmbilico ventris EIVS, sed cum 70. lumbis & vmbilico absolutè, & ob id sat commodè hæc refert ad lumbos & vmbilicum hominis. Aquinas verò attendens, vt apparet, nostram lectionem, illam intelligit de lumbis & vmbilico ipsius Behemoth, quæ assumit quando se alicui hominum exhibet incubum vel succubum, per quod hominibus vtriusque sexus multum præualet, & dicitur caudam, quam conformiter ad hunc sensum intelligit eam, quam Horatius vocat salacem, STRINGERE QVASI CEDRVM ET HABERE NERVOS TESTICVLORVM PERPLEXOS, propter incommoda quæ concumbentibus in locis genitalibus adfert, de quibus in sua dæmonolatria Nicolaus Remigij. Potest tamen cauda intelligi de propendiculo quo posteriora bestiarum obteguntur, quam bene di-

B citur stringere, siue, vt legunt 70. erigere quasi cedrum, quia in Apocalypsi visus est *cauda sua de cælo in terram detrahere tertiam partem stellarum*, idque abiectissima sua parte sublimata & transformata in cedrum; quia sub specie sublimis & præstantis doctrinæ stellas mendaciter decipit atque in terram prosternit; *nam Propheta docens mendacium, ipse est cauda*, inquit Isaias. *Cuius etiam nerui perplexi sunt*, quia Authore Greg. *suggestiones & consilia eius ita perplexum reddunt hominem & intricatum, vt qua parte se absque peccato extricet, non inueniat.* Quod Greg. per complura declarat exempla, & inter cetera exemplo illius, qui pretio vel affectu carnali suscipit curam animarum, is enim instigante diabolo in illam se coniecit perplexitatem, vt nec curæ deseruire possit sine peccato, nec susceptas oues sine peccato deserere. Ex qua interim perplexitate suadet Gregorius; Curatum inuenire exitum minime funestum & inter duo mala eligere minus, quale quid affirmat suasisse Apostolum, coniugibus, qui se non

Cap. 12. *Cap. 9.* *32. moral. c. 55. & 36. citatus à Gratiano dist. 13. c. nerui.* *1. Cor. 7.*

C continebant, permittentem redire in idipsum, ne eos tentaret Satanas.

OSSA EIVS VELVT FISTVLÆ ÆRIS, CARTILAGO ILLIVS, quæ est portio corporis humani media inter ossa, & carnem, illis mollior, hac durior, quales sunt auriculæ in capite hominis: Hæc ergo, QVASI LAMINÆ FERREÆ. Quia tota substantia eius immortalis est, & incorruptibilis.

IPSE EST PRINCIPIVM VIARVM DEI; QVI FECIT EVM, quia in ipso principio quo Deus cæpit operari ad extra, quod erat ipsius quoddam exire, siue ante cœlum & terram, siue vna cum eis formatus est à Deo, sed cum hac conditione quod *si in veritate non steterit*, Deus APPLICABIT GLADIVM EIVS, quo nimirum ipse percutit homines, dicunt quidam. Sed vt demus gladium illum sub Dei potestate esse & ob id dici gladium Dei, non concedo illum rectè dici à Deo applicari quia sæpenumero non infligitur homini nisi Deo tantum permittente. Itaque APPLICABIT GLADIVM EIVS, quo ipse

Ioan. c. 8.

D pœnaliter percutietur. Quem sensum aperiunt 70. qui legunt; Hoc est *principium fictionis Domini, factum, vt illuderetur ei ab Angelis:* bonis videlicet quando conatus ipsius irritos faciunt, & victo insultant. Hoc enim absque dubio Behemoth est pænale; igitur quod noster textus dicit de gladio, intelligi debet de pœna quam Deus prius comminatam à lapsu inflixit Diabolo. Nam vt homini ante lapsum Deus comminatus est mortem si ex ligno vetito comederet; ita videtur & Angelis ante lapsum comminatus esse pœnas, si Dei iugum excuterent. Quas pœnas ne intelligeres similes esse pœnis humani generis, cuius substantia facta est mortalis, iam Deus per fistulas ferreas, cartilaginem æneam nos præmuniuit. Porrò quod 70. legunt Behemoth factum esse VT ILLVDERETVR EI AB ANGELIS, ne in fauorem sui erroris accipiant Caluiniani, dicentes; Deum quosdam ad interitum plagasque creasse, hanc

11. de ciuit. c. 15. sollicitè Augustinus lectionem exponit in hæc verba; *Nec illud quod scriptum est in libro Iob cum de diabolo sermo esset, hoc est initium figmenti Domini, quod fecit ad illudendum ab Angelis suis, sic intelligendum est vt existimemus talem ab initio creatum cui ab Angelis illuderetur, sed in hac pœna post peccatum ordinatum. Initium ergo eius figmentum est Domini, non enim est vlla natura etiam in extremis infirmisque bestiolis quam non ille constituit, quanto magis angelica creatura quæ omnia cætera quæ Deus condidit naturæ dignitate præcedit.* Hæc August. HVIC MONTES HERBAS FERVNT, *non ex naturæ instituto, sed ipsius diuerticulo quia Dei æmulus vniuersam creaturæ conditionem certis vsibus homini mancipatam, cum ipso homine corrupit. Vnde eam & Apostolus inuitam ait vanitati succidisse, vanis plurimum vsibus tum turpibus & iniustis & impijs subuersam*, inquit Tertull. OMNES BESTIÆ AGRI, homines sicut equus & mulus visibilia tantum sensuali appetitu sectantes, LVDVNT IBI, nam dictis iam corruptelis, vanis, iniustis, & impijs creaturæ vsibus sese oblectant.

Rom. 8. de cor. mil. c. 6.

SVB VMBRA DORMIT, Behemoth, IN SECRETO CALAMI, ET IN LOCIS HVMENTIBVS, quia dissimulanter & quasi obdormiscens obseruat diligenter omnem lusum bestiarum.

Et vt magis dissimulanter, & hominibus ignorantibus id faciat, PROTEGVNT VMBRÆ VMBRAM EIVS, quia homines tenebricosi obseruantiam diaboli suis persuasionibus magis obscuram ac incognitam reddunt; CIRCVMDABVNT EVM SALICES TORRENTIS. Allusio est ad munimentum torrentum, si enim salicibus circumponuntur vt intelligatur etiam Behemoth suo modo sepire stratum in quo dissimulanter dormit, vt minus deprehendatur lusum bestiarum obseruare. Porro sicut Diabolus lusum bestiarum agri dolosè ac dissimulanter obseruat, ex aduerso Deus eidem inuigilat ne fideles vanis istis vsibus implicentur, dicente Augustino, *Corporalis lux, illecebrosa ac periculosa, dulcedine condit vitam sæculi cæcis amatoribus, Qui autem de ipsa laudare te norunt Deus creator omnium, assumunt eam in hymno tuo, non absumuntur ab ea in somno suo, Sic esse cupio. Resisto seductionibus oculorum ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam, & erigo ad te inuisibiles oculos vt tu euelles de laqueo pedes meos, Tu subinde euellis eos; Nam illaqueantur. Tu non cessas euellere, ego autem crebrò hæreo in vbique sparsis insidijs, quoniam non dormies neque dormitabis qui custodis Israël.* Hæc August. Porro describitur Behemoth dormire in locis humentibus, Pulchrè enim scribit Tertull. *Immundi spiritus aquis incubant affectantes illam in primordio diuini spiritus gestationem* (quam nimirum præstabant aquæ cum spiritus Domini ferebatur super aquas) *Vnde & fontes riui, piscinæ, euripi rapere dicuntur, scilicet, per vim spiritus nocentis*, inquit Idem.

10. confess. c. 34. Psal. 24. Psal. 120. de bapt. c. 5. Gen. 1.

ECCE, ABSORBEBIT FLVVIVM, in ima semper defluens sæculum, ET NON MIRABITVR, quia non arbitrabitur per id se rem magnam confecisse vel obtinuisse, ET HABET FIDVCIAM QVOD INFLVAT IORDANIS, qui in psalmo dicitur *conuersus retrorsum*, & significat à sæculo conuersos ad Dominum: fiduciam itaque habet quos Iordanus sic conuersus, iterum auertat, & priorem fluxum repetens, suauiter, prono & spontaneo delapsu INFLVAT IN OS EIVS. Vbi apparet quantoperè *dilatet infernus*, quod Isaias dixit *animam, & os suum.*

Psal. 113. Isaias 5.

IN OCVLIS EIVS QVASI HAMO CAPIET EVM, hamus piscium decipula est: Per hamum ergo datur intelligi ab hoc loco fieri sermonem de Diabolo sub allusione LEVIATHAN draconis marini, quo nomine, teste Hieron. in c. 27. Isaiæ, Hebræi propriè appellant Diabolum. Manifestatur istud ex hoc quod paulo post Dominus facta iterum hami mentione, expresè dicit, An extrahere poteris LEVIATHAN HAMO, quasi declarans hamum diabolo non vt Be-

A vt Behemoth sed vt Leuiathan competere. Igitur quasi hamo capiet eum Christus. Hic enim corpus suum mortale oculis ipsius obijciens, diuinitatem verò suam intus celans, velut inescauit & cepit eum, qui dum in Christum auidius irruit, ruit, & dum impingit in mortalem, incidit in Saluatorem. Qui bene dicitur captus hamo, nam esca cui inhiabat de clauis ferreis quasi hamorum vncis dependebat ex ligno, ET IN SVDIBVS PERFORABIS NARES EIVS, *tanquam captiui & à Domino*, inquit Antonius, *aduncati*.

AN, è cordibus hominum EXTRAHERE POTERIS LEVIATHAN HAMO, qui authore Hier. *extrahitur è mari hamo vel sagena Domini, vt projiciatur siue extendatur super terram, & omnes spiræ eius, quibus suas insidias occultabat, aperiantur, & proferantur in publicum & in terram abijciantur, & iaceat qui in cælo posuerat os suum, & se altissimo similem esse iactabat*, ET FVNE LIGABIS LINGVAM EIVS, prout fecit Christus quando ei imposuit silentium? *Puer enim infantulus inserens manum suam in linguam aspidum, deridet eum qui Euam deceperat*, inquit Athanas. & alibi. *Ille qui vniuersa maria à se deleta gaudebat, ecce à nobis vincitur, ecce me aduersum se prohibere non potest disputantem*, inquit apud Athanas. D. Antonius. Cui conformiter Hieron. in cap. 29. Ezech. *Ponit Dominus in maxillis draconis istius frenum & perforat labia eius atque constringit armillæ circulo, quando per ecclesiasticos viros qui in scripturis sanctis eruditi sunt, imponit ei silentium, & vniuersa peruersitatis dogmata dissoluuntur.* 13. c. 27. Isa. Psal. 72. Isaie. 14. Marc. 1.

B

NVNQVID PONES CIRCVLVM IN NARIBVS EIVS, AVT ARMILLA PERFORABIS MAXILLAM EIVS, imponendo ei loquendi impotentiam? Quæ breuiter complexus D. Antonius, *Hamo*, inquit, *crucis vt Draco aduncatus à Domino est, & capistro ligatus vt iumentum & quasi mancipium fugitiuum vinctus circulo, & armilla, labia perforatus nullum omnino fidelium deuorare permittitur.*

C

NVNQVID MVLTIPLICABIT AD TE PRECES, quemadmodum ad Christum, cum dixit, *quid nobis & tibi Iesu fili Dei, obsecro te ne me torqueas?* Similiter ad Christianos de quibus scribit Cypr. *Videas illos nostra voce & operatione maiestatis occultè flagris cædi, eiulare, gemere deprecari.* AVT LOQVETVR TIBI MOLLIA? quemadmodum locutus est Christo, cum diceret, *scio te quis sis, sanctus Dei*; putabat enim tali prædicatione emollire Christi affectum ne pergeret cum ipso durius agere & de obsessis corporibus eijcere. Quale quid tentauit etiam circa Ambrosium de quo refert Paulinus, *quod ipso ad populum tractante quidam de populo repletus spiritu immundo clamare cæperit se torqueri ab Ambrosio, Ambrosius ad eum conuersus dixerit, obmutesce Diabole, quia non te torquet Ambrosius sed fides sanctorum, & inuidia tua, quoniam illo vides ascendere homines, vnde tu deiectus es. Et non ignorans astutias Leuiathan, quod tali exclamatione intendebat Ambrosium in superbiam erigere, & mollem atque contra inimicos imbellem reddere, respondit, Ambrosius nescit inflari.* Marc. 1. Luc. 8. de idol. van. nu. 4. Luc. 4.

D NVNQVID FERIET TECVM PACTVM, ET ACCIPIES EVM SERVVM SEMPITERNVM? Sempiternum inquit, quia paciscitur nonnunquam hominibus præstare obsequium, quod & variè præstat, sed illa seruitus non est sempiterna, quia etiam in hac vita astutè & fraudulenter exercet in heros suos tyrannidem, maxime inuisibiliter quæ postmodum adferet apertam seruitutem atque intolerabilem.

NVNQVID ILLVDES EI QVASI AVI? *Iam olim enim ex quo deceperat primum hominem, persuasus, omnes sese homines in sua ditione habiturum, ferociter insultabat dicens. Ego vniuersum orbem terrarum mea manu veluti nidum comprehendam. Cæterum qui antea orbem terrarum se comprehensurum iactauerat, post aduentum Domini iam experimento doctus quid Dominus in rebus humanis ageret, domitus fractusque iam inde, etiam à pueris veluti passerculus pro ludibrio habetur*, inquit Athanas. Et in vita Antonij

Serm. 1. cont. Arr. in c. 1. Abacuc. Antonij; *Diabolus nunc miserabilis vt passer ad illudendum irretitus à Christo est: à calcaneo Christianorum substratus gemit.* Quod ipsum tangit Hieron. cum dicit: *neque solus Draco formatus est vt lusui haberetur à Domino, factus est Angelis ludibrium. Neque illum solum dabit Deus, quasi passerem paruulum; sed si quis etiam alius crudelis & mentis tyrannicæ fuerit, tradetur sermoni Dei in derisum.* AVT LIGABIS EVM ANCILLIS TVIS? Legunt 70. *puero tuo*, & conformiter ad illos Athanasius mox dixit, quod à *pueris* velut passerculus illudatur. Ligatur autem ab ancillis Domini, quando à pijs fœminis in nomine Domini cohibetur: Quale Metaphr. apud Sur. tom. 1. quid à Beata Iuliana factum legitur, quæ postquam visibiliter cum Diabolo conflixit, ipsum tandem visibiliter ligatum per plateas traxit, & tandem in publicam cloacam vinctum præcipitauit: Vel ANCILLIS TVIS, angelis tuis, nam in cap. 1. Ezech. teste Hieron. *apud Hebræos angeli nunc mulieres, nunc viri dicuntur, ne sexum in cælestibus putaremus, cum in vno atque eodem iuxta proprietatem Hebraicam idem & vir* Cap. 8. *& mulier appellatur.* Ligauit autem Leuiathan Angelus, vt apud Tobiam notum est.

CONCIDENT EVM AMICI, quia per concordiam inuicem amantium regnum ipsius scindetur & in partes distrahetur, DIVIDENT ILLVM NEGOTIATORES, Illi nimirũ quibus post accepta à Domino talenta dictum est: *nego-* Luc. 19. Isaiæ 9. *tiamini dum venio. Hi enim captâ prædâ, diuidunt spolia*, quia victoriam quidem, per charitatem communem ducunt; sed tamen eam his aut illis peculiariter adscribunt huius inquam industriæ, illius eloquentiæ, alterius exemplis, quorundam orationibus.

NVNQVID IMPLEBIS SAGENAS PELLE EIVS, ET GVRGVSTIVM, angustum & obscurum repositorium, PISCIVM, CAPITE ILLIVS? vt nimirum des eum ijs qui educuntur ex mari quod est sæculum, in escam, vt parta ab ipso victoria ac contrito capite ipsius saginentur.

PONE SVPER EVM MANVM TVAM tanquam à te deuictum, tibique ob id subiectum, MEMENTO BELLI, quod cum ipso gessisti quam asperum fuerit, & periculosum, NEC VLTRA, quam de eo ex bello cognouisti ADDAS LOQVI, sunt enim multa quæ de ipso dici possent & te latent. ECCE, SPES EIVS, si quam habet aut sibi fingit de recuperanda sua salute, FRVSTRABITVR EVM. In quem sensum hæc verba accipiens Hieronymus dicit Ruffino; *magis* 2. lib. 2. adu. Ruff. *debueras vt suspicionem salutis Diabolicæ declinares, dicere ex persona Domini loquentis ad Iob de Diabolo, Ecce spes eius frustrabitur eum.* Vel SPES EIVS, quam habet quod etiam Iordanis influat in os eius, FRVSTRABITVR EVM Domino retrogradam conuersionem ipsius protegente & ad se trahente. ET VIDENTIBVS CVNCTIS PRÆCIPITABITVR in infernum, iuxta illud Isaiæ, *Dicebas in corde tuo, In cælum ascendam; veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci. Qui te viderint ad te inclinabuntur, teque prospicient.*

CAPVT XLI.

NON QVASI CRVDELIS, hominum afflictionibus damnis & incommodis delectatus, SVSCITABO EVM, dando occasionem vel licentiam inuadendi homines, Quemadmodum suscitare vsus sum cum 3. Reg. 22. interrogarem, *Quis decipiet regem Achab. Et nunquid considerasti seruum meum Iob,* Supra c. 1. &c. QVIS ENIM RESISTERE POTEST VVLTVI MEO? vt viribus suis ab effectu impedire possit quod mihi efficere visum fuerit.

QVIS ANTE DEDIT MIHI, VT REDDAM EI? & quasi pretio auertit quod mihi per Leuiathan efficere visum fuit. Cuius rei subijciens rationem dicit

A dicit OMNIA QVÆ SVB COELO SVNT, MEA SVNT, vt proinde nemo mihi aliquid dare possit de suo, siue ante, quod nimirum à me non prius acceperit, iuxta illud Dauidis: *Quæ de manu tua accepimus dedimus tibi*; vt proinde acceptare quæ sic data sunt dignationis tuæ sit, non egestatis. *Neque enim manibus humanis colitur indigens aliquo.* Cum ergò tyrannis siue crudelitas ferè oriatur ex insuperabili potestate & redundante opulentia, & hæc duo apud me esse iam declaraui, non tamen illis fretus, crudelis suscitabo Behemoth siue Leuiathan; Et per id respondeo interrogationi tuæ ô Iob qua dixisti, *Nunquid bonum tibi videtur si calumnieris me & opprimas me opus manuum tuarum, & quæras iniquitatem meam, & scias quia nihil impium fecerim cum sit nemo qui de manu tua possit eruere?* Iam enim declaro non obstante eo quod non sit qui de manu mea possit eruere, vel vultui meo resistere, non ob id per Leuiathan quippiam agam crudeliter, sed vel exercendo vt Iob, vel corripiendo vt Corinthium *qui traditus est Sathanæ in interitum carnis, vt spiritu saluus esset in die Domini*, vel iustè ob demerita eorum qui tali castigatione digni sunt. 1. Paralip. 29. Act. 17. B 1. Cor. 5.

NON PARCAM EI vtenti ad me ET VERBIS POTENTIBVS, cuiusmodi vtebatur cum diceret *adiuro te ne me torqueas.* Adiurare enim non nisi superioris potestatis est. ET AD DEPRECANDVM COMPOSITIS, qualibus vtebatur cum diceret, *Obsecro ne me torqueas:* Neque enim Christus adiuranti vel obsecranti pepercit ne cedere cogeretur possessione. Obseruauit interim August. quod serui Dei secundum publicam & imperialem legem imperent infimis potestatibus; in magicis autem precationibus ad illecebram deceptionis præstant Dæmones effectum precibus & ministerijs eorum, priuato illo iure largientes quod sibi licet largiri honorantibus se sibique seruientibus; Sic vt exorcistæ Dei in Diabolum vtantur verbis potentibus, exorcistæ verò, qui per dæmonem, dæmonem conantur eijcere, verbis ad deprecandum compositis. Marc. 5. Luc. 8. 83 quæst. 79.

C QVIS REVELABIT FACIEM INDVMENTI EIVS; quando nimirum *seipsum transfigurat in Angelum lucis*, vt ipsius certa quapiam nota deprehendatur fucus? ET IN MEDIVM ORIS EIVS QVIS INTRABIT, vt possit cognoscere amplitudinem ingluuiei ac voraginis ipsius?

PORTAS VVLTVS EIVS, quem induit ac præse fert quando apparet in specie sibi conueniente terribilis, QVIS APERIET vel sufficienter describet? Quod cum nemo possit id ipse Dominus facere aggreditur, & dicit, PER GYRVM DENTIVM EIVS FORMIDO, quia vt leo rugiens fere apparet dentatus tam terribiliter, vt ipsa dentium compositio intuentibus incutiat horrorem.

CORPVS ILLIVS, quæ est multitudo malorum, QVASI SCVTA FVSILIA, quia singuli omnem correptionem, confessionem, emendationem D sibi propositam pertinaciter respuunt & à se repellunt, atque adhærent sibi inuicem sicut corpus COMPACTVM SQVAMMIS SE PREMENTIBVS, quia vt singuli sua ita & sociorum peccata excusant & propugnant. Squammas autem defensionem peccati significare, author est Gregorius.

VNA VNI CONIVNGITVR, ET NE SPIRACVLVM QVIDEM INCEDIT PER EAS, quia obstruunt omnem viam Spiritus sancti tantopere, vt ne minima quidem inspiratio valeat corda ipsorum penetrare. Bernardus interim serm. 24. in Cant. Hæc verba accommodat in hunc modum: *Vbique pene in choro adolescentularum tales inuenio quæ acta sponsæ curiosè obseruent, derogandi non imitandi causa, Torquentur in bonis seniorum suorum, malis pascuntur, Videas conuenire sibi & sedere pariter, moxque laxare procaces linguas ad detestandum susurrium.* VNA VNI CONIVNGITVR NEC SPIRACVLVM INCEDIT IN EIS: *Tanta est libido* 31. mor. c. 31.

detrahendi

detrahendi audiendiue detrahentem. Ineunt familiaritatem ad maledicendum, concordes ad discordiam. Conciliant inter se inimicissimas amicitias, & pari consentaneæ malignitatis affectu celebratur odiosa collatio. Conuenientibus ergo sic in vnum, non est dominicam cœnam manducare, sed magis, propinare & bibere calicem Dæmoniorum, dum importantibus linguis aliorum perditionis virus, aliorum aures intrantem mortem libenter accipiunt. Hæc Bernardus. A

VNA ALTERI ADHÆREBIT per conspirationem, ET TENENTESSE NEQVAQVAM SEPARABVNTVR per conspirationis pertinaciam.

STERNVTATIO EIVS SPLENDOR IGNIS, ET OCVLI EIVS, VT PALPEBRÆ DILVCVLI. Tam immaniter enim diducit palpebras, ac si videretur cælum diducere nocturnas tenebras, vt sese ostendere posset diluculum. Huius rei vestigium imprimit sagis & maleficis, nam istæ vt plurimum vastos habent oculos vel præter modum turgidos ac deformes.

DE ORE EIVS LAMPADES PROCEDVNT, SICVT TEDÆ IGNIS ACCENSÆ. B

DE NARIBVS EIVS PROCEDIT FVMVS, SICVT OLLÆ SVCCENSÆ ATQVE FERVENTIS.

HALITVS EIVS PRVNAS ARDERE FACIT, ET FLAMMA DE ORE EIVS EGREDITVR. Quæ omnia, sicut & id quod paulo ante dictum est, STERNVTATIO EIVS SPLENDOR IGNIS, eo pertinent quod Aquinas 1. part. quæst. 64. art 4 ad 3. ex quadam glossa Iacobi 3. docet, *Dæmones portare secum ignem gehennæ quocumque vadant:* Illum proinde in apparitionibus suis varijs modis ostendētes propriæ perhibeat testimonium damnationis. Gregorius interim per halitum Behemoth intelligit Diaboli suggestiones, quibus maligna corda à gehenna inflammat, in id disposita, vt prunæ ad concipiendum ardorem ex insufflatione.

IN COLLO EIVS MORABITVR FORTITVDO ob peruicaciam, de qua notatur is de quo dictum est, *cucurrit aduersus Deum erecto collo & ceruice pingui armatus est*, ET FACIEM EIVS PRAECEDIT EGESTAS. In primis spiritualis, quia ferè aggreditur rerum spiritualium inopes: Quin & temporaliter egenos vt per promissas diuitias eos in suas partes trahat. Promissas dico & subinde ostentatas, sed raro aut non nisi fallaciter præstitas, quia diuitiæ ab ipso acceptæ ferè euanescunt. C

Sup. c. 15.

MEMBRA CARNIVM EIVS COHAERENTIA SIBI, quia apparet carne integer & bene compositus: MITTET CONTRA EVM FVLMINA, quia eum qui sibi adhæserit repentino ferè & veloci ictu interficit, ET AD LOCVM ALIVM NON FERENTVR, quia ictus ipsius mortiferi sic in destinatum deuenient, vt etiam in conferta multitudine cæteris illæsis in illum incidant quem ipse impetere voluerit.

COR EIVS per pertinaciam INDVRABITVR TANQVAM LAPIS, ET STRINGETVR QVASI MALLEATORIS INCVS, quia vt incus frequenti verbere, ita cor ipsius frequenti increpatione induratur magis, sic vt illi qui aduersitatibus ad emendationem ordinatis magis magisque indurantur cum mollescere deberent, habeant qualitatem Diabolici cordis. D

Apoc. 12. CVM SVBLATVS FVERIT è cœlo, à tempore nimirum quo *filius mulieris, quæ peperit masculum, raptus est ad Deum, & ad thronum eius, & Draco proiectus est in terram, & Angeli eius, neque inuentus est locus eorum amplius in cœlo.* TIMEBVNT ANGELI, qui in cœlis remanent, Timebunt dico, non sibi sed terræ cui dicunt.

Apoc. 12. *Væ terræ quoniam descendit ad vos Diabolus habens iram magnam sciens quia modicum tempus habet*; ET huiusmodi prænuntiatione illi qui in terris sunt, TERRITI PVRGABVNTVR à suis delictis, Nouerunt enim per iniquitatem & immunditias

A munditias operum ac conſcientiarum Behemoth maximè poſſe præualere.

CVM APPREHENDERIT EVM GLADIVS, non dicit cum ipſe apprehenderit gladium, indicans impotentiam animi ipſius tanquam qui paſſionibus raptus magis à gladio apprehendatur quam gladium apprehendat, prout & homines in quibus paſſiones operantur, illæ enim dominantur, hi ſeruiunt. Cum ergo gladius eum apprehenderit, ad reſiſtendum SVBSISTERE NON POTERIT NEQVE HASTA, NEQVE THORAX, quia nihil valent ad auertendum vel excludendum à corporibus vel rebus humanis ictum ipſius.

REPVTABIT ENIM QVASI PALEAS FERRVM, quia quidquid armorum ipſi oppoſitum fuerit, infirmum erit ac cedet virtuti eius, ET QVA-
B SI LIGNVM PVTRIDVM, ÆS.

NON FVGABIT EVM VIR SAGITTARIVS, IN STIPVLAM VERSI SVNT EI LAPIDES FVNDÆ; QVASI STIPVLAM ÆSTIMABIT MALLEVM, ET DERIDEBIT VIBRANTEM HASTAM. Quia nullis armis vel viribus humanis profligari poterit, vt proinde Nicolaus Remigii in ſua dæmonolatria referens quendam in ſe incurrentem diabolum gladio intento ac vibrato auertiſſe & experientia teſte dæmones tali modo auerti poſſe, videatur pugnare cum his Domini verbis. Nec obſtat experientia quam Nicolaus allegat in contrarium. Si enim deprehenſus fuerit malignus ſpiritus vibranti gladio nonnunquam ceſſiſſe, id callidè fecit, & fallaciter, quemadmodum hoſtes ſubinde terga vertunt, vt aduerſarium ad inſidias ducant.

SVB IPSO ERVNT RADII SOLIS, vel quia poteſt obductis nubibus
C radios ſolis ab aſpectu noſtro prohibere, vel potius quia valet ſibi claritatem circumponere quæ ſuperet ſplendorem ſolis, ET STERNET SIBI AVRVM QVASI LVTVM, quia vt æs & ferrum, & lapides fundæ nullius apud ipſum virtutis, ita aurum & reliqua metalla apud ipſum nullius ſunt pretij. Quod interim Gregorius moraliter intelligit ipſum facere, quando *vaſa aurea quæ in magna domo fuerunt in honorem, auertit vt fiant vaſa* ad Rom. 9.
in contumeliam.

FERVESCERE FACIET QVASI OLLAM PROFVNDVM MARE, ET PONET QVASI CVM VNGVENTA BVLLIVNT. Quod ipſum facturum exiſtimo in conflagratione mundi, cui ipſe cooperabitur, tunc enim per ardorem terræ ferueſcet mare, ad modum ollæ bullientis.

POST EVM LVCEBIT SEMITA, Abſumpto enim, per ardorem terræ, mari, ſicut ſcriptum eſt: *Gurges aquarum tranſijt, &, mare iam non eſt,* Abacuc 3.
D *apparebunt in fundo maris, quæ nunc latent ſemitæ*, de quibus ſcriptum eſt,
Piſces maris qui perambulant ſemitas maris. Cui conuenit quod legit Hieron. Pſal. 8.
Aeſtimabit mare ſicut deletum, cui lectioni non parum tribuas, eo quod Hieron. ſcribat; *Tranſtuli nuper Iob in linguam noſtram: Cuius exemplar à ſancta* Epiſt. 52.
Marcella conſobrina tua poteris mutuari. De qua tranſlatione Auguſt. *In hac epi-* Epiſt. 88.
ſtola hoc addo quod poſtea didicimus ex Hebræo Iob à te interpretatum, cum iam inter Epiſt.
quandam haberemus interpretationem tuam eiuſdem Prophetæ ex græco eloquio ver- Hieron.
ſam in latium. ÆSTIMABIT ABYSSVM. Legit Hieron. cum 70. *Tartarum abyſſi*, vnde intelligas abyſſum hic non profundum maris ſed infernum ſignificare. Hunc æſtimabit QVASI SENESCENTEM, *Quod antiquatur &* Hebr. 8.
ſeneſcit prope interitum eſt inquit Apoſtolus, æſtimabit ergo abyſſum aliquando accepturam finem, vt ipſe ſaltem carcere illo ſuo tandem liberetur. Sed hic iterum iuxta ſenſum Hieronymi ſuprapoſitum *ſpes eius fruſtra-*

bitur eum. Legit tamen iterum cum 70. Hieron. æstimauit abyssum VT CAPTIVVM quasi videlicet ipse Tartarum habeat in potestate & cum sit in illo tortor, (*Iudex tradat te tortori*,) ostentet ac venditet se tanquam Iudicem & habentem imperium in infernum, prout olim persuasit gentilitati Rhadamantum apud Inferos ius dicere. A

Matth. 18. *Aeneid. 6.*

NON EST, quo ad immutationem creaturarum, inflictionem tormentorum, immissionem tentationum SVPER TERRAM POTESTAS QVAE COMPARETVR EI; *& arbitratur Iouinianus meus facile sibi eum posse succumbere*, inquit loco allegato Hieron. Proinde idem, *Quantum ad vires diaboli, nullus nostrum ei potest resistere. Quantum autem ad misericordiam tuam, tuum est omne quod viuimus, quod non ab eo interfecti sumus, & ad mortis opera perducti*, QVI FACTVS EST per audaciam ac præsumptionem, VT NVLLVM TIMERET, nam non est veritus Christum aggredi, tentare & in crucem agere. B

lib. 2. aduersus Iouinian. *in cap. 1. Abac.* *Matth. 4.*

OMNE SVBLIME VIDET, quia oculos in superbiam sæculi habet coniectos tanquam sibi placentem, longè diuersus ab ingenio Dei, *Qui dicitur alta à longè cognoscere*, tanquam sibi, inquit August. non accedentia: *qui cum in altis habitet, humilia respicit in cælo & in terra*: Tametsi etiam Leuiathan rectè dicatur omne sublime videre, *quia elati sunt oculi eius, ambulans in magnis, & in mirabilibus super se*, nam spectat honorari & coli vt Deus. *Quin & cum sit seruus vult se regem præconari*, inquit Irenæus lib. 5. Humilia insectatur & quantum potest deprimit & ob id à Bern. iure vocatur HVMILIVM MALLEATOR. IPSE EST REX SVPER VNIVERSOS FILIOS SVPERBIÆ Inferiores dæmones qui ipsius superbiam sunt imitati, dicente Athanasio, *diabolus delapsus cælitus & circa hunc imum aerem vagans dæmonibus inobedientiâ sibi similibus illic imperat*. Cuius loco August. prout & Hieron. legunt cum 70. *Super omnes qui in aquis sunt*, & intelliguntur ijdem dæmones vel quia in abyssum destinati sunt, vel quia vt ex Tertull. diximus *delectantur locis humentibus*. Quin & SVPER OMNES FILIOS SVPERBIAE qui in hoc sæculo degunt. Dicit namque Bernard. *Accepit tamen Sathan regnum super omnes filios superbiæ factus princeps tenebrarum harum, vt regno humilitatis etiam superbia militet, dum in vno suo principatu temporali ac tali, multos humiles, excelsos æternosq; Reges constituit. Iucundum iudicium vt superbus* ILLE HVMILIVM MALLEATOR, *eisdem ipsis nesciens fabricet coronas perpetuas, impugnando omnes & omnibus succumbendo. Siquidem vbique & semper iudicabit Dominus pauperes, & saluos faciet filios pauperum & humiliabit calumniatorem.* C

Psal. 137. *de sanct. virg. c. 32.* *Psal. 112.* *Psal. 130.* *Serm. 17. in Cant.* *de corp. aduent. verb.* *in psalm. 103. conc. 4. Hieron. in c. 47. Ezech.* *Serm 17. in cant.* *Psal. 71.*

CAPVT

A

CAPVT XLII.

RESPONDENS AVTEM IOB DOMINO, DIXIT: SCIO QVIA OMNIA POTES, Ex mirabilibus enim quæ Deus recensuit, intellexit Iob illa non fieri nisi per potestatem excellentiæ. Hanc autē intellexit esse indiuisibilem & indeterminatam, ita vt qui per illam vnum aliquid potest & reliqua possit, iuxta quod Dominus dixit, *quid est facilius dicere, dimittūtur tibi peccata tua, an dicere: surge & ambula*, indicans vtrumq; vnius & eiusdē esse potestatis, prout ex Cyril declarauimus; vnde & Iob ex mirabilibus recēsitis sciuit atq; collegit Deum omnia posse, non quasi per inductionem sed per deductionem plurium ex vno principio, ET NVLLA TE LATET COGITATIO. Quid hoc ad propositū aut vnde hoc sciuit Iob? Existimo quod ex verbis Domini. Videtur enim Iob aliquando apud semetipsum tacitè cogitasse, *vbi fuerit homo cum Deus conderet terram. Et super quo bases terræ solidatæ sint: & de cuius vtero egressa sit nix*; an nimirū ex aliqua præiacente materia? Cum ergo Dominus hæc eadem ipsi in forma verborum proponat, inde agnouit Iob nullam cogitationē Dominum latere. Luc. 5.

B

Increpat proinde contrarium sibi persuadentes & dicit, QVIS EST ISTE QVI CELAT CONSILIVM ABSQVE SCIENTIA? ignorat enim *Deum nosse abscondita cordis & vniuersas mentium cogitationes*, quodq; non *est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius. Audit quippe omnia qui plantauit aurem & considerat cuncta, qui finxit oculum. Vnde ad Iob ipse dicit, Quis est qui celat me consilium, continendo autem verba in corde, putat me celare?* inquit Cyrill. Quocirca etiam talibus comminatur Isaias dicens: *Væ qui profundo estis corde vt à Domino abscondatis consilium.* IDEO INSIPIENTER LOCVTVS SVM; quod ne intelligas quasi Iob, *stultum quid contra Dominum* aut agnosceret se de Dei operibus dixisse, subiungit ET QVÆ VLTRA MODVM EXCEDERENT SCIENTIAM MEAM: Insipienter ergo, quia pro rerum dignitate non satis sapienter. Psal. 43. 1. Paral. 28. Hebr. 4. Psal. 93. 2. in Ioan. c. 37. Cap. 29.

C

AVDI ET EGO LOQVAR: INTERROGABO TE, ET RESPONDE MIHI. Sed cum id Iob diceret & optaret commutare verba cum Deo, prout fecit Moyses de quo scriptum est, *Moyses loquebatur, & Deus respondebat:* Deus in specie quā voluntas elegit, non quam natura formauit, ostendit semetipsum Iob, iuxta quod Bernard. dicit. *Dilecto Dei aliquando lumen quoddam vultus diuini ostenditur sicut lumen clausum, in manibus patet & latet ad arbitrium tenentis.* Exod. 19. de vita solit. circa finem.

Hoc animaduerso, prætermissâ petitione mox auditâ dicit Iob, AVDITV AVRIS AVDIVI TE, cum hactenus de turbine mihi loquereris, & fui similis illis de quibus scriptum est, *Viri qui comitabantur Paulum stabant stupefacti vocem quidem audientes neminem autem videntes*, NVNC AVTEM OCVLVS MEVS VIDET TE. IDCIRCO IPSE ME REPREHENDO: Iuxta quod August. dicit: *Quid est hoc quod interlucet mihi & discindit nubilum meum & inhorresco & inardesco? Inhorresco in quantum dissimilis ei sum, Inardesco in quantum similis. Et rectè. Nusquam enim se melius deprehendit modus humanæ imperfectionis quam in lumine vultus Dei, in speculo diuinæ visionis. Vbi in die qui est plus & plus videns quid sibi deest, emendat in dies similitudine quidquid deliquit dissimilitudine, similitudine ei appropinquās à quo longè factus est per dissimilitudinem.* Reprehēdere autem se, actus est iudicij ac censuræ interioris, ac initium pœnitentiæ. Quo attento refert Tertull. quosdā dicere: *Satis Deū habere si pœnitentia corde & animo suscipiatur, licet actu minus fiat.* Quibus eiusdem libri c. 9. respondet: *pœnitentiam non sola conscientia præferendam sed aliquo etiā actu administrandā. Is*, inquit, *actus qui magis græco vocabulo exprimitur & frequentatur exomologesis est, qua delictū Domino nostrum confitemur, non quidē vt ignaro sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitētia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaq; exomologesis prosternendi & humiliandi hominis disciplina est, conuersationē iniungens misericordiæ illicem. De ipso quoq; habitu atq; victu mandat, sacco & cineri incubare,* Act. 9. 11. confess. cap. 9. de pœnit. c. 5.

D

cubare, corpus sordibus obscurare & cet. Quod vtiq; fecit Iob subiungens, ET AGO POENITENTIAM IN FAVILLA ET CINERE. Si ob hoc quod minus sapienter de reb. diuinis locutus est, quid putas ipsum facturũ fuisse pro expiandis peccatis? A

POSTQVAM AVTEM LOCVTVS EST DOMINVS VERBA HAEC AD IOB, DIXIT AD ELIPHAS THEMANITEM: IRATVS EST FVROR MEVS IN TE, ET IN DVOS AMICOS TVOS, QVONIAM NON ESTIS LOCVTI CORAM ME RECTVM, SICVT SERVVS MEVS IOB. Proinde August. Ex verbis, *Stellæ non sunt mundæ ante te, quantò magis homo putredo & filius hominis vermis, Priscillianistæ & Origenistæ volunt intelligi rationalem spiritum habere stellas, & mundas non esse à peccato, sed ideò in cælis esse quia maiorem vel meliorem locum minor culpa promeruit. Non pro authoritate diuina istam sententiam recipiendam esse existimo. Non enim eam ipse Iob enunciauit, cui singulare quodammodo testimonium diuinitus perhibetur, quod non peccauerit labijs suis ante Dominum, sed vnus ex eius amicis qui dicti sunt consolatores malorum omnes, & diuina sententia reprobati sunt. Quod non ideo dixerim, quia illi amici à Domino reprobati, & ab ipso sancto Dei seruo merito culpati, nihil veri loqui potuerint, sed quia non omnia quæ locuti sunt vera putanda sunt.* Et Hier. *Intelligite verba Iob 40. Nunquid mundus erit homo coram Deo aut in operibus suis irreprehensibilis vir, non dici ex persona Eliphas Themanitæ, sed ab illo qui sub persona angeli in visione & reuelatione loquitur ei sententias Dei.* Sic ergo atq; eatenus amici Iob nõ sunt locuti rectum corã Deo sicut Iob, ita tamen vt iuxta quod dixit Aug. *falsis quædam vera permiscuerint*, & ob id à Greg. cõparantur hæreticis, qui permiscent vera falsis. B

(cont. Prisci. & Orig. c. 9.) (2. adu. Pelag. c. 2.) (5. mor. c. 11.)

Suggerens ergò pro misericordia sua remedia delictorum adiungit SVMITE ERGO VOBIS SEPTEM TAVROS, ET SEPTEM ARIETES. Quare septem? nisi quia vt dixit Ambros. *Acceptat Dominus sacrificia in quibus refulget diuini gratia mysterij?* Septenarius autem mysticus est propter septem dona spiritus sancti, sic vt sicut *Christus per spiritum sanctum semetipsum obtulit*, ita & hæc oblatio illius oblationis quoddam mysterium in se complecteretur, & spiritualis oblationis quoddam haberet participium, nam & tauri gerebant figuram Christi, de quo scriptum est: *subneruauerunt taurum*, quia foderunt manus & pedes eius in cruce, & reliquos neruos totius corporis extendendo debilitauerunt, Sicut & arietes eundem significabant, iuxta quod Abraham arietem hærentem cornibus inter vepres obtulit holocaustum pro filio. Non malè interim intelliges tauros & arietes hic in sacrificium deputari, quia pro quibus sacrificium erat offerendum Reges erant & duces populorum, tauri autem & arietes duces sunt suorum gregum, vt hac etiam in parte hostiæ offerentibus conuenirent, ET ITE AD SERVVM MEVM IOB, ET per ipsum quem mihi elegi sacerdotem OFFERTE HOLOCAVSTVM PRO VOBIS quod erat in ratione sacrificiorum perfectissimum, propter quod oportebat omnem oblationem Sacerdotis secundum ordinem Aaron holocaustum esse. IOB AVTEM SERVVS MEVS ORABIT PRO VOBIS: Quia sacrificationi suæ adiunget preces iuxta quod in 2. Machab. *orationem faciebant Sacerdotes dum offerretur sacrificium*, & apud Lucam *etiam omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi:* FACIEM EIVS SVSCIPIAM. Vnde intelligas ad impetrandum quod postules multum valere pietatem & iustitiam Sacerdotis offerentis, etiamsi sacrificium diuinitùs institutum, vt hic, ad impetrandum per se plurimum valeat; vt proinde quod in sacramentis dispositio suscipientis, id in sacrificijs deuotio & pietas offerentiũ & in primis Sacerdotis. VT NON VOBIS IMPVTETVR STVLTITIA, id est, vt dimittatur vobis peccatũ quod per ignorantiam veri, veræq; sapientiæ admisistis. An posset Deus quippiam ad peccatum imputare quod peccatum non est? arbitror etiam Lutheranos dicturos id fore iniquum, ergo similiter quando dicitur stultitia non imputari in gratiam sacrificij, significatur C D

(Hebr. 9.) (Psal. 21.) (Gen. 22.) (Cap. 1.) (Luc. 1.)

A catur peccatum verè remitti eo quod imputari in scripturis inueniatur versari non circa rei figmentum; sed rem ipsam: NEQVE ENIM LOCVTI ESTIS AD ME RECTA SICVT SERVVS MEVS IOB, quod supra ex Augustino declarauimus, & hic addimus ipsos non fuisse locutos recta coram Domino, quia præter multa falsa, calumniosa, improba & inhumana, quæ suæ disputationi permiscuerunt, falsam contra Iob sustinuerunt sententiam, vt in disputatione sua Iob satis declarauit. ABIERVNT ERGO, ELIPHAZ THEMANITES, ET BALDAD SVHITES, ET SOPHAR NAAMATHITES, ET FECERVNT SICVT LOCVTVS FVERAT DOMINVS AD EOS, ET SVSCEPIT DOMINVS FACIEM IOB, dicente Ambrosio, *Dominus ipse cum à tribus regibus offensus esset qui sancto Iob honorem non detulissent, ignoscere his per amicitiam maluit, vt amicitiæ suffragium remissio fieret peccatorum. Itaque rogauit Iob & Dominus ignouit. Profuit illis amicitia quibus obfuit insolentia.* 3. offic. c. vlt.

B DOMINVS QVOQVE CONVERSVS EST AD POENITENTIAM IOB, id est mutationem rerum Iob, quam tantum importat pœnitentia Dei, cui non possunt priora sua opera, prioresque voluntates displicere. CVM ORARET ILLE PRO AMICIS SVIS, Vbi apparet Deum præstare supra quam petimus, non enim videtur Iob pro conditionis suæ mutatione orasse aut sacrificasse, *sed abundantia pietatis suæ adiecit Dominus quod oratio Iob non præsumebat* vt hic meritò diceret Iob, *Oratio mea* in aliorum salutem delata, *in sinu meo conuertetur* quia in meam vtilitatem redundabit. ET ADDIDIT DOMINVS OMNIA QVÆCVMQVE FVERANT IOB, DVPLICIA. Ecclesia oratio. Psal. 34.

Subiungitur autem qua ratione. Dicitur enim, VENERVNT AVTEM AD EVM OMNES FRATRES SVI, ET VNIVERSÆ SORORES SVÆ, ET CVNCTI QVI NOVERANT EVM PRIVS, ET COMEDERVNT CVM EO PANEM IN DOMO EIVS: Quæ reliquarum rerum ruinæ superstes erat, ET
C MOVERVNT SVPER EVM CAPVT, vis scire ad quid? ET CONSOLATI SVNT EVM SVPER OMNI MALO QVOD INTVLERAT DOMINVS SVPER EVM. Mouere enim caput tametsi alibi importet irrisionem, hic importat consolationem, ET DEDERVNT EI VNVSQVISQVE OVEM VNAM, ET INAVREM AVREAM VNAM.

DOMINVS AVTEM BENEDIXIT NOVISSIMIS IOB MAGIS QVAM PRINCIPIO EIVS. ET FACTA SVNT EI QVATVORDECIM MILLIA OVIVM, ET SEX MILLIA CAMELORVM, ET MILLE IVGA BOVM, ET MILLE ASINAE. ET FVERVNT EI SEPTEM FILII, ET TRES FILIAE. *Nam pecori ipsius dedit fœcunditatem, negotiationi, quam acceptis inauribus resumpsit, dedit prosperitatem. Et fugiente ab illo morbo tanquam frustra aggresso & nihil amplius effecturo, rediit in alterum ætatis florem caro, quia nati sunt ei post agonem septem filij, & tres filiæ* inquit Basil. *Non duplicatis filijs nec filiabus, vt esset iusto tolerantiæ merces* Hom. 23.
D *per sustinentiam voluntariæ orbitatis ne sine patientia viueret*, inquit, Tertull. Cui tamen Basil. loco allegato hanc assignat rationem, *quia pecora eius, & reliqua in omnimodam abierant perditionem, liberi verò post mortem optimâ naturæ portione viuebant*. Imo August. etiam filios Iob quodammodo duplicatos fuisse declarat cum dicit, *Filij Iob non dupli sed totidem redditi sunt, quo illos quos amiserat resurrecturos significaret.* Sic ipsi quoque illis prioribus adiuncti à restitutione dupli alieni non fuerunt. ET VOCAVIT NOMEN VNIVS DIEM ob vultus ipsius & totius corporis claritatem, ET NOMEN SECVNDAE CASSIAM ob suaueolentiam, ET NOMEN TERTIAE CORNVSTIBII tanquam quæ stibium, quo ad pulchritudinem depinguntur oculi fæminarum, affatim & in promptu haberet, videtur proinde nomen Cornustibij tertiæ filiæ impositum ob pulchritudinem & viuacitatem oculorum, prout hæc notauit Aquinas. de pat. c. 14. Epist. 120. c. 10.

NON SVNT AVTEM INVENTÆ MVLIERES SPECIOSÆ SICVT FILIÆ A
IOB IN VNIVERSA TERRA : Quod terrenæ fœlicitatis quædam eximia
Genes. 12. portio est, ad dispensationem veteris Testamenti pertinens, Nam Abram
Genes. 24. *dixit Sarai , noui quod pulchra sis mulier*; de Rebecca dicitur *puella decora nimis , & incognita viro* , & sic de alijs , DEDITQVE EIS PATER SVVS HÆREDITATEM INTER FRATRES EARVM , occurrens futuræ alioqui contentioni per quam fratres infirmiorem sexum fortè conati fuissent à participatione hæreditatis excludere.

VIXIT AVTEM IOB POST HÆC , CENTVM QVADRAGINTA ANNIS, ET VIDIT FILIOS SVOS , ET FILIOS FILIORVM SVORVM VSQVE AD QVARTAM GENERATIONEM , ET MORTVVS EST SENEX ET PLENVS
De pat. c. 15. DIERVM. Quibus omnibus attentis pulchrè Tertull. *Patientiæ* , inquit, *idoneus sequester Deus : si iniuriam apud ipsum deposueris , vltor est ; Si damnum, restitutor , Si dolorem , medicus ; Si mortem , resuscitator . Quantum patientiæ licet vt* B
Deum habeat debitorem ? Circa quæ interim notandum quod loco proximè allegato pulchrè monet August. *temporalium restitutionem factam Iob pro ratione dispensationis quam Deus tenebat tempore quo Christus nondum venerat in*
Heb. 11. *carnem : Nondumq; suo exemplo sanciuerat sustinere hic mala usque ad mortem , vt meliorem inueniamus resurrectionem* . Propter quod Iacobus à tempore quo
Iacob. 5. Christus id suo exemplo sanciuit, Ecclesiam noui Testamenti per epistolam instruens non dicit , finem Iob vidistis , ne quis exemplo Iob patienter sustineret , vt hic tandem reciperet duplicia , *sed, finem Domini vidistis*, vt patienter sustinendo vsque ad finem , spectemus ac speremus à Domino recipere æterna alterius vitæ bona. Ad quæ nos perducat qui est benedictus in sæcula. Amen.

FINIS.

Pro

Pro maiori vtilitate tua Beneuole Lector, subijcimus hic duplicem Indicem, primo rerum Notabiliorum, ac deinde Scripturarum in hoc opere Explicatarum.

INDEX RERVM NOTABILIORVM

In quo littera numeralis designat paginam, Alphabetica partem paginæ.

A

Abraham cum Christo resurrexit. 133. a
Absolutio nimis facile impensa quando valida & quando non ex Cypr. 116. b. c
Accipiter quomodo reflumescat & qui mores eius. 231. d
Actio nostra qualibet, conformanda est voluntati diuinæ non vtilitati nostræ, & tamen istud nobis vtilissimum est. 15. a
Adæ voluntate continebantur omnium hominum voluntates sicut potentiæ distinctæ a voluntate subordinantur voluntati hominis: Et hinc transfusio peccati originalis. 99.
Adam sua peccata sequentia primū peccatum, non potuit transferre in posteros, quia tunc nec poterat gratiam, cum ea careret. 100.
Adiuratio tantum fieri debet a superiore. 239. a
Adolescentia ætas flagitiosissima. 95. c
Adulter quærit caliginem erubescens testimonium erroris & non errorem ex Ambr. 158. b
Adulter horret lucem. 158. d 159.
Adulterij grauitas & pœna. 193. d 194. a
Ænigma est obscura allegoria. 93. c
Ænigma nec omnino retegit, nec omnino tegit veritatem, ex August. 213. c
Æqualia penitus eiusdem sunt substantiæ. 188. a
Amat nemo quod tolerat. 55. b
Ambrosius defensus a populo contra milites Valentiniani Imperatoris volentes eum ducere in exilium. 185. b
Ambrosius nescit inflari ex ipsomet. 325. d
Ametistus lapis pretiosus reperitur in nido aquilæ ab ea positus ad pellenda venena.
Amici plerumq; adulatores apud amicos. 115. a
Amici Iob fuerunt veri amici & non ficti. 20.
Erant Reges. 20.
Fuerunt duri & contumeliosi Iob. 111.
Eorum sententia quam perniciosa. 143 b c
Multa vera permiscuerunt falsis vti solent hæretici. 243. b c
Anaxarchus Philosophus contusus fuit in mortario. 163. d
Angeli cur filij Dei. 7. d. *minus tamen perfectè quam homines.* 218. d
Angeli mouent in tempore & mouentur. 8. b
Angeli administrant hæc inferiora, nec tamen per hoc distrahuntur a contemplatione Dei. 8. b
Angeli non replicantur discretè, sic vt simul sint in cœlo & in terra. 8. b
Angeli possunt ad nutum mouere localiter corpora, sicut anima rationis suum corpus, non sic alio motu. 12. c
Angelus potest mouere motu ad substantiam v. g. producendo ranas Ægypti. 12. c
Angelorum societate quod careamus, est ex peccato originali adeoq; spectat ad miseriam nostrā. 24. a
Angelorum bonorum inuocatio iam vsitabatur a iustis tempore Iob. 39. a
Angelorū multitudo homini incomprehensib. 162. c
Angeli tremunt ob maiestatem diuinam & ob possibilitatem sui non esse. 166. d
Angelos custodes dari, iam notum tempore Iob, qui nobis sanitatem tum corporis tum animæ impetrarent. 203. 204.
Anima rationalis lubentius exercet operationes intellectiuas quam sensitiuas. 58. b
Anima rationalis secundū se non diminuitur, habet tamen interdū effigiē diminutā ex Tertul. 116. b
Anima rationalis separata retinet in se similitudinē sui corporis & potentias sensitiuas. 118. c d.
Anima separata semper vigilat nec vnquam obdormiscit. 149. d
Anima separata ante resurrectionem beata. 145.
Aquila probat fœtus suos ne degeneri partu inhonestetur. 229. a
Aquila nunquam mutat nidum: ponit autem eum in loco sublimi, & cur hoc faciat. 232. a. *Perspicacia & velocitas eius quanta.* 232. a. *Ipsa significat contemplatorem.* 232. b
Aquilo est frigidus. 215. b. *generat aurum & cur.* 216. c
Argenti materia ex qua, sunt vapores. 172. c
Arcturus est in parte septemtrionali. 215. b
Auarus quantumcunq; diues sibi pauper. 141. a
Ausitis idem quod terra Hus. 3. b
Auster oritur a plaga cœli quæ est infra nostrum horizontem. 215. b. *Est calidus.* 261. a
Authoritas hilaritatis non minuat gratiam, nec iocus redoleat leuitatem ex Bern. 185. a

B.

Balaam est is qui apud Iob vocatur Eliu Buzites. 199. b
Non baptizati infantes in lymbo non laudabunt Deum. 24. b
In baptismo adhibetur insufflatio vt dæmon expellatur. 25. d
Baptismale sal ab Ezech. prænuntiatū. c. 16. v. 26. c

Beati, erunt memores malorum quæ hic perpessi sunt. 83. c
Behemoth Hebræis est ingens bestia & significat Luciferum. 234.
Benedictio qua homines benedicunt est gratiæ collatio votiua, qua vero Deus benedicit est effectiua. 182. c
Blasphemia per antiphrasim dicitur benedictio Dei. 7. b
Bona temporalia, quandoq; Deus dat impijs, & denegat iustis, idq; iuste quomodo id fiat b. 148. b. c

C.

Cadauer humanum frater vermium. 121. b
Caiphas non peccauit contra legem prohibentem Pontifici scissionem vestium. 13. b
Calamitas vocatur sagitta infixa, quia denudat occulta mentis eius cui infligitur. 47. d
Caluinistæ negant id, quod tempore Iob sine exemplo & miraculo credebatur nempe corpora virtute diuina esse penetrabilia a se inuicem. 82. c
Camelorum vsus potissimus in negotiatione & itineratione. 5. a
Carnis nostra infirmitas spiritu corroboranda est. 50. & 51.
Castigatio malorum quandoque per angelos bonos quandoque per malos fit. 11. b
Sine Caussa efficiente tam Physicâ quam morali nihil fit in terrâ. 40. a b
Cerui statim a natiuitate deserũt parẽtes suos. 225. b
Cetui siue Balena illudunt alij pisces, declinando astutè rictum eius. 167. a
Christi anima nouit omnia quæ Deus nouit, & quantum Deus nouit, sed non sicut Deus, ob id non comprehendit Deum. 56. a b
Christus est quid vnum, etiamsi verbum dicatur inhabitare nos. 37. d
Christus infirmitate suâ fortes nos fecit, pulchrè id ex Augustino. 178. a
Christus patientiâ fuit saginatus ex Tertull. 49. d
Christi passionibus æquari gloriosum est. 50. a
Christus senex fuisset, si iuuenis occisus non fuisset. 117. b
Christus præuenit carnificis officium, priuans vita semetipsum. 117. b
Christus intra triduum resurrexit, ne tardius exspectando, eius speciem discipuli obliuiscerentur. 132. d
Christus diabolum vti piscem hamo accepit, pulchrè ostenditur. 237. a
Christi patientis variæ in Testamento veteri figuræ. 243. d
Christus dicitur tonitruum vt est verbum incarnatum & cur. 168. a
Cyprianus dicit se peccasse, nimis facile absoluendo pœnitentes. 116. a
Cypriani constantia in martyrio. 231. b
Cocytus fluuius infernalis. 150. a
Cœlum quoad figuram corrumpetur non autem quo ad substantiam. 102. a
Cœli motu suo non faciunt concentũ. 223. d. 224. a
Cogitatio impudica esse peccatum mortale ostenditur. 191. d
Concupiscentia non tolletur a damnatis, omnino autem tolletur a beatis. 136.
  Ipsa minuitur incremento virtutis. 4. b
  Quid ipsa sit ex Augustino. 99. a
  Est peccatum originale qua parte afficit corpus humanum. 99. b
  Ipsa nata fuit, statim ac ablata fuit iustitia originalis, absque eo quod forinsecus infunderetur. 99. b
  Ipsa est præcipua vis diaboli qua contra nos nititur. 234. d
Confessarius arbiter est inter Deum & peccatorem. 155. c
Confessio Sacramentalis quantum sit Dei beneficium. 115. 116.
Confessionis annuæ allegoria per Accipitrẽ. 292. a
Confessio proprij delicti valde difficilis. 197. c
Confitebatur Iob sua delicta coram omni populo. 197. c
Conseruatio creaturæ continua a Deo. 86. b
Consolatores quales esse debeant, videlicet non dicaces, &c. 21. c
Consuetudine ad omnia duramur, sic vt quod prius malum videbatur postea etiam fiat suaue, ex Bernardo. 49. b
Contemplator cur per aquilam significatur. 242. b c
Contentio est impugnatio veritatis cum confidentiâ clamoris. 54. b
Conuiuantes non debent habere apud se fœminas extraneas. 6. a
Corona quos manet, exspectat iniuria. 149. a
Corporis statura aut fortitudo cur non æstimanda sapienti. 38. c
Coruorum pullis derelictis a parente Deus prouidet escam, generatione vermium in nido eorum nascentium. 224. d
Creatura non rectè dicitur emanasse a Deo. 168. a
Creatura clamat se non esse Deum sed a Deo factam. 86. a
Culpâ remissâ remanet pœna, ne leuis videretur culpa. 46. a

D.

Damianus Goes dari homines degentes sub aquis probat. 164. c
Damnati non sunt æterni, erunt tamen semper. 160. a
  Valde sitient. 123. c
  Modo nimio calore affligentur modo nimio frigore. 159. c
  Non solum non possumus obtinere vt liberentur, sed ne quidem vt mitius puniantur. 65. a

In in-

In inferno recordabuntur ſapientiæ de qua hic ſolum in confuſo audiuerunt & inde affligentur. 177. d
Eorum corpora poſt reſurrectionem fœtida & putida. 84. c
In ſingulis ſenſibus ſpeciatim & diuerſimode torquebuntur. 140. a
David cum Chriſto reſurrexit. 133. b
David habuit imperium in beluas vti primo Adam. 44. c
Deſperans potius eligat ſeruare iuſtitiam quam peccare. 59. b
Deus nunquam per ſe loquitur diabolo ſed ſolum per creaturam aliquam. 9. b
Deus cenſetur facere quod non impedit. 30. a
Deus affligens Iob ſupra demerita eius non fuit iniuſtus, declaratur. 46. 47.
Hominem in Dei ſubſtantiam conuertendum eſſe hæreticum oſtenduur. 35. c
Dei inſenſibilitas. 69. c
Deus inflexibilis. 70. a
Per creaturam eſt cognoſcibilis ſed inſufficienter. 82. b
Cum Deo diſputare tantum licet iuſtis. 91. a
Deus quot modis negetur. 146. b c
Non indiget vllo ad nos pertinente. 150. c
Omnia omnino diſtinctè cognoſcit. 152. c 207. a
Eius opera ſunt incomprehenſibilia, oſtenditur pulchre. 168. c
Ipſe eſt incomprehenſibilis & oſtenditur eſſe ſummæ ſapientiæ ita ſentire de eo. 216. d
Eius varia attributa. 213. b. 214. 215.
Ipſe pro nobis inuigilat contra diabolum. 236. c
Deorum multitudo eſt Deorum nullitas. 196. c
Diabolus nihil habet rectum & ideo dicitur coluber tortuoſus. 167. b
Eius mores deſcripti. 238. 239.
Quam difficulter ipſe eruatur è cordibus hominum. 167.
Ante aſcenſionem Chriſti ibat quandoque ad cœlum. 8. & 9.
Velociſſimè perambulat totam terram vt inſpiciat quod accuſet. 9. d
Vnde profluxerit iſta imprecatio, Diabolus te auferat. 172. a
Nihil poteſt in nos niſi Deo ſpeciatim concedente. 11. d
Fuit valde humiliatus per patientiam Iob. 20. a
Cur dicatur turbo tenebroſus. 23. d
Quomodo terreat impios in articulo mortis. 140. a. & 142. b
Ob id diaboli dicuntur in Scripturis formidines. 124. b
Cur dicatur primogenitus mortis. 124 d
Dicitur non eſſe, quia Deo non eſt. 125. b
Laudat expulſores ſui ab obſeſſis vt superbiant. 237. d
Etiam pueris Chriſtianorum eſt ſubiectus. 237. d
Eſt pertinax. 240. b
Eſt humilium oſor & malleator, ex Bern. 241.
Eis tamen tunc vtiliter ſeruit ibidem.
Econtra delectatur ſuperbis. 241. b
Poteſt ſe facere lucidiorem ſole. 240. d
Nihil æſtimat aurum. 240. d
Potiſſimum tentat pauperes tam ære, quam ſpiritu. 240. a
Præcipua eius fortitudo eſt noſtra concupiſcentia. 234. d
Quanta ſit eius fortitudo. 240. b
In concubitu venereo quem exercet, valde moleſtat ſecum concumbentes. 235. a
Nō auertitur gladio etſi ſimulet ſe auerti. 240. c
Fert ſecū ignem gehennæ quocunq; vadat. 230. d
Eius conſilia ſunt perplexa & anfractuoſa. 235.
Eius doctrina cauda vocatur & cur. 235. a
Ipſe faciet vltimam mundi conflagrationē. 241. a
Ante omnia eſt creatus. 235. c
Ipſo nihil potentius inter creaturas. 241. b
Quomodo derideatur ab angelis bonis. 235. d
Ipſe abutitur omni creatura, ſicut Deus ea omni vtitur. 236. a
Putat ſe aliquando liberandum ex inferno.
Inſidiatur maximè infirmis & vanis. 236. b
Delectatur aquis affectans per hoc ſimilitudinem cum ſpiritu diuino primitus aquis incubante. 236. c
Subijcitur Chriſto & Chriſtianis, ſicut canis captiuus vel ſicut piſcis hamo captus. 237. b
Dies cui Iob maledixit eſt vita humana, quæ procliuior eſt ad malum quam ad bonum. 23. a
Diſcipulus bonus non eſt, qui ſuo ſpiritu diiudicat verba docentis.
Diuites hic impie viuentes, quam grauiter præ alijs a Deo arguentur pulchrè ex Ambr. 149.
Diuites tenentur ſubuenire temporaliter pauperibus & hi ſpiritualiter iſtis. 148. c
Diuitum virtus minus eſt æſtimanda quam pauperum & cur. 10. b c.
Diuites ſolent grauiter peccare contemnendo pauperes, & bona alterius vitæ. 7. c
Diuitiæ faciunt earum contemptorem magnum non vero poſſeſſorem. 5. b
Dona accipere in iudice eſt peccatum. 193. b
Donatus Hæreſiarcha nequam ante conditam hæreſim. 187. a

E.

Eleemoſyna non eſt omittenda prætextu diminutionis patrimonij. 52. c
Eleemoſyna liberabit donatorem iam defunctū alias damnandum. 22. d. 160. d
Eleemoſynam denegare indigenti peccatum mortale. 151. b
Eliphas Rex fuit Themanorum. 31. c

Animo

Animo ipse infirmo & argumento defendit iustitiam Dei. 33. d
Ille qui ei apparuit angelus erat. 35. a
Potius fuit Deus ipsemet. ibidem.
Prophetat Christi passionem. 42.
Sed prius ad id instructus fuit a Iob. ibidem.
Dicit multa non dicta ab oraculo, sed per ipsum ex illo deducta. 45. b
Elin de quo apud Iob, est ille Balaam de quo in libro Numerorum. 199. b
Episcopi olim erant iudices caussarum sacularium. 182. c
Id eis secularium superbiâ nunc ablatum est. 182. c
Coram eis saculares olim non nisi stabant. 185. b
Equi qualitates descripta. 230. a b
Significat martyrem. 230. c
Excitatur ad libidinem tractione iuba. 230. a
Error est grauior ignorantia videlicet priuatina. 127.
Erroris destructio magis est necessaria quam non necessaria veritatis inuentio. 91. b
Error parati corrigi est dignus venia. 172. b
Erubescit etiam castus animus ad falsas criminationes. 126. c
Esse verum non est, vbi est & non esse. 59. c
Esse etiam miserrimum huius vita, melius est quam non esse, Esse tamen miserum aterna damnationis non est melius quam non esse, 29. a
Eua solâ peccante non contraxissemus peccatum originale. 99. & 100.
Eucharistiá prafigurata desiderio domesticorum Iob desiderantium carnibus eius vesci. 297. a
Exemplorum non requiritur veritas ad docendum requiritur tamen ad excitandum. 2. in initio.

F.

Famis tempore diuites tenentur sub peccato mortali impendere suas gemmas aliaq. mobilia vt indigentibus succurrant. 182. d
Faunus vnus obuiauit D. Antonio. 165. b
Fides catholica de Trinitate vel vera est vel Deus nos decipit. 185. d. 186. a
Fidei doctrina nullius priuato iudicio debet formari sed ea nude recipienda, qua a Christo & Doctoribus ab eo institutis tradita. 184. c
Fiducia est quadam sperandi authoritas, ex Ambrosio. 83. d
Finis alius est existentia rei, alius complementis eius. 122. b
Fœlicitas temporalis cur data impijs, denegata autem Christo & Christianis, cur. 64. b 145. c. 143. 144.
Circa eam stupenda Dei prouidentia dantis eam impijs, & plerumq. denegantis iustis. 143. d
Fœtus humanus primus sex diebus est sicuti lac ac deinde sicut coagulum. 77. d
Fornicationem nihil sic a nobis remouet quam consideratio cooperationis diuina. 77. d
Fratres debitores non debent cogi ad dandum pignus. 151. a
Fraudulēti cur pra alijs impiis odibiles Deo. 212. b
Frendere dentibus est indicium summa ira, ex Ambr. 112. c

G.

Galli gallinacei intelligentia qua sit. 223. c
Generari a Deo propriè competit soli eius filio quandoque tamen scriptura sumit generalius & abusiue. 221. b c d. & 222. a
Glareis est arena lapidosa. 150. a
Gulosi in inferno patiuntur tormēta ventris. 139. d

H.

Heresis punienda morte. 187. a b
Haresis indicium est nouitas doctrina. 187. d
Hareticorum doctrina insulsa & fastidiosa. 48. 49.
Haretici veris falsa permiscent. 243. c
Ipsi non capiunt succum Sacra Scriptura. 187. c
Torquent Scripturas ad suum sensum & inde triumphant. 187. d
Arripiunt tantum partes Scripturarum & non totas. 187. d. 188. a
Ædificant super varios lapillos, & non supervnam viuam petram id est Pontificem, declaratur. 188. c
Hareticorum violentia in Ecclesiam a Iob predicta. 189.
Sibi ipsis contradicendo se destruunt. 219. c
Ordinariè sunt fœdi moribus, & indigni prapositura Ecclesia antequam ex ea erumpant. 186. d. 187. a
Hebron sepulhrum Patriarcharum. 84. b
Herodiorū quod sint genera & cuius natura. 228. c
Herus tenetur permittere seruo litem contra se. 194. b
Homo intrinsece est mutabilis, quia actio eius dependet a carne qua continuo mutatur. 38. a
Homo natus non creatus ad laborem. 40. b
Homo destinatus est ad miseriam ob peccatum. 96. b
Homo non nisi labore peruenit ad iustitiam. 96. b
Hus siue Ausitis regio Idumea. 3. a
Hus primogenitus Nachor. 3. a
Hyperbole est dictio ad permonendos animos fidem rerum excedens, ex August. 123. a
Hypocrita sua hyprocrisis displicet. 75. b
Hypocrita pana qua sit. 170. d

I.

Ignis infernalis agit in damnatos actione non naturali. 160. b
Non est lucidus, sed totus tenebrosus ob densitatem fumi immixti. 123. a

Est

Est fœtidus summè & sulphureus. 125. b
Ignitæ terræ vt Ethna & Vesuuius montes, feraces sunt auri & gemmarum propter calorem. 174. a
Ignorantiæ duæ sunt pessimæ filiæ, falsitas & dubietas. 126. d
Ignorantia facti est leuis. 127. a
Ignorantia pœna peccati originalis, & quam densa. 25.
Ignorantiæ nostræ raro lubenter accipimus medelam. 31. d
Imperans aliquid censetur facere illud. 48. a
Impietas est in Deum, iniquitas vero in proximum. 170. c
Impij vita, successus, & exitus, descripta. 160. 161.
Impius frustra quærit latebras suo delicto. 158. b
Impius non potest in hac vita sufficienter puniri, & ideo Deus sæpe in totum alteri vitæ reseruat pœnam ei debitam. 149. c
Impio cur detur hic prosperitas. 145. c d
Impius quandoque hic est supra modum fœlix. 143. 144.
Impius in articulo mortis valde a dæmonibus terretur. 124. b
Impios Deus è terra excutiet, sicut homo puluerem è sua veste. 219. d
Impunitas peccati, summa pœna est. 139. c
Incarnatio Christi, prædicitur Iob a Deo. 218. c
Infernus est tenebrosissimus. 23. b
Infernus habet plures mansiones sicut domus patris cœlestis. 118. b
Infernus dicitur sepulchrum, & cur. 144. d
Inferni partes aliæ alijs sunt profundiores. 121. b
Infidelis non habet veras virtutes, habet tamen moraliter bonas. 18. d
Quæ efficiunt vt mitius puniatur. 19.
Iniustitia quamdiu est, tamdiu est aliqua iustitia. 210. d
In innocentiæ statu non nisi somnia iucunda habuissemus, perinde vt vigiliam solum iucundam. 57. d
Innocentia in aduersis solatium. 16. c
Innocens difficillime patitur. 16. b
Et tamen deberet facilius pati. ibidem.
Intellectus hominis non resultat ab anima eius, sed proximè a Deo producitur. 36. c
Intellectus humanus potest habere tantum luminis extensiuè ad omnia obiecta sicuti diuinus, non tamen tantum intensiuè. 37. a
Intelligentia vt est donum Spiritus Sancti est principium sapientiæ. 174. d c
Inuidiâ mouentur pusillanimes & ambitiosi. 39. b
Iob fuit nepos Nachor fratris Abrahæ. 3. a
Fuit Gentilis, & nihilominus veri Dei verus cultor, vt proinde non soli Iudæi iusti. 3. b
Fuit Sacerdos. 6. d. Et quidem a Deo electus. 243.
Quotidie sacrificabat. 7. d
Fuit tentatus anno ætatis suæ 70. 7. d
Sanctior cunctis sui temporis. 9. d
Tentatus vt virtus eius, quæ soli Deo plene prius erat nota, nobis etiam innotesceret, & vt simul haberet præmium & gloriam victoriæ. 11. a. 22. a. 33. d
Cur per malum angelum & non bonum tentatus. 11. b
Eius vxor, nec domus, nec familia destructa fuerunt a diabolo cum posset, vt per ea postmodum grauius tentaretur. 13. b. 19. b
Fuit ab vxore & famulis domo propria adhuc superstite expulsus. 13. c
Sathan omnem cladem simul ei intulit & nuntiauit sperans obruere patientiam eius. 13. c
Iob luxit necem suorum filiorum & seruorum, ne magnitudine calamitatis videretur mutatus in stuporem & indolentiam, & in signum amoris in eos. 14. b
Eius filij sunt salui. 14. c
In tanta calamitate adhuc Deus prouiderat ei de victu sufficiente & vestitu. 14. d
Iob peccauit, quamuis non in sua aduersitate, sed postmodum loquendo in sua disputatione. 15. d
Iob passus damna rerum externarum, adhuc optabat pati in semetipso. 17. a
Iob de toto traditus potestati Sathanæ vita exceptâ & integritate sensuum. 17. b
Etiam mortem paratus patienter subire. 17. d
Non permissus occidi à Sathanâ, quia alijs virtutibus reseruabatur. 17. d
Reponebat in vlceribus vermes inde excidentes. 18. b. 92. c
Iob victor in sterquilinio, & Adam victus in paradiso: pares autem vxores habuerunt. 19. b
Fuit septem annis in sua calamitate. 21.
Innocens fuit ab opere malo, sed non a verbo & cogitatu malo. 46. d
Collocutores & visitatores eius fuerunt veri amici & non ficti. 20. b
Maiora peccatis supplicia passus. 46. d
Prophetat de omnibus mysterijs religionis Christianæ. 21. d. 90. d
Prædicit passionem Christi. 22. b
Ipse non Optauit extinctionem sui in vtero. 26. d
Ridebat ad cõtumelias sibi ab amicis illatas. 81. b & 127. b. In eo minor D. Paulo qui maledicentibus benedicebat. ibid.
Resurrexit cum Christo. 103. a
Optauit amicis suis ea quæ patiebatur, merè vt haberet occasionem exhibendæ consolationis aliter quam ipsi exhibebant. 111. b
Fuit ipse figura Christi patientis. 112. a
Et sicut ipse patientiâ saginatus. 49. d
Non conqueritur quod patiatur supra demerita, sed quia grauiter affligebatur. 47. c

Eius calamitates fusè expressæ. 47.d
Optauit adhuc pati duriora quam patiebatur. 49. c
Et tamen omni genere pœnæ fuit afflictus. 54. a
Est figura generis humani propter peccatum originale afflicti. 54. c. 61. b
Iob opulentissimus parcè viuebat sibique necessaria substrahebat vt pauperibus erogaret. 195.d
Iob pudicitia maxima, & reliqui eius mores pulcherrimi descripti. 191. 192. 194.
Conuersatione erat amabilissimus. 196. d
Confitebatur peccata sua coram omni populo. 197. c
Peccauit loquẽdo, sic vt potuerit videri blasphemare. 233. a
Quantũ ab omnibus & miserè desertus. 128. 129.
Filij Iob non fuerunt coniugati ante calamitatem sic vt tempore calamitatis, nec filios nec nepotes habuerit. 129. c
Quomodo fuerint ei dupli filij redditi. 244. c
Prædixit resurrectionem Christi. 132. a
Resurrexit cum Christo. 132. 132. b
Locutus est insipienter hoc sensu, id est non satis sapienter. 242. c
Eius sanctitas pulchrè declaratur. 155.
Non fuit prorsus innocens, fuit tamen in eo de quo amici eum accusant. 169. d
Prædicit omnes Ecclesiæ status. 188. 189.
Magis doluit ante calamitatem se abundare, & alios indigere, quam de sua inopia tempore calamitatis. 190. d
Iob indicatus ab amicis iustus ante iustificationem eius diuinam excepto Eliu. 199. a
Ira alterius silentio nostro sopitur. 19. d
Irreprehensibilis est qui sua delicta castigat. 170. c
Iudæi apprehensi in astutia suâ contra Christum. 41. d. & 42. a
Iudices non debent accipere munera, nec esse iracundi. 212
Iudicium extremum non fiet verbaliter. 65. c
Ipsum erit etiam Abrahamo horribile, quia ignorabat quem in ordinem consecuturus sit. 103. b
Post iudicium extremum terra erit omnino vacua ab hominibus. 125. d
In eo non habebitur vlla ratio Regum. 206. b
Semper est a nobis cogitandum. 198. a
Iudicium particulare statim aliquod fit a morte. 69. d. 111. b
B. Iuliana duxit visibiliter diabolum ligatum. 237. d
Iustitia nostra non est ea tantum quæ Deo intrinseca est id ostenditur contra Caluinum. 35 d.
Sed est nobis intrinseca. 163. a
Iustitia nostra comparatione diuinæ iniustitia est. 37. a
Iustitia semper aliqua ponitur, quotiescunque & quamdiu ponitur iniustitia. 210. d
Iustitia nostra nihil prodest Deo. 209. d
Iustis potius non conueniunt bona temporalia quam conueniant. 171. c
Iusti comparati filijs Aquilarũ & vulturum. 40. c
Iusti æqualiter cum impijs subiacent malis huius vitæ. 45. c d
Iustus nemo sic est, vt de rigore sit saluandus. 71. b c
Iustus affligitur hic ne intumescat. 78. d

L.

LAquei quam nobis multi positi in hac vita: suntque nobis occultati tam industria capientis, quam cœcitate nostra. 124. a
S. Leocadia mortua est nudo raptu animæ è corpore adhuc vegeto. 117. d
Leuiathan est diabolus. 122. a
Leuiathan propriè est draco marinus figuratiuè diabolus. 236. c
Liber Iob moralis est, propheticus & historicus. 1. & 3.
Liber Iob, absolute historicus, non parabolicus. 1.
Liberare alterum a morte iniusta, tenemur sub mortali sine pecuniâ viribus vel quocunque modo nobis possibile. 182. d
Lis de re temporali delictum est, sed tolerabile modo Ecclesiastico iudicio finiatur. 181. c
Lites etiam de temporalibus, olim per Episcopos decidebantur. 181. c
Lis pro pauperibus non facile decidenda sed etiam accuratè discutienda. 183. d
Loquacitas potest esse peccatum mortale. 122. c
Lucifer & Hesperus est eadem stella veneris, nunc mane, nunc vespers apparens. 222. c
Lucifer per Behemoth id est multas bestias significatur, & cur. 234. c
Lumbi sunt seminarium virile. 234. d
Lumbos præcingere est hominis expediti & strenui. 217. d
Luctus indicia olim erant scissio vestium & tonsura capitis. 13. & 14.
Lusitania est ferax auri & sub Hispanijs comprehenditur. 172. d
Lusus quidam Sinensis tam austeræ fuit vitæ, vt vermes è corpore scaturientes ibidem reponeret. 18. c
Lymbus patrum obscurus erat, quietus tamẽ. 102. b

M.

MAgi deprecatione obtinent a Dæmone, quod sacris exorcistæ imperio. 239. b
Magister solebat vocari pater. 208. c
Maledicentia licentia infœlix. 54. b
Maledicentiam aliorum optimè effugies si nemini maledicas. 44. a
Maledicere interdum est mala obuentura prædicere. 22.
Marcion hæresiarcha ob stuprum eiectus ex Ecclesia. 186. c

Mare

Mare generatum fuit motu congregante aquas diffusas ad vnum locum. 210. a
Mare initio obtectum nubo fuit, ne adhuc tenerum agitaretur tempestate. 210. a
Marinos homines id est sub aquis degentes dari ostenditur. 164. 165.
Martyrio non debemus nos vltro offerre. 230. d.
Quidam tamen licite id fecerunt Spiritu Sancto instigante. 231. a
Martyrij periculo instante, scripturis sacris nos armare debemus ad constantiam. 231.
Martyr significatur per equum, pulchrè ostenditur. 230. c
Martyr is est qui se obtulit tormentis & morti etiamsi mors non sequatur.
Martyr existimare debet humiliter, sibi ob peccata sua obuenire martyrium. 92. a
Matrimonij merces, partus est fœminarum. 4. c
Melchysedech resurrexit cum Christo. 133.
Mendici a tempore D. Augustini cantabant Christum in ianuis. 182. c
Mercenarius non amat laborem propter se. 55. a
Miserum esse huius vitæ, melius est non esse, non tamen miserum esse alterius vitæ. 29. a. 30. a
Misericordiæ substractio in necessitate est peccatum mortale. 51. b
Misericordiæ opera impetrant sufferentiam tentationum. 59. c
Monachus & Eremi cultor significatur per Onagrum. 226. b
Mors dicitur somnus, quia quietat animam non quia priuat actione. 27. 28.
Mortem sibi optare licet non inferre. 58. d
Mors multis euenit ante naturalem eorum terminum. 100. c
Mors euenit aliquibus per purum raptum animæ è corpore adhuc idoneo vegetare. 117. d
Mortem sibi consciscentes, male per hoc sperant requiem. 122. a
Motus debet fieri ab immoto. 73. d
Mutabilitas tum animi tum corporis quanta in homine. 96. 97.
Mutabilitas animi in homine, a mutatione carnis eius. 38. a

N.

NAbas est diabolus. 122. a
Narium spiritu designatur ira. 32. c
Natiuitatis nostræ dies non est celebrandus. 26. a
Nocturnæ apparitiones cur magis terrent quam diurnæ. 34. c
In Noruegia inuentus fuit homo marinus, Anno 1621. 164. b
Nox cui Iob maledixit est conceptio eius in peccato originali quæ fit in vtero materno. 22. 23.
Nox quot modis laudet Deum. 210. a
Nubes continent aquas sicut vtres. 166. a

O.

OCulis corporeis quomodo Deum videbimus. 136. a b
Opera nostra omnia etiam bona sunt nobis formidanda. 74. d
Opera omnia nostra habent aliquem defectũ. 75.
Orandum mane ob mysterium resurrectionis. 6. c
Oratio quid sit & quæ requirat. 40. d. 41. a
Oratio est suspendium spiritale animæ. 58. c
Oratio debet a spiritu diuino esse instituta. 70. d
Orationis exauditio non est indicium sufficiens quod fuerit meritoria exauditionis. 71. d
Oratio non ideo non est exaudita, quia fructum eius ignoramus. 71. d
Orantes Deus exaudit ad salutem non ad voluntatem. 72. c
Originale peccatum dari, probatur. 97. c
Ipsum est origo calamitatum Iob. 22. a
Per ipsum homo factus est dæmonum ludibrium. 25. d
Ex immunditia seminis contrahitur tanquam proxima causa non vero propter purum decretum Dei præcedens. 97. 98.
Posito peccato primi hominis naturaliter resultat. 99. b
Est priuatio iustitiæ originalis. 99. b
Non potest deleri ab homine in vtero materno existente. 26. a
Ob illud homo patitur damnum boni minoris vt crescat in maiore. 22. a
Post ipsum homo poterat in totum deseri vsque ad perditionem æternam. 25. a
Ignorantia data est nobis in pœnam eius. 25. b
Item ingens infirmitas. Ibidem.
Eua sola peccante non contraxissemus peccatum originale. 99. 100.
Osculo manus solebat fieri adoratio. 196. a b
Otium ostenditur esse puluinar diaboli. 165. d

P.

PAssio Domini præcipuum debet esse obiectum contemplationis. 232. c
Passio Domini quã dilucidè prædicta a Iob. 112. 113.
Paterfamilias tenetur procurare vt sui domestici sint probi. 153. d
Patientia ad omnia vtilis ostenditur. 244. d
Patientiam præ cæteris virtutibus omnes sancti coluerunt. 45. c
Patienti necessaria est spes. 50. b
Patientis habitus qualis descriptus ab Ambr. 21. d
Patienti nihil vtilius consideratione iustitiæ diuinæ. 49. 50. a
Patrum doctrinæ plene acquiescendum. 184.
Peccatum. v. titulum O, propter originale peccatum.

Peccatum exiguum reputatur pro nullo. 71. b
Peccati venialis pernicax impœnitentia damnat. 80. a
Peccatum excusatur infirmitatis prætextu. 97. b
Peccato hominis congruum est vt Deus parcat. 97. b
Peccata inuitè insciemter, vel inopinato commissa Deus etiam puniet. 104. c
Peccamus sæpe & ignoramus. 65. d
Peccatum calamitates septem adducit. 43. b c d
Peccans quasi non est, quia Deo non viuit. 59. c
Peccatum nostrum nihil nocet Deo. 209. c
Peccatum non fit præter voluntatem Dei, & quanta Dei circa peccatum prouidentia. 209. c
Per peccatum quod Deus non vult, facit quod vult. 209. c
Peccatum omne, pro omni puncto temporis quo existit, punitur. 210. d
Peccatum in alia vita acerrimè punitur, ex Augustino. 211. a
Pestis tonsura est insolescentis humani generis. 44. b
Pisces loco pulmonis branchias habent. 164. a
Pleyades sunt septem stellæ addensatæ. 222. b
Pœnitentiæ Sacrament. a Iob prophetatum. 11. c d
Pœnitentia facienda extra periculum & occasionem peccati. 6. b
Eius fructus. 43. a b. Item 153. d. & 154.
Includit pœnitentia reprehensionem, sed non solam. 243. a
Includit actus afflictiuos ex Tertull. Ibidem.
Pœnitentia vocabulum tam Græcis quam Hebræis mutationem dicit. Ibidem.
S. Polycarpi constantia in martyrio. 231. b
Pomum fructuum est præstantissimum. 74. b
Populi peccatum facit vt Deus ei det Principes improbos. 207. d
Prælati Ecclesiæ deditì terrenis qualium morum esse soleant ex D. Greg. 229. c
Præscientia est actus sapientis. 31. a
Præsumptuosum est velle maiora viribus non imploratâ ope potioris. 50. b
Principes mali cur a Deo permittantur. 207. d
Principes mali dātur populo ob peccatū eius. 207. d
Principes non sunt odibiles Deo, ob potentiam cum & ipse sit potens. 211. c. Odit tamen Principes impios. Ibidem.
Principes impios humiliat Deus, ac deinde eos pœnitentes iterum exaltat. 212. a
Principes non debent esse iracundi, nec accipere munera & quæ debeant esse eorum virtutes. 212. d. 213. a
Principatus non habebitur ratio in v. indicio extremo. Priores generatione fortiores sunt posterioribus. 62. c
Prophetæ, videbant quædam mysteria Christi, quædam eis solum dicebantur. 132. a
Prosperitas vide, v. fœlicitas.
Prouidentiæ diuinæ necessitas ostenditur. 206. a
Prouidentia est actus sapientis. 31. a
Prouocatio ad iudicium diuinum vsitata tempore Iob. 208. d
Psallendum absque omni immutatione verborum. 70. d
Pueri absque baptismo discedentes, sunt in inferno, nec laudant Deum. 24. b
Falsum est quod Christo ad lymbum descendenti accinerint, Gloria tibi Domine qui mortuus es pro homine. Ibidem.
Pulmonis descriptio pulchra ab Ambr. 164. a b. 156. d
Punitionis carentia in hoc sæculo, est pœnarum maxima. 139. c
Pupillorum spoliatio est peccatum maximū. 151. b 156. d
Purgatorium ex Augustino astruitur. 102. 103.
Pusillanimes solent esse inuidi. 36. b

Q.

Quantitatem redigi posse diuinâ potentiâ ad punctum sine exemplo aut miraculo credebatur tempore Iob. 82. c
Querela infirmi, oratio est. 60. a
Quies includit priuationem omnis mali, & participationem omnis boni. 27. c
Quies nostra extra Deum non est. 66. a

R.

Ratio humana, nequit multa naturæ effecta intelligere. 68. c
Reges vocantur domitores vitiorum. 28. b
Religio seu cultus Dei cur vocetur timor Dei. 4. a
Reprehensores plures quam imitatores, ex Bernardo. 239. c
Resurrectionis fides, est totum fundamentum quietis & spei nostræ in hac vitâ. 136. b
Resurgemus non solum in eadem carne, sed etiam in iisdem membris, adeoque eandem carnem & eodem officio membri fungentem recipiemus. 134.
In resurrectione qui prius defectuosi membris, erunt integri, eo quod vicina membra integra germinabunt vt compleantur defectuosa. 134. d 135. a
Resurrexerunt cum Christo principes Iustorum, adeoque Abraham Melchisedech, David Iob, &c. 133.
Vltra illos resurrexerunt nonnulli recenter mortui vt per eos resurrectionis fides astruetur. 132. d
Cur cum Christo aliqui resurrexerint variæ rationes adferuntur. 132. 133.
Reuelatio diuina discernitur ab illusione diabolica, per aliquem internum saporem. 34. b
Reuolutio cœlorum non infert reuolutionem seculorum. 56. b

Rhinoceros cuius naturæ sit, opposita videlicet Vnicornui. 227. a
Est figura diaboli. 227. d. 228. a
Risus noster decere, vel aliter vtilis esse debet. 185. a

S.

Sabinianus diaconus quam impudicus. 158. d
Sacerdotes olim omnibus sæcularibus præferebantur. 185. b
Præferendi sunt Consulibus Romanorum. Ibid.
Nunc inglorij sunt, quia non religiosi erga Deum. 89. b
Sacerdotis virtus & pietas, conferunt Sacrificio, sicuti dispositio suscipientis confert Sacramento. 244. d
Sanctorum inuocatio olim etiam tempore Iob. 39. a
Ad Sanctorum sepulchra fiebant peregrinationes ante Christum. 84. b
Sanguis Abel, clamat vindictam, Sanguis autem Christi indulgentiam. 114. b
Sapientes vt apprehendantur in astutia sua ostenditur. 41. c d
Sapientia est æternarum rerum cognitio intellectualis. 87. a
Ipsa Non est filia temporis. 200. a
Sapientia iuuenilis feruida est & impura. 201. a
Cito ipsa discitur, dum a Deo docetur. 200. a
Ipsa est inæstimabilis, & nihil omnino ipsi comparabile late ostenditur. 175. 176.
Vt acquiratur, requiritur abstractio a delicijs & sæculo & tranquillitas mentis. 175. b c d. & 177. a
Qui sint gradus ad sapientiam. 178. b
Quædam est homini naturalis & insita. 223. a
Sapphyrus, cæli & aëris habet similitudinẽ. 176. a
Scandalizantes torquebuntur in alia vita, ab ijs quos scandalizauerunt. 147. c
Scripturas Sacras ad omnem spiritualem effectum pro sui varietate conferre ostenditur. 226. d
Seminariũ viri est in lumbis, fœmina in vtero. 234.
Sensus etiam indicant. 86. c
Senum est docere alios. 199. d
Sepeliri apud Sanctos bonum, & cur. 84. a
Sepulchra olim loca in quibus recondebantur thesauri. 33. c
Seruus debet magis attendere ad voluntatem heri, quam ad suam vtilitatem. 156. a
Seruus Dei, magnum encomium. 9. d
Simplicitas quæ sit laudabilis, & quæ non. 3. c
Simplicitatis laus & vtilitas. 3. c d
Sitienti denegare potum, peccatum mortale. 151. b
Sodoma nihil fructuosum nunc profert, ex Ambrosio. 173. d
Sodomitarũ excidium notum erat familiæ Iob. 12. b
Somnia non nisi læta fuissent in statu innocentiæ. 57. d
Somnijs ita nonnulli vexati, vt horruerint dormire ne somniarent. 57. d
Somnolentiæ turpitudo. 6. c.
S. Soteris Constantia. v. 230. d.
Spiritus Sancti nos inhabitantis pulchri effectus descripti. 69. d
Squammæ sunt figura pertinaciæ in peccato. 239. c
Struthio non volat, citissimè tamen prouolat. 229. b
Significat Prælatos Ecclesiæ terrenis affectos. 229. c
Relinquit oua sua in medijs vijs arenosis, nec fouet ea. 228. d
Staturam corporis Deus nihil æstimat. 176. c
Suspendium ordinarie eligunt qui se necant. 58. d
Suspendij spiritalis quod est oratio, cum corporali comparatio. 58.
Symeon Stylites vermes è corpore suo excidentes, ibidem reponebat. 18. c

T.

Taciturnitas nota sapientiæ. 91. c
Tagus Lusitaniæ fluuius, habet arenas aureas. 172. d
Temporum vicissitudo est leuamen malorum. 55. c
Terra est locus tentationis, sicuti cœlum est quietis. 37. d
Terra est immobilis per solam Dei voluntatem non autem per aliqua fulchra. 166. a
Terram linea aliqua indiuisibilis cingit & mensurat ex Basilio. 218. b
Textor minus præfigit telæ suæ terminum, quam Deus vitæ nostræ præfigat. 55. d
Tigris est fluuius rapidissimus. 173. b
Timor Dei dicitur religio. 4. a
Sumitur interdum vt omnem virtutem comprehendat. 9. 10.
Dicitur cultus Dei & sapientia. 179. c
Tonsura capitis olim signum luctus. 14. a
Traditiones Seniorum magnificiendæ. 62.
Tribulatio immittitur etiam eis quos Deus satis probatos habet, vt victoriæ gloriam habeant coram alijs. 11. a
Tribunalia cur olim in portis ciuitatum. 181. b
Turbo ex quo Deus quandoque locutus, indicium erat iræ diuinæ. 217. b

V.

Venialia peccata multiplicata perdunt hominem. 193. a
Verba acrius feriunt quam verbera, ex Ambrosio. 154.
Vestis animi interna pulchrior exteriore, non auferibilis & maiorem authoritatem conciliat. 183. c
Vestem scindere erat lugere olim. 13. d
Vestis scissio tantum erat prohibita pontifici in luctu funebri non vero in alio. 13. d
Viduarum spoliatio peccatum maximum. 151. b

Vidua nomine omnis inops & afflictus significatur. 160. d
Virginis aspectus cur periculosior aspectu mulieris. 192. a
Virtutis non est, quod non sit propter verum bonum. 10. b
Vitam temporalem quantumuis ærumnosam, quam horremus finire. 17.c
Vita hominis cur dicatur militia & tentatio. 54. d
Vita nostra termino inscienter appropinquamus. 74. b
Vita hac nobis valde onerosa est, siue otiosi, siue actuosi simus. 55. ab
Quam caduca fluxa, misera. 96. b
Vlcus Iob constrictum erat acerbissimum, disruptum fœtidissimum. 18.a
Vnicornu est animal placidissimum. 227. a
Voluntas inordinata, vt sibi ipsi pœna esset rectè ordinatum est. 60. b
Voluntas magis corrupta est quam intellectus, & ideo facilius bona discimus quam faciamus. 96. a
Voluntas humana non semper debet velle id quod vult diuina. 130.c
Vterus est seminarium fœminæ. 234.d
Vultures sine prauio coitu pariunt. 225.c
Vultures inhiante matre concipiuntur a vento. 40.c

INDEX SCRIPTVRARVM,

incidenter in hoc opere explicatarum.

Ex libro Genesis.

Cap. 2. Terra es & in terram ibis. 133.c
C. 9. Sanguinem animarum vestrarum requiram &c. 60. d
C. 16. Dixit Sara conclusit me Dominus. 27.a
C. 16. Pariat Ager super genua mea. 27. b

Ex Deuteronomio.

C. 32. Concrescat vt pluuia doctrina mea. 184. d

Ex libro Ruth.

C. 2. Locutus es ad cor ancilla tuæ. 183.b

Ex libro primo Regum.

C. 6. Scietis quare manus eius non recedat a vobis. 100. c
C. 15. Concidit eum in frusta coram Domino. 147.

Ex libro secundo Regum.

C. 1. Si peccauerit vir in virum remittetur ei. 196.b
C. 8. Mensus est duos funiculos. 147. c
C. 16. Quis mihi det vt moriar pro te. 14. b

Ex libro tertio Regum.

C. 19. Omne os quod non adorauit osculans manus. 196. b

Ex libro quarto Regum.

C. 5. Si adorauero in templo Remmon. 14. a

Ex libro Psalmorum.

Psalm. 3. Non est salus ipsi in Deo eius. 42.b
psalm. 3. Non timebo millia populi circundantis me. 119.a
ps. 4. Quæ dicitis in cordibus vestris compungimini. 74.d.75.a
ps. 7. Gladium suum vibrauit. 137.b
ps. 7. Ecce parturijt iniustitiam. 32.c
ps. 9. Non mouebor a generatione. 64. a
psalm. 13. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt. 152. d
psalm. 21. Factum est cor meum sicut cera liquescens. 117.a
ps. 21. Salua me ex ore Leonis. 42.b
ps. 21. Tu in sancta habitas. 50.a
ps. 28. Vox Domini in virtute. 214. d
ps. 28. Vox Domini præparantis ceruos. 225.d
ps. 30. Laqueum quem absconderunt mihi. 123.d
ps. 30. Abscondes eos in abscondito faciei. 29.b
ps. 31. Intellectum tibi dabo. 46.a
ps. 31. In diluuio aquarum. 101. a
psalm. 31. Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea. 139.c
psalm. 34. Cum mihi molesti essent induebar cilicio. 113.
ps. 34. Domine quando respicies restitue animam meam. 136. c
ps. 34. Oratio mea in sinu meo conuertetur. 133.d
psalm. 36. Quæsiui eum & non erat, nec inuentus &c. 138. c
ps. 37. Dolor meus in conspectu meo. 79.d
ps. 39. Ne quando supergaudeat inimici mei. 46.b
ps. 40. Quando morietur & peribit nomẽ eius. 41.d
psalm. 49. Arguam te & statuam contra faciem tuam. 149. b
ps. 50. Peccatum meum contra me est semper. 48.c
ps. 50. Auditui meo dabis gaudium. 61. a
ps. 51. Videbunt iusti & ridebunt. 64. a
psalm. 54. Elongaui fugiens & mansi in solitudine. 28. b
psalm. 57. Lætabitur iustus cum viderit vindictam. 153. b
ps. 58. Famem patientur vt canes. 178.b
ps. 59. Iratus es & misertus es nobis. 214.b
ps. 62. Tradentur in manus gladij. 137.b
psalm. 63. Conturbati sunt omnes qui videbant eos. 179.d
ps. 65. Quam terribilia sunt opera tua. 120. a
psalm. 67. Iter facite illi qui ascendit super occasum. 146.d
psalm. 67. Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. 186.c

ps. 68.

ps. 68. Improperium exspectauit cor meũ. 123. a
ps. 68. Non me demergat tempestas aqua. 118. a
ps. 68. Defecerunt oculi mei dum spero. 92. d
ps. 72. Non est respectus morti eorum. 72.
ps. 72. Velut somnium imaginem eorum ad nihil rediges. 138. c
ps. 87. Terrores tui conturbauerunt me. 48. a
ps. 91. Nimis profunda facta sunt cogitationes tua. 143. d
ps. 63. Factus est mihi Dominus in refugium. 136. c
ps. 96. Montes sicut cera fluxerunt. 105. a
ps. 102. Qui redimit de interitu vitam tuã. 132. b
ps. 102. Spiritus pertransibit in illo. 56. d
ps. 103. Amictus lumine sicut vestimento. 23. a
ps. 103. Rigans montes de superioribus. 41. a
ps. 117. Castigans castigauit me Dominus. 190. c
ps. 118. In corde meo abscondi eloquia tua. 153 d
psalm. 127. Filij eorum sicut nouella plantationes. 139. a
psal.m 136. Suspendimus in salicibus organa nostra. 191. b
ps. 139. Funes extenderunt in laqueũ mihi. 124. a
ps. 140. Oratio mea in beneplacitis eorum. 115. b

Ex libro Prouerbiorum.

Cap. 1. Si te lactauerint peccatores. 27. c
C. 1. Veni nobiscum insidiemur sanguini. 119. b
C. 1. Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. 124. b
C. 24. Ne quaras iniquitatem in domo iusti. 137. a

Ex libro Ecclesiastes.

C. 3. Tempus omnis rei tunc erit. 50. d
C. 4. Meliorem iudicaui illum qui nondum natus est. 29. a
C. 9. Nescit homo an amore an odio dignus sit. 73. c

Ex libro Sapientiæ.

C. 2. Cõtumelia & tormento interrogemus eum. 41. d
C. 5. Iustitia lumen non illuxit nobis. 66. b
C. 12. Eum qui non debet puniri, damnare externum &c. 61. c
C. 13. A magnitudine creatura, cognoscibiliter, &c. 82. b

Ex libro Ecclesiastici.

Cap. 7. Ne pecces in multitudinem ciuitatis. 197. d
C. 14. Particula doni boni non te prætereat. 232. c
C. 17. A mortuo perit confessio. 71. c
C. 18. Post concupiscentias tuas non eas. 4. b
C. 21. Via impiorum complanata lapidibus. 150. b
C. 21. Verba prudentis statera ponderabuntur. 206. a
C. 24. Penetrabo omnes inferiores partes terra. 118. 6.
C. 32. Audi tacens. 53.
C. 47. Cum Leonibus lusit. 44. c

Ex Canticis Canticorum.

Cap. 6. Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab. 119. d
C. 6. Reuertere Sulamitis. 121. d

Ex Isaia.

Cap. 2. Cauete ab homine cuius spiritus est in naribus. 32. c
C. 3. Lingua eorum & adinuentiones contra Dominum. 89. c
C. 3. Munimenta saxorum sublimitas eius. 173. b
C. 5. Ponentes lucem in tenebras. 159. a
C. 6. Sicut in monte diuisionum stabit Dominus. 147. b
C. 6. Alis suis velabant faciem eius. 159. a
C. 8. Caligo persequens. 84. c
C. 9. Sicut qui capta præda diuidunt spolia. 238. b
C. 11. Delectabitur puer ab vbere super foramine aspidis. 167. b
C. 13. Dies plenus indignationis &c. 66. c
C. 13. Sol in ortu suo obtenebratus. 67. a
C. 14. Demergens in profundum laci. 121. c
C. 21. Stans super custodiam meam. 74. d
C. 24. Congregabuntur in congregatione vnius fascis. 149. d & 87. d
C. 24. Sicut populus sic sacerdos. 194. c & 80. b 29. b
C. 26. Incuruabit habitatores &c. 70. b
C. 26. Vade populus meus intra cubicula &c. 102. c
C. 26. Pacem dabis nobis. 207. c
C. 29. Inebriamini & non a vino. 90. c
C. 33. Regem in decore videbunt. 135. b
C. 34. De cadaueribus eorum ascendet fœtor. 84. c
C. 34. Inebriatus est in cælo gladius meus. 137. b
C. 47. Fiduciam habuisti in malitia tua &c. 125. a
C. 50. Dominus Deus aperuit mihi aurem. 50. a
C. 50. Induam cœlos tenebris. 67. b 26. c
C. 50. Quis est aduersarius. 93. c
C. 54. Ad punctum dereliqui te. 138. b
C. 58. anima eorum quasi hortus irriguus. 123.
C. 59. Palpauimus sicut cæci. 90. c
C. 59. Expectauimus lucem. 42. a
C. 63. Iste formosus in stola sua. 233. c
C. 66. Videbunt cadauera &c. 207. c
C. 66. Ossa vestra sicut herba germinabunt. 135. a

Ex Ieremia.

Cap. 3. Reuertere auersatrix &c. 121. d
C. 5. Propheta in ventum locuti sunt. 53. 105. d
C. 8. Diem hominis non desideraui. 170. d
C. 10. Corripe me Domine in iudicio. 101. a

Ex Threnis.

Cap. 3. Oblitus sum bonorum. 74. a
C. 3. Circumædificauit aduersum me. 128. c

Ex Baruch.

Cap. 3. Ibi fuerunt Gigantes non hos elegit. 38. b

Ex Ezechiele.

Cap. 8. Adorantes militiam cœli. 196. a
C. 14. Si isti tres viri Noe &c. 1.
C. 16. Quanta nata es, non es sale salita &c. 26. a
C. 16. Auferetur zelus meus a te. 139. c
C. 21. Gladius Domini exacutus est. 137. b

Ex Daniele.

C. 7. *Millia millium ministrabant ei.* 162. c

Ex Amos.

C. 7. *Non potest terra sustinere vniuersos sermones.* 123. a

C. 7. *Non adijcias vt prophetes, quia sanctificatio regis est.* 146. b

C. 8. *Occidet sol tunc meridie.* 66. b

Ex Abacuc.

Cap. 1. *Horribilis est & terribilis.* 80. b

C. 3. *Sol & luna stabunt.* 67. a

C. 3. *Gurges aquarum transijt.* 241. a

Ex Nahum.

Cap. 1. *Conuiuium paruer potantium consumetur.* 95. b

Ex Zacharia.

Cap. 9. *Tu in sanguine testamenti eduxisti, &c.* 29. b

Ex 2. Machabæorum.

Cap. 7. *Nescio qualiter in vtero, &c.* 78. b

Ex Matthæo.

Cap. 6. *Orantes nolite multum loqui.* 70. c

C. 8. *In tenebras exteriores.* 22. & 23. a

C. 20. *Erunt nouissimi primi.* 126. a

C. 22. *Ligatis manibus & pedibus proijcite.* 124. c

Ex Luca.

Cap. 2. *Deposuit potentes de sede.* 41. a

C. 2. *Dispersit superbos mente cordis sui.* 88.

C. 8. *Quis me tetigit.* 42. a

C. 10. *Fulgur de cœlo cadens.* 23. d

C. 10. *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis.* 71.

C. 12. *Nihil opertum quod non reueletur &c.* 3.

C. 12. *Veniet in die quâ non sperat & diuidet eum.* 147. b

C. 16. *Qui recipiant vos in æterna tabernacula.* 160. d

C. 19. *Inimicos meos interficite coram me.* 207. b

Ex Ioanne.

Cap. 1. *Et habitauit in nobis.* 37. d

C. 5. *Audient vocem filij Dei.* 103. d

C. 8. *In veritate non stetit.* 37. b

C. 9. *Quis peccauit vt cæcus nasceretur.* 25. b

C. 9. *Ego lux veni in seculum.* 42. a

Ex Actis.

Cap. 2. *Tanquam spiritus aduenientis.* 34. d

C. 2. *Habebant gratiam ad omnem plebem.* 181. b

Ex Epistola ad Romanos.

C. 3. *Vt omne os obstruatur.* 70. c

C. 8. *Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* 70. 71.

C. 11. *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius.* 42. b

Ex prima ad Corinthios.

Cap. 4. *Tunc erit laus vnicuique a Deo.* 115. b

C. 12. *In partem sortis sanctorum in lumine.* 23. a

C. 15. *Sed non omnes immutabimur.* 103. d

Ex secunda ad Corinthios.

Cap. 1. *Vt tæderet nos viuere.* 76. a

C. 7. *Sed defensionem sed indignationem.* 104. c.

Ex Epistola ad Hebræos.

Cap. 5. *Preces cum lachrymis & clamore valido.* 114. a

Ex Epistola primi D. Petri.

Cap. 3. *Christus his qui in carcere erant spiritibus &c. 29. Eadem scriptura ostenditur fuisse olim in Ieremia.* 103. a

Ex Apocalypsi.

C. 4. *Dicentia Sanctus Sanctus.* 224. b

C. 5. *Et omnem creaturam quæ est in mari omnes audiui dicentes &c.* 165. a

C. 21. *Lucerna eius est agnus.* 180. b

FINIS.

Errata quæ irrepſerunt ſubijcimus hic correcta.

PAg. 13. *Conſuetinem* pro *Conſuetudinem.*
13. *Potueri* pro *Potuerit.*
16. *Qui* pro *Quis.*
17. *Domininus* pro *Dominus.*
19. b. *Nanifeſtè* pro *Manifeſtè*
20. a. *Exprobantes* pro *Exprobrantes.*
41. c. *Agetent* pro *Agerent.*
45. b. *Grauis* pro *grauis.*
54. d. *Eſſet* pro *Eſſe.*
59. b. *Expatabo* pro *Exſpectabo.*
59. d. *Permanſiſtens* pro *Permanſiſſent.*
60. *Vallatim* pro *Vallatum.*
62. d. *Herſterni* pro *Heſterni.*
70. d. *ſimpliter* pro *ſimpliciter.*
73. a. *Iuſtitie* pro *Iuſtitia.*
79. a. *Reuerſuque* pro *Reuerſuſque.*
85. *Deus* pro *Deum.*
93. c. *animaduertes* pro *animaduertentes.*
88. b. *Efitur* pro *Effertur.*
88. b. *Exſiccaſundentioni* pro *Exſiccationi.*
102. a. *Conſubget* pro *Conſurget.*
102. c. *Quietem* pro *Quietum.*
103. c. *Cuntis* pro *Cunctis.*
107. d. *Indicabit* pro *Indicabit.*
109. b. *Anthiecius* pro *Anthiocus.*
111. a. *an* pro *Non.*
112. a. *Acrione* pro *Acriore.*
112. b. *Amina* pro *Anima.*
193. c. *Calegi* pro *Caliginе.*
194. d. *Dimunita* pro *Diminuta.*
204. c. *non* pro *nunc.*
205. c. *Amaratitudinem* pro *Amaritudinem.*
208. a. *Dominus* pro *Dominis.*
210. c. *Tributione* pro *Tribulatione*
219. c. *Edionita* pro *Ebionita.*
221. d. *Deuotare* pro *Denotare.*
221. d. *Eſſe* pro *Eſſet.*
222. b. *Indicium* pro *Indicium.*
222. b. *Pronuncias* pro *Prouincias.*
224. d. *Indum* pro *Nidum.*
224. d. *Indis* pro *Nidis.*
228. c. *Herodianum* pro *Herodiorum*
228. c. *pugnans* pro *pugnax,*
116. b. *Acpitur* pro *Accipitur.*
117. c. *Conſeruante* pro *Conſeruantem.*
124. *cecidiſſe* pro *cecidiſſe.*
129. c. *Ipſoque* pro *Ipſoſque.*
131. d. *dignorum* pro *dignam.*
131. d. *Prophetarum* pro *Prophetatum.*
140. b. *fætorum* pro *fætorem.*
145. *ſumno* pro *ſomno.*
152. c. *penetrare* pro *penetrare.*
154. c. *ſaluabitur* pro *ſaluabitur.*
156. c. *Egregrie* pro *Egregie.*
159. a. *ſimpliter* pro *ſimpliciter.*
160. d. *ſuperaltat* pro *ſuperexaltat.*
168. *Tonantis* pro *Tonanti.*
170. *Tranquiltas* pro *Tranquillitas.*
171. c. *terra* pro *terram.*
173. d. *frumentorem* pro *frumentorum.*
174. c. *Theſaurus* pro *Theſauris.*
176. d. *Noſtrum* pro *Noſtram.*
177. d. *Preceperant* pro *Perceperunt*
178. c. *Tamen* pro *Tantum.*

Præterea pag. 13. aufer notam diſtinctionis, poſt vocem lugentium & pone poſt filiorum, vt ſit ſenſus audita morte filiorum ſcidit veſtimenta ſua in habitum lugentium.

Item pag. 33. c. Inuenies inuerſionem duarum linearum.

Denique pag. 145. in prima linea dele interpunctionem inter Requieſcere & quod.

1-6-2